# ACTA
# APOSTOLICAE SEDIS

## COMMENTARIUM OFFICIALE

ANNUS IX - VOLUMEN IX, PARS II.

ROMAE
TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
MCMXVII

# CODEX

# IURIS CANONICI

## PII X PONTIFICIS MAXIMI

IUSSU DIGESTUS

## BENEDICTI PAPAE XV

AUCTORITATE PROMULGATUS

**BOMAE**

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

MCMXVII

1

'i

VENERABILIBVS FRATRIBVS

ET DILECTIS FILIIS

PATRIARCHIS, PRIMATIBVS, ARCHIEPISCOPIS, EPISCOPIS ALIISQVE ORDINARIIS

AC PRAETEREA

CATHOLICARVM STUDIORVM VNIVERSITATVM AC SEMINARIORVM

DOCTORIBVS ATQVE AVDITORIBVS.

# B ENE DICTVS EPISCOPVS

SERVVS SERVORVM DEI

AD PERPETVAM REI MEMORIAM.

**Providentissima Mater Ecclesia, ita a Conditore Christo constituta, ut omnibus instructa esset notis quae cuilibet perfectae societati congruunt, inde a suis primordiis, cum, Dominico obsequens mandato, docere ac regere omnes gentes incepit, aggressa est iam tum sacri ordinis virorum christianaeque plebis disciplinam datis legibus moderari ac tueri.**

**Procedente autem tempore, praesertim cum se in libertatem vindicavit et per maiora in dies incrementa latius ubique est propagata, ius ferendarum legum proprium ac nativum evolvere atque explicare nunquam destitit, multiplici ac varia decretorum copia per Romanos Pontifices et Oecumenicas Synodos, pro re ac tempore, promulgata. Hisce vero legibus praeceptisque tum cleri populique Christiani consuluit" regimini sapienter, tum ipsam, ut historia testatur, rei publicae utilitatem civilemque cultum mirifice provexit. Neque enim solum barbar arum gentium leges curavit Ecclesia abrogandas ferosque earum mores ad humanitatem informandos, sed ipsum quoquo Romanorum ius, insigne veteris sapientiae monumentum, quod** *ratio scripta* **est merito nuncupatum, divini luminis auxilio freta, temperava correctumque christiane perfecit, usque adeo ut, instituto rectius ac passim expolito privato et publico genere vivendi, sive aetate media sive recentiore materiam legibus condendis satis amplam paraverit.**

**Veram enimvero, quod ipse fel. rec. Decessor Noster Pius X, Motu proprio « *Arduum sane* », d. xvi Kal. Apr. a. mcmiv edito, sapienter advertit, temporum conditionibus hominumque necessitatibus, prout rerum natura fert, immutatis, ius canonicum iam suum finem haud expedite persequi omni ex parte visum est. Saeculorum enim decursu, leges quamplurimae prodierant, quarum nonnullae aut suprema Ecclesiae auctoritate abrogatae sunt aut ipsae obsoleverunt; nonnullae vero aut pro conditione temporum difficiles ad exsequendum, aut communi omnium bono minus in praesenti utiles minusve opportunae evaserunt. Accedit etiam, quod leges canonicae ita numero creverant, tam disiunctae dispersaeque vagabantur, ut satis multae peritissimus ipsos, nedum vulgus, laterent.**

**Quibus de causis, idem fel. rec. Decessor Noster, statim ac Pontificatum suscepit, secum ipse reputans quanto foret usui, ad disciplinam ecclesiasticam restituendam firmandam, si gravibus illis, quae supra enarravimus, incommodis sollicite mederetur, consilium iniit universas Ecclesiae leges, ad haec usque tempora editas, lucido ordine digestas in unum colligendi; amotis inde quae abrogatae iam essent aut obsoletae ; aliis, ubi opus esset, ad nostros praesentes mores opportunius accommodatis [1] ; aliis etiam, si quando necesse esse aut expedire videretur, ex novo constitutis. Rem sane perarduam post maturam deliberationem aggressus, cum sacrorum Antistites,** *quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei,* **eadem super re consulere, eorumque mentes plane cognoscere omnino oportere iudicasset, primum omnium id curavit ac voluit, ut Cardinalis a Publicis Ecclesiae Negotiis, datis litteris ad VV. FF. singulos Catholici Orbis Archiepiscopos, iisdem committeret ut « auditis Suffrau ganéis suis aliisque, si qui essent, Ordinariis qui Synodo Pro« vinciali interesse deberent, quamprimum huic Sanctae Sedi « paucis referrent an et quaenam in vigenti iure canonico, sua « eorumque sententia, immutatione vel emendatione aliqua « prae ceteris indigerent » [2].**

[1] **Cf. Motu proprio « *Arduum sane* ».**

[2] **Cf. Epistolam « *Pergratum mihi* » die 25 Martii 1904.**

Postea, compluribus viris disciplinae canonum peritissimis sive ex Urbe, Roma sive variis e nationibus in consortium laborum accitis, mandatum dedit dilecto filio Nostro Petro S. R. E. Cardinali Gasparri, tum Archiepiscopo Caesariensi, ut Consultorum operam dirigeret, perficeret, ac, si opus esset, suppleret. Coetum deinde, sive, ut aiunt, *Commissionem* S. R. E. Cardinalium constituit, in eamque cooptavit Cardinales Dominicum Ferrata, Casimirum Gennari, Beniaminum Cavicchioni, Ioseph Calasanctium Vives y Tuto et Felicem Cavagnis, qui, referente eodem dilecto filio Nostro Petro S. R. E. Cardinali Gasparri, paratos canones diligenter perpenderent eosque, iudicio suo, immutärent, emendarent, expolirent \ Cum autem quinque ii Viri, alius ex alio, obiissent, in eorum locum suffecti sunt dilecti filii Nostri S. R. E. Cardinales Vincentius Vannutelli, Caietanus De Lai, Sebastianus Martinelli, Basilius Pompili, Caietanus Bisleti, Gulielmus van Rossum, Philippus Giustini et Michael Lega, qui mandatum sibi negotium egregie expleverunt.

Postremo, prudentiam auctoritatemque cunctorum in Episcopatu venerabilium Fratrum iterum exquirens, ad ipsos itemque ad omnes Regularium Ordinum Praelatos, quotquot ad Oecumenicum Concilium legitime vocari solent, novi Codicis iata digesti et adornati, antequam promulgaretur, singula ad singulos exemplaria mitti iussit, ut suas quisque animadversiones in paratos canones libere patefacerent[2].

Verum, cum interea immortalis memoriae Decessor Noster, complorante Catholico Orbe universo, de vita decessisset, id contigit Nqbis, Pontificatum secreto Dei consilio ineuntibus, ut Ecclesiae Nobiscum docentis sic undique collecta suffragia debito cum honore exciperemus. Tum demum, novum totius canonici iuris Codicem, iam pridem in ipso Concilio Vaticano a pluribus sacrorum Antistitibus expetitum, et abhinc duodecim solidos annos inchoatum, in omnes suas partes recognovimus, approbavimus, ratum habuimus.

[1] Cf. Motu proprio « *Arduum sane* ».

[2] Cf. Epistolam « *De mandato* » die 20 Martii 1912.

**Itaque, invocato divinae gratiae auxilio, Beatorum Petri et Pauli Apostolorum auctoritate confisi, motu proprio, certa scientia atque Apostolicae, qua aucti sumus, potestatis plenitudine, Constitutione hac Nostra, quam volumus perpetuo valituram, praesentem Codicem, sic ut digestus est,** *promulgamus, vim legis posthac habere pro universa Ecclesia decernimus, iubemus,* **vestraeque tradimus custodiae ac vigilantiae servandum.**

**Ut autem omnes, ad quos pertinet, probe perspecta habere possint huius Codicis praescripta antequam ad effectum- adducantur, edicimus ac iubemus ut ea vim obligandi habere non incipiant nisi a die Pentecostes anni proxime venturi, idest a die decima nona mensis Maii anni millesimi nongentesimi duodevicesimi.**

**Non obstantibus quibuslibet ordinationibus, constitutionibus, privilegiis etiam speciali atque individua mentione dignis, nec non consuetudinibus etiam immemorabilibus ceterisque contrariis quibusvis.**

**Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae constitutionis, ordinationis, limitationis, suppressionis,, derogationis expressaeque quomodolibet voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum Eius se noverit incursurum.**

**v Datum Romae apud S. Petrum die festo Pentecostes anno millesimo nongentesimo decimo septimo, Pontificatus Nostri tertio.**

PETRUS CARD. GASPARRI
A SECRETIS STATUS.

O. CARD. CAGIANO DE AZEVEDO
S. R. E. CANCELLARIUS.

# PROFESSIO CATHOLICAE FIDEI

**Ego -*N.* firma fide credo et profiteor omnia et singula, quae continentur in symbolo Fidei, quo sancta Eomana Ecclesia utitur, videlicet: Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem caeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Iesum Christum, Filium Dei Unigenitum. Et ex Patre natum, ante omnia saecula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum non factum, consubstantialem Patri : per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de caelis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, et Homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis, sub Pontio Pilato : passus, et sepultus est. Et resurrexit tertia die, secundum Scripturas. Et ascendit in caelum : sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria iudicare vivos, et mortuos : cuius regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum, Dominum et vivificantem: qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre et Filio simul adoratur, et conglorificatur : qui locutus est per prophetas. Et Unam, Sanctam, Catholicam et Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum. Et exspecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi saeculi. Amen.**

**Apostolicas et ecclesiasticas traditiones, reliquasque eiusdem Ecclesiae observationes et constitutiones firmissime admitto et amplector. Item sacram Scripturam iuxta eum sensum, quem tenuit et tenet sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto; nec eam unquam, nisi iuxta unanimem consensum Patrum, accipiam et interpretabor.**

**Profiteor quoque septem esse vere et proprie Sacramenta novae legis a Iesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis, necessaria, scilicet, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium; illaque gratiam conferre, et ex his Baptismum, Confirmationem et Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. - Receptos quoque et approbatos Ecclesiae Catholicae ritus in supradictorum omnium Sacramentorum sollemni administratione recipio et admitto. -**

**Omnia et singula quae de peccato originali et de iustificatione in sacrosancta Tridentina Synodo definita et declarata fuerunt, amplector et recipio. - Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium et propitiatorium Sacrificium pro vivis et defunctis; atque in sanctissimo Eucharistiae Sacramento esse vere, realiter et substantialiter Corpus et Sanguinem una cum anima et divinitate Domini nostri Iesu Christi, fierique conversionem totius substantiae panis in Corpus, et totius substantiae vini in Sanguinem, quam conversionem Catholica Ecclesia Transsubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi. - Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis iuvari. Similiter et Sanctos una cum Christo regnantes venerandos atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum Reliquias esse venerandas. Firmiter assero imagines Christi ac Deiparae semper Virginis, necnon aliorum Sanctorum habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendam. - Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maxime salutarem esse affirmo. - Sanctam, Catholicam et Apostolicam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum matrem et magistram agnosco, Romanoque Pontifici beati Petri Apostolorum Principis successori ac Iesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo ac iuro.**

**Cetera item omnia a sacris Canonibus et Oecumenicis Conciliis, ac praecipue a sacrosancta Tridentina Synodo et ab Oecumenico Concilio Vaticano tradita, definita ac declarata, praesertim de Romani Pontificis primatu et infallibili magisterio, indubitanter recipio atque profiteor, simulque contraria omnia, atque haereses quascunque ab Ecclesia damnatas et reiectas et anathematizatas, ego pariter damno, reiicio et anathematizo. Hanc veram Catholicam Fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in praesenti sponte profiteor et veraciter teneo, eandem integram et inviolatam usque ad extremum vitae spiritum, constantissime, Deo adiuvante, retinere et confiteri, atque a meis subditis seu illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri et doceri et praedicari, quantum in me erit curaturum, ego idem** *N.* **spondeo, voveo ac iuro. Sic me Deus adiuvet, et haec sancta Dei Evangelia.**

# CODEX IURIS CANONICI

## LIBER PRIMUS

## NORMAE GENERALES

CAN. 1.

Licet in Codice iuris canonici Ecclesiae quoque Orientalis disciplina saepe referatur, ipse tamen unam respicit Latinam Ecclesiam, neque Orientalem obligat, nisi de iis agatur, quae ex ipsa rei natura etiam Orientalem afficiunt.

CAN. 2.

». Codex, plerumque, nihil decernit de ritibus et caeremoniis quas liturgici libri, ab Ecclesia Latina probati, servandas praecipiunt in celebratione sacrosancti Missae sacrificii, in administratione Sacramentorum et Sacramentalium aliisque sacris peragendis. Quare omnes liturgicae leges vim suam retinent, nisi earum aliqua in Codice expresse corrigatur.

CAN. 3.

Codicis canones initas ab Apostolica Sede cum variis Nationibus conventiones nullatenus abrogant aut iis aliquid obrogant; eae idcirco perinde ac in praesens vigere pergent, contrariis huius Codicis praescriptis minime obstantibus.

CAN. 4. '

Iura aliis quaesita, itemque privilegia atque indulta quae, ab Apostolica Sede ad haec usque tempora personis sive physicis sive moralibus concessa, in usu adhuc sunt nec revocata, integra manent, nisi huius Codicis canonibus expresse revocentur.

CAN. 5.

Vigentes in praesens contra horum statuta canonum consuetudines sive universales sive particulares, si quidem ipsis canonibus expresse *reprobentur,* tanquam iuris corruptelae corrigantur, licet sint immemorabiles, neve sinantur in posterum reviviscere; aliae, quae quidem centenariae sint et immemorabiles, tolerari poterunt, si Ordinarii pro locorum ac personarum adiunctis existiment eas prudenter submoveri non posse; ceterae suppressae habeantur, nisi expresse Codex aliud caveat.

CAN. 6.

Codex vigentem huc usque disciplinam plerumque retinet, licet opportunas immutationes afferat. Itaque :

1.° Leges quaelibet, sive universales sive particulares, praescriptis huius Codicis oppositae, abrogantur, nisi de particularibus legibus aliud expresse caveatur;

2.° Canones qui ius vetus ex integro referunt, ex veteris iuris auctoritate, atque ideo ex receptis apud probatos auctores interpretationibus, sunt aestimandi;

3.° Canones qui ex parte tantum cum veteri iure congruunt, qua congruunt, ex iure antiquo aestimandi sunt; qua discrepant, sunt ex sua ipsorum sententia diiudicandi;

4.° In dubio num aliquod canonum praescriptum cum veteri iure discrepet, a veteri iure non est recedendum;

5.° Quod ad poenas attinet, quarum in Codice nulla fit mentio, spirituales sint vel temporales, medicinales vel, ut vocant, vindicativae, latae vel ferendae sententiae, eae tanquam abrogatae habeantur;

6.° Si qua ex ceteris disciplinaribus legibus, quae usque adhuc viguerunt, nec explicite nec implicite in Codice contineatur, ea vim omnem amisisse dicenda est, nisi in probatis liturgicis libris reperiatur, aut lex sit iuris divini sive positivi sive naturalis.

### CAN. 7.

Nomine Sedis Apostolicae vel Sanctae Sedis in hoc Codice veniunt non solum Romanus Pontifex, sed etiam, nisi ex rei natura vel sermonis contextu aliud appareat, Congregationes, Tribunalia, Officia, per quae idem Romanus Pontifex negotia Ecclesiae universae expedire solet.

## TITULUS I.

## De legibus ecclesiasticis.

### CAN. 8.

§ 1. Leges instituuntur, cum promulgantur.

§ 2. Lex non praesumitur personalis, sed territorialis, nisi aliud constet.

### CAN. 9.

Leges ab Apostolica Sede latae promulgantur per editionem in *Actorum Apostolicae Sedis commentario officiali,* nisi in casibus particularibus alius promulgandi modus fuerit praescriptus; et vim suam exserunt tantum expletis tribus mensibus a die qui *Actorum* numero appositus est, nisi ex natura rei illico ligent aut in ipsa lege brevior vel longior vacatio specialiter et expresse fuerit statuta.

### CAN. 10

Leges respiciunt futura, non praeterita, nisi nominatim in eis de praeteritis caveatur.

### CAN. 11.

Irritantes aut inhabilitantes eae tantum leges habendae sunt, quibus aut actum esse nullum aut inhabilem esse personam expresse vel aequivalenter statuitur.

### CAN. 12.

Legibus mere ecclesiasticis non tenentur qui baptismum non receperunt, nec baptizati qui sufficienti rationis usu non gaudent, nec qui, licet

rationis usum assecuti, septimum aetatis annum nondum expleverunt, nisi aliud iure expresse caveatur.

CAN. 13.

§ 1. Legibus generalibus tenentur ubique terrarum omnes pro quibus latae sunt.

§ 2. Legibus conditis pro peculiari territorio ii subiiciuntur pro quibus latae sunt quique ibidem domicilium vel quasi-domicilium habent et simul actu commorantur, firmo praescripto can. 14.

CAN. 14.

§ 1. Peregrini :

1.° Non adstringuntur legibus particularibus sui territorii quandiu ab eo absunt, nisi aut earum transgressio in proprio territorio noceat, aut leges sint personales;

2.° Neque legibus territorii in quo versantur, iis exceptis quae ordini publico consulunt, vel actuum sollemnia determinant;

3.° At legibus generalibus tenentur, etiamsi hae suo in territorio non vigeant, minime vero si in loco in quo versantur non obligent.

§ 2. Vagi obligantur legibus tam generalibus quam particularibus quae vigent in loco in quo versantur.

CAN. 15.

Leges, etiam irritantes et inhabilitantes, in dubio iuris non urgent; in dubio autem facti potest Ordinarius in eis dispensare, dummodo agatur de legibus in quibus Eomanus Pontifex dispensare solet.

CAN. 16.

§ 1. Nulla ignorantia legum " irritantium aut inhabilitantium ab eisdem excusat, nisi aliud expresse dicatur.

§ 2. Ignorantia vel error circa legem aut poenam aut circa factum proprium aut circa factum alienum notorium generatim non praesumitur; circa factum alienum non notorium praesumitur, donec contrarium probetur.

CAN. 17.

§ 1. Leges authentice interpretatur legislator eiusve successor et is cui potestas interpretandi fuerit ab eisdem commissa.

§ 2. Interpretatio authentica, per modum legis exhibita, eandem vim habet ac lex ipsa; et si verba legis in se certa declaret tantum, promulgatione non eget ei valet retrorsum; si legem coarctet vel extendat aut dubiam explicet, non retrotrahitur et defeet promulgari.

§ 3. Data autem per modum sententiae iudicialis aut rescripti in re peculiari, vim legis non habet et ligat tantum personas atque afficit res pro quibus data est.

CAN. 18.

Leges ecclesiasticae intelligendae sunt secundum propriam verborum significationem in textu et contextu consideratam; quae si dubia et

**obscura manserit, ad locos Codicis parallelos, si qui sint, ad legis finem ac circumstantias et ad mentem legislatoris est recurrendum.**

CAN. **19.**

**Leges quae poenam statuunt, aut liberum iurium exercitium coarctant, aut exceptionem a lege continent, strictae subsunt interpretationi.**

CAN. **20.**

**Si certa de re desit expressum praescriptum legis sive generalis sive particularis, norma sumenda est, nisi agatur de poenis applicandis, a legibus latis in similibus; a generalibus iuris principiis cum aequitate canonica servatis; a stylo et praxi Curiae Romanae; a communi constantique sententia doctorum.**

CAN. **21.**

**Leges latae ad praecavendum periculum generale, urgent, etiamsi in casu peculiari periculum non adsit.**

CAN. **22.**

**Lex posterior, a competenti auctoritate lata, obrogat priori, si id expresse edicat, aut sit illi directe contraria, aut totam de integro ordinet legis prioris materiam; sed firmo praescripto can. 6, n. 1, lex generalis nullatenus derogat locorum specialium et personarum singularium statutis, nisi aliud in ipsa expresse caveatur.**

CAN. **23.**

**In dubio revocatio legis praeexsistentis non praesumitur, sed leges posteriores ad priores trahendae sunt et his, quantum fieri possit, conciliandae.**

CAN. **24.**

**Praecepta, singulis data, eos quibus dantur, ubique urgent, sed iudicialiter urgeri nequeunt et cessant resoluto iure praecipientis, nisi per legitimum documentum aut coram duobus testibus imposita fuerint.**

## TITULUS II.

## De consuetudine.

CAN. **25.**

**Consuetudo in Ecclesia vim legis a consensu competentis Superioris ecclesiastici unice obtinet.**

CAN. **26.**

**Communitas quae legis ecclesiasticae saltem recipiendae capax est, potest consuetudinem inducere quae vim legis obtineat.**

CAN. **27.**

**§ 1. Iuri divino sive naturali sive positivo nulla consuetudo potest aliquatenus derogare; sed neque iuri ecclesiastico praeiudicium affert,**

**nisi fuerit rationabilis et legitime per annos quadraginta continuos et completos praescripta; contra legem vero ecclesiasticam quae clausulam contineat futuras consuetudines prohibentem, sola praescribere potest rationabilis consuetudo centenaria aut immemorabilis.**

**§ 2. Consuetudo quae in iure expresse reprobatur, non est rationabilis.**

CAN. **28.**

**Consuetudo praeter legem, quae scienter a communitate cum animo se obligandi servata sit, legem inducit, si pariter fuerit rationabilis.et legitime per annos quadraginta continuos et completos praescripta.**

CAN. **29.**

**Consuetudo est optima legum interpres.**

CAN. **30.**

**Firmo praescripto can. 5, consuetudo contra legem vel praeter legem per contrariam consuetudinem aut legem revocatur; sed, nisi expressam de iisdem mentionem fecerit, lex non revocat consuetudines centenarias aut immemorabiles, nec lex generalis consuetudines particulares.**

## TITULUS III.

### De temporis supputatione.

CAN. **31.**

**Salvis legibus liturgicis, tempus, nisi aliud expresse caveatur, supputetur ad normam canonum qui sequuntur.**

CAN. **32.**

**§ 1. Dies constat 24 horis continuo supputandis a media nocte, hebdomada 7 diebus.**

**§ 2. In iure nomine mensis venit spatium 30, anni vero spatium 365 dierum, nisi mensis et annus dicantur sumendi prout sunt in calendario.**

CAN. **33.**

**§ 1. In supputandis horis diei standum est communi loci usui; sed in privata Missae celebratione, in privata horarum canonicarum recitatione, in sacra communione recipienda et in ieiunii vel abstinentiae lege servanda, licet alia sit usualis loci supputatio, potest quis sequi loci tempus aut locale sive verum sive medium, aut legale sive regionale sive aliud extraordinarium.**

**§•2. Quod attinet ad tempus urgendi contractuum obligationes, servetur, nisi aliter expressa pactione conventum fuerit, praescriptum iuris civilis in territorio vigentis.**

CAN. **34.**

**§ 1. Si mensis et annus designentur proprio nomine vel aequivalenter, ex. gr.,** *mense februario, anno proxime futuro,* **sumantur prout sunt in calendario.**

§ 2. Si terminus *a quo* nec explicite nec implicite assignetur, ex. gr., *suspensio a Missae celebratione per mensem aut duos annos, tres in anno vacationum menses*, etc., tempus supputetur de momento ad momentum; et si tempus sit continuum, ut in allato primo exemplo, menses et anni sumantur prout sunt in calendario; si intermissum, hebdomada intelligatur 7 dierum, mensis 30, annus 365.

§ 3. Si tempus constet uno vel pluribus mensibus aut annis, una vel pluribus hebdomadibus aut tandem pluribus diebus, et terminus *a quo* explicite vel implicite assignetur :

1.° Menses et anni sumantur prout sunt in calendario;

2.° Si terminus *a quo* coincidat cum initio diei, ex. gr., *duo vacationum menses a die 15 augusti*, primus dies ad explendam numerationem computetur et tempus finiatur incipiente ultimo die eiusdem numeri;

3.° Si terminus *a quo* non coincidat cum initio diei, ex. gr., *decimus quartus aetatis annus, annus novitiatus, octiduum a vacatione sedis episcopalis, decendium ad appellandum*, etc., primus dies ne computetur et tempus finiatur expleto ultimo die eiusdem numeri;

4.° Quod si mensis die eiusdem numeri careat, ex. gr., *unus mensis a die SO ianuarii*, tunc pro diverso casu tempus finiatur incipiente vel expleto ultimo die mensis;

5.° Si agatur de actibus eiusdem generis statis temporibus renovandis, ex gr., *triennium ad professionem perpetuam post temporariam, triennium aliudve temporis spatium ad electionem renovandam*, etc., tempus finitur eodem recurrente die quo incepit, sed novus actus per integrum eundem diem poni potest.

CAN. 35.

Tempus *utile* illud intelligitur quod pro exercitio aut prosecutione sui iuris ita alicui competit ut ignoranti aut agere non valenti non currat; *continuum*, quod nullam patitur interruptionem.

## TITULUS IV.

## De rescriptis.

CAN. 36.

§ 1. Rescripta tum Sedis Apostolicae tum aliorum Ordinariorum impetrari libere possunt ab omnibus qui expresse non prohibentur.

§ 2. Gratiae et dispensationes omne genus a Sede Apostolica concessae etiam censura irretitis validae sunt, salvo praescripto can. 2265, § 2, 2275, n. 3, 2283.

CAN. 37.

Rescriptum impetrari potest pro alio etiam praeter eius assensum; et licet ipse possit gratia per rescriptum concessa non uti, rescriptum tamen valet ante eius acceptationem, nisi aliud ex appositis clausulis appareat.

CAN. **38.**

**Rescripta quibus gratia conceditur sine interiecto exsecutore, effectum habent a momento quo datae sunt litterae; cetera a tempore exsecutionis.**

CAN. **39.**

**Conditiones in rescriptis tunc tantum essentiales pro eorundem validitate censentur, cum per particulas** *si, dummodo,* **vel aliam eiusdem significationis exprimuntur.**

CAN. **40.**

**In omnibus rescriptis subintelligenda est, etsi non expressa, conditio :** *Si preces veritate nitantur,* **salvo praescripto can. 45, 1054.**

CAN. **41.**

**In rescriptis quorum nullus est exsecutor, preces veritate nitantur oportet tempore quo rescriptum datum est.'; in ceteris tempore exsecutionis.**

CAN. **42.**

**§ 1. Reticentia veri, seu subreptio, in precibus non obstat quominus rescriptum vim habeat ratumque sit, dummodo expressa fuerint quae de stylo Curiae sunt ad validitatem exprimenda.**

**§ 2. Nec obstat expositio falsi, seu obreptio, dummodo vel unica causa proposita vel ex pluribus propositis una saltem motiva vera sit.**

**§ 3. Vitium obreptionis vel subreptionis in una tantum parte rescripti aliam non infirmât, si una simul plures gratiae per rescriptum con* cedantur.**

CAN, **43.**

**Gratia ab una Sacra Congregatione vel Officio Romanae Curiae denegata, invalide ab alia Sacra Congregatione vel Officio aut a loci Ordinario, etsi potestatem habente, conceditur sine assensu Sacrae Congregationis vel Officii quocum vel quibuscum agi coeptum fuit, salvo iure S. Poenitentiariae pro foro interno.**

CAN. **44.**

**§ 1. Nemo gratiam a proprio Ordinario denegatam ab alio Ordinario petat, nulla facta denegationis mentione; facta autem mentione, Ordinarius gratiam ne concedat, nisi habitis a priore Ordinario denegationis rationibus.**

**§ 2. Gratia a Vicario Generali denegata et postea, nulla facta huius denegationis mentione, ab Episcopo impetrata, invalida est; gratia autem ab Episcopo denegata nequit valide, etiam facta denegationis mentione, a Vicario Generali, non consentiente Episcopo, impetrari.**

CAN. **45.**

**Cum rescriptis ad preces alicuius impetratis apponitur clausula:** *Motu proprio,* **valent quidem ea, si in precibus reticeatur veritas alio-**

**quin necessario exprimenda, non tamen si falsa causa finalis eaque unica proponatur, salvo praescripto can.** .1054.

CAN. 46.

**Rescripta etiam** *Motu proprio* **concessa personae de iure communi inhabili ad consequendam gratiam de qua agitur, itemque edita contra alicuius loci legitimam consuetudinem vel statutum peculiare, vel contra ius alteri iam quaesitum, non sustinentur, nisi expressa derogatoria clausula rescripto apponatur.**

CAN. 47.

**Rescripta non fiunt irrita ob errorem in nomine personae cui vel a qua conceduntur, aut loci in quo ipsa moratur, aut rei de qua agitur, dummodo, iudicio Ordinarii, nulla sit de ipsa persona vel re dubitatio.**

CAN. 48.

**§ 1. Si contingat ut de una eademque re duo rescripta inter se contraria impetrentur, peculiare, in iis quae peculiariter exprimuntur, praevalet generali.**

§ 2. **Si sint aeque peculiaria aut generalia, prius tempore praevalet posteriori, nisi in altero fiat expressa mentio de priore, aut nisi prior impetrator dolo vel notabili negligentia suo rescripto usus non fuerit.**

§ 3. **Quod si eodem die fuerint concessa nec liqueat uter prior impetraverit, utrumque irritum est, et, si res ferat, rursus ad eum qui rescripta dedit, est recurrendum.**

CAN. 49,

**Rescripta intelligenda sunt secundum propriam verborum significationem et communem loquendi usum, nec debent ad casus alios praeter expressos extendi.**

CAN. 50.

**In dubio, rescripta quae ad lites referuntur, vel iura aliis quaesita laedunt, vel adversantur legi in commodum privatorum, vel denique impetrata fuerunt ad beneficii ecclesiastici assecutionem, strictam interpretationem recipiunt; cetera omnia latam.**

CAN. 51.

**Rescriptum Sedis Apostolicae in quo nullus datur exsecutor, tunc tantum debet Ordinario impetrantis praesentari, cum id in eisdem litteris praecipitur, aut de rebus agitur publicis, aut comprobare conditiones quasdam oportet.**

CAN. 52.

**Rescripta, quorum praesentationi nullum est definitum tempus, possunt exsecutori exhiberi quovis tempore, modo absit fraus et dolus.**

CAN. 53.

**Rescripti exsecutor invalide munere suo fungitur, antequam litteras receperit earumque authenticitatem et integritatem recognoverit, nisi**

**praevia earundem notitia ad eum fuerit auctoritate rescribentis transmissa.**

CAN. **54.**

**§ 1. Si in rescripto committatur merum exsecutionis ministerium, exsecutio rescripti denegari non potest, nisi aut manifeste pateat rescriptum vitio subreptionis nullum esse, aut in rescripto apponantur conditiones quas exsecutori constet non esse impletas, aut qui rescriptum impetravit adeo, iudicio exsecutoris, videatur indignus ut aliorum offensioni futura sit gratiae concessio; quod ultimum si accidat, exsecutor, intermissa exsecutione, statim ea de re certiorem faciat rescribentem.**

**§ 2. Quod si in rescripto concessio gratiae exsecutori committatur, ipsius est pro suo prudenti arbitrio et conscientia gratiam concedere vel denegare.**

CAN. **55.**

**Exsecutor procedere debet ad mandati normam, et nisi conditiones essentiales in litteris appositas impleverit ac substantialem procedendi formam servaverit, irrita est exsecutio.**

CAN. **56.**

**Exsecutio rescriptorum quae forum externum respiciunt, scripto facienda est.**

CAN. **57.**

**§ 1. Rescriptorum exsecutor potest alium pro suo prudenti arbitrio sibi substituere, nisi substitutio prohibita fuerit, aut substituti persona praefinita.**

**§ 2. Si tamen fuerit electa industria personae, exsecutori non licet alteri committere, nisi actus praeparatorios.**

CAN. **58.**

**Rescripta quaelibet exsecutioni mandari possunt etiam ab exsecutoris successore in dignitate vel officio, nisi fuerit electa industria personae.**

CAN. **59.**

**§ 1. Exsecutori fas est, si quoquo modo in rescriptorum exsecutione erraverit, iterum eadem exsecutioni mandare.**

**§ 2. Quod attinet ad taxas pro rescriptorum exsecutione, servetur praescriptum can. 1507, § 1.**

CAN. **60.**

**§ 1. Rescriptum, per peculiarem Superioris actum revocatum, perdurat usque dum revocatio ei, qui illud obtinuit, significetur.**

**§ 2. Per legem contrariam nulla rescripta revocantur, nisi aliud in ipsa lege caveatur, aut lex lata sit a Superiore ipsius rescribentis.**

CAN. **61.**

**Per Apostolicae Sedis aut dioecesis vacationem nullum eiusdem Sedis Apostolicae aut Ordinarii rescriptum perimitur, nisi aliud ex additis**

**clausulis appareat, aut rescriptum contineat potestatem alicui factam concedendi gratiam peculiaribus personis in eodem expressis, et res adhuc integra sit.**

CAN. **62.**

**Si rescriptum contineat non simplicem gratiam, sed privilegium vel dispensationem, serventur insuper praescripta canonum qui sequuntur.**

## TITULUS V.

## De privilegiis.

CAN. **63.**

**§ 1. Privilegia acquiri possunt non solum per directam concessionem competentis auctoritatis et per communicationem, sed etiam per legitimam consuetudinem aut praescriptionem.**

**§ 2. Possessio centenaria vel immemorabilis inducit praesumptionem concessi privilegii.**

CAN. **64.**

**Per communicationem privilegiorum, etiam in forma aeque principali, ea tantum privilegia impertita censentur, quae directe, perpetuo et sine speciali relatione ad certum locum aut rem aut personam concessa fuerant primo privilegiario, habita etiam ratione capacitatis subiecti, cui fit communicatio.**

CAN. **65.**

**Cum privilegia acquiruntur per communicationem in forma accessoria, augentur, imminuuntur vel amittuntur ipso facto, si forte augeantur, imminuantur vel cessent in principali privilegiario; secus si acquirantur per communicationem in forma aeque principali.**

CAN. **66.**

**§ 1. Facultates habituales quae conceduntur vel in perpetuum vel ad praefinitum tempus aut certum numerum casuum, accensentur privilegiis praeter ius.**

**§ 2. Nisi in earum concessione electa fuerit industria personae aut aliud expresse cautum sit, facultates habituales, Episcopo aliisve de quibus in can. 198, § 1 ab Apostolica Sede concessae, non evanescunt, resoluto iure Ordinarii cui concessae sunt, etiamsi ipse eas exsequi coeperit, sed transeunt ad Ordinarios qui ipsi in regimine succedunt;; item concessae Episcopo competunt quoque Vicario Generali.**

**§ 3. Concessa facultas secumfert alias quoque potestates quae ad illius usum sunt necessariae; quare in facultate dispensandi includitur etiam potestas absolvendi a poenis ecclesiasticis, si quae forte obstent, sed ad effectum dumtaxat dispensationis consequendae.**

CAN. **67.**

**Privilegium ex ipsius tenore aestimandum est, nec licet illud extendere aut restringere.**

CAN. 68.

**In dubio privilegia interpretanda sunt ad normam can.** 50; **sed ea semper adhibenda interpretatio, ut privilegio aucti aliquam ex indulgentia concedentis videantur gratiam consecuti.**

CAN. 69.

**Nemo cogitur uti privilegio in sui dumtaxat favorem concesso, nisi alio ex capite exsurgat obligatio.**

CAN. 70.

**Privilegium, nisi aliud constet, censendum est perpetuum.**

CAN. 71.

**Per legem generalem revocantur privilegia in hoc Codice contenta; ad cetera quod attinet, servetur praescriptum can.** 60.

CAN. 72.

§ 1. **Privilegia cessant per renuntiationem a competente Superiore acceptatam.**

§ 2. **Privilegio in sui tantum favorem constituto quaevis persona privata renuntiare potest.**

§ 3. **Concesso alicui communitati, dignitati locove renuntiare privatis personis non licet.**

§ 4. **Nec ipsi communitati seu coetui integrum est renuntiare privilegio sibi dato per modum legis, vel si renuntiatio cedat in Ecclesiae aliorumve praeiudicium.**

CAN. 73.

**Resoluto iure concedentis, privilegia non exstinguuntur, nisi data fuerint cum clausula :** *ad beneplacitum nostrum,* **vel alia aequipollenti.**

CAN. 74.

**Privilegium personale personam sequitur et cum ipsa exstinguitur.**

CAN. 75.

**Privilegia realia cessant per absolutum rei vel loci interitum; privilegia vero localia, si locus intra quinquaginta annos restituatur, reviviscunt.**

CAN. 76.

**Per non usum vel per usum contrarium privilegia aliis haud onerosa non cessant; quae vero in aliorum gravamen cedunt, amittuntur, si accedat legitima praescriptio vel tacita renuntiatio.**

CAN. **77.**

**Cessat quoque privilegium, si temporis progressu rerum adiuncta sic, iudicio Superioris, immutentur ut noxium evaserit, aut eius usus illicitus fiat; item elapso tempore vel expleto numero casuum pro quibus privilegium fuit concessum, firmo praescripto can. 207, § 2.**

CAN. **78.**

**Qui abutitur potestate sibi ex privilegio permissa, privilegio ipso privari meretur; et Ordinarius Sanctam Sedem monere ne omittat, si quis privilegio ab eadem concesso graviter abutatur.**

CAN. **79.**

**Quamvis privilegia, oretenus a Sancta Sede obtenta, ipsi petenti in foro conscientiae suffragentur, nemo tamen potest cuiusvis privilegii usum adversus quemquam in foro externo vindicare, nisi privilegium ipsum sibi concessum esse legitime evincat.**

## TITULUS VI.

### De dispensationibus.

CAN. **80.**

**Dispensatio, seu legis in casu speciali relaxatio, concedi potest a conditore legis, ab eius successore vel Superiore, nec non ab illo cui iidem facultatem dispensandi concesserint.**

CAN. **81.**

**A generalibus Ecclesiae legibus Ordinarii infra Romanum Pontificem dispensare nequeunt, ne in casu quidem peculiari, nisi haec potestas eisdem fuerit explicite vel implicite concessa, aut nisi difficilis sit recursus ad Sanctam Sedem et simul in mora sit periculum gravis damni, et de dispensatione agatur quae a Sede Apostolica concedi solet.**

CAN. **82.**

**Episcopi aliique locorum Ordinarii dispensare valent in legibus dioecesanis, et in legibus Concilii provincialis ac plenarii ad normam can. 291, § 2, non vero in legibus quas speciatim tulerit Romanus Pontifex pro illo peculiari territorio, nisi ad normam can. 81.**

CAN. **83.**

**Parochi nec a lege generali nec a lege peculiari dispensare valent, nisi haec potestas expresse eisdem concessa sit.**

CAN. **84.**

**§ 1. A lege ecclesiastica ne dispensetur sine iusta et rationabili causa, habita ratione gravitatis legis a qua dispensatur; alias dispensatio ab inferiore data illicita et invalida est.**

**§ 2. Dispensatio in dubio de sufficientia causae licite petitur et potest licite et valide concedi.**

CAN. 85.

**Strictae subest interpretationi non solum dispensatio ad normam can.** 50, **sed ipsamet facultas dispensandi ad certum casum concessa.**

CAN. 86.

**Dispensatio quae tractum habet successivum, cessat iisdem modis quibus privilegium, nec non certa ac totali cessatione causae motivae.**

# LIBER SECUNDUS
# DE PERSONIS

CAN. 87.

**Baptismate homo constituitur in Ecclesia Christi persona cum omnibus christianorum iuribus et officiis, nisi, ad iura quod attinet, obstet obex, ecclesiasticae communionis vinculum impediens, vel lata ab Ecclesia censura.**

CAN. 88.

**§ 1. Persona quae vicesimum primum aetatis annum explevit, maior est; infra hanc aetatem, minor.**

**§ 2. Minor, si masculus, censetur pubes a decimoquarto, si femina, a duodecimo anno completo.**

**§ 3. Impubes, ante plenum septennium, dicitur infans seu puer vel parvulus et censetur non sui compos; expleto autem septennio, usum rationis habere praesumitur. Infanti assimilantur quotquot usu rationis sunt habitu destituti. ***

CAN. 89.

**Persona maior plenum habet suorum iurium exercitium; minor in exercitio suorum iurium potestati parentum vel tutorum obnoxia manet, iis exceptis in quibus ius minores a patria potestate exemptos habet.**

CAN. 90.

**§ 1. Locus originis filii, etiam neophyti, est ille in quo, cum filius natus est, domicilium, aut, in defectu domicilii, quasi-domicilium habebat pater vel, si filius sit illegitimus aut postumus, mater.**

**§ 2. Si agatur de filio vagorum, locus originis est ipsemet nativitatis locus; si de exposito, est locus in quo inventus fuit.**

CAN. 91.

**Persona dicitur :** *incoia,* **in loco ubi domicilium,** *advena,* **in loco ubi quasi-domicilium habet;** *peregrinus,* **si versetur extra domicilium et quasi-domicilium quod adhuc retinet;** *vagus,* **si nullibi domicilium habeat vel quasi-domicilium.**

CAN. 92.

**§ 1. Domicilium acquiritur commoratione in aliqua paroecia aut quasi-paroecia, aut saltem in dioecesi, vicariatu apostolico, praefectura apostolica; quae commoratio vel coniuncta sit cum animo ibi perpetuo manendi, si nihil inde avocet, vel sit protracta ad decennium completum.**

**§ 2. Quasi-domicilium acquiritur commoratione uti supra, quae vel**

**coniuncta sit cum animo ibi manendi saltem ad maiorem anni partem, si nihil inde avocet, vel sit reapse protracta ad maiorem anni partem.**

**§ 3. Domicilium vel quasi-domicilium in paroecia vel quasi-paroecia dicitur** *paroeciale;* **in dioecesi, vicariatu, praefectura, non autem in paroecia vel quasi-paroecia,** *dioecesanum.*

CAN. **93.**

**§ 1. Uxor, a viro legitime non separata, necessario retinet domicilium viri sui; amens, domicilium curatoris; minor, domicilium illius cuius potestati subiicitur.**

**§ 2. Minor infantia egressus potest quasi-domicilium proprium obtinere; item uxor a viro legitime non separata, legitime autem separata etiam domicilium.**

CAN. **94.**

**§ 1. Sive per domicilium sive per quasi-domicilium suum quisque parochum et Ordinarium sortitur.**

**§ 2. Proprius vagi parochus vel Ordinarius est parochus vel Ordinarius loci in quo vagus actu commoratur.**

**§ 3. Illorum quoque qui non habent nisi dioecesanum domicilium vel quasi-domicilium parochus proprius est parochus loci in quo actu commorantur.**

CAN. **95.**

**Domicilium et quasi-domicilium amittitur discessione a loco cum animo non revertendi, salvo praescripto can. 93.**

CAN. **96.**

**§ 1. Consanguinitas computatur per lineas et gradus.**

**§ 2. In linea recta, tot sunt gradus quot generationes, seu quot personae, stipite dempto.**

**§ 3. In linea obliqua, si tractus uterque sit aequalis, tot sunt gradus quot generationes in uno tractu lineae : si duo tractus sint inaequales, tot gradus quot generationes in tractu longiore.**

CAN. **97.**

**§ 1. Affinitas oritur ex matrimonio valido sive rato tantum sive rato et consummato.**

**§ 2. Viget inter virum dumtaxat et consanguineos mulieris, itemque mulierem inter et viri consanguineos.**

**§ 3. Ita computatur ut qui sunt consanguinei viri, iidem in eadem linea èt gradu sint affines mulieris, et vice versa.**

CAN. **98.**

**§ 1. Inter varios catholicos ritus ad illum quis pertinet, cuius caeremoniis baptizatus fuit, nisi fòrte baptismus a ritus alieni ministro vel fraude collatus fuit, vel ob gravem necessitatem, cum sacerdos proprii ritus praesto esse non potuit, vel ex dispensatione apostolica, cum f acuì-**

tas data fuit ut quis certo quodam ritu baptizaretur, quin tamen eidem adscriptus maneret.

§ 2. Clerici nullo modo inducere praesumant sive latinos ad orientalem, sive orientales ad latinum ritum assumendum.

§ 3. Nemini licet sine venia Apostolicae Sedis ad alium ritum transire, aut, post legitimum transitum, ad pristinum reverti.

§ 4. Integrum est mulieri diversi ritus ad ritum viri, in matrimonio ineundo vel eo durante, transire; matrimonio autem soluto, resumendi proprii ritus libera est potestas, nisi iure particulari aliud cautum sit.

§ 5. Mos, quamvis diuturnus, sacrae Synaxis ritu alieno suscipiendae non secumfert ritus mutationem.

### CAN. 99.

In Ecclesia, praeter personas physicas, sunt etiam personae morales, publica auctoritate constitutae, quae distinguuntur in personas morales collegiales et non collegiales, ut ecclesiae, Seminaria, beneficia, etc.

### CAN. 100.

§ 1. Catholica Ecclesia et Apostolica Sedes moralis personae rationem habent ex ipsa ordinatione divina; ceterae inferiores personae morales in Ecclesia eam sortiuntur sive ex ipso iuris praescripto sive ex speciali competentis Superioris ecclesiastici concessione data per formale decretum ad finem religiosum vel caritativum.

§ 2. Persona moralis collegialis constitui non potest, nisi ex tribus saltem personis physicis.

§ 3. Personae morales sive collegiales sive non collegiales minoribus aequiparantur.

### CAN. 101.

§ 1. Circa actus personarum moralium collegialium ;

1.° Msi aliud expresse iure communi aut particulari statutum fuerit, id vim iuris habet, quod, demptis suffragiis nullis, placuerit parti absolute maiori eorum qui suffragium ferunt, aut, post duo inefficacia scrutinia, parti relative maiori in tertio scrutinio; quod si suffragia aequalia fuerint, post tertium scrutinium praeses suo voto paritatem dirimat aut, si agatur de electionibus et praeses suo voto paritatem dirimere nolit, electus habeatur senior ordine vel prima professione vel aetate;

2.° Quod autem omnes, uti singulos, tangit, ab omnibus probari debet.

§ 2. Si de actibus personarum moralium non collegialium agatur, serventur particularia statuta ac normae iuris communis, quae easdem personas respiciunt.

### CAN. 102.

§ 1. Persona moralis, natura sua, perpetua est; exstinguitur tamen si a legitima auctoritate supprimatur, vel si per centum annorum spatium esse desierit.

**§ 2. Si vel unum ex personae moralis collegialis membris supersit, ius omnium in illud recidit.**

CAN. **103.**

**§ 1. Actus, quos persona sive physica sive moralis ponit ex vi extrinseca, cui resistí non possit, pro infectis habentur.**

**§ 2. Actus positi ex metu gravi et iniuste incusso vel ex dolo, valent, nisi aliud iure caveatur; sed possunt ad normam can. 1684-1689 per iudicis sententiam rescindi, sive ad petitionem partis laesae sive ex officio.**

*i*

CAN. **104.**

**Error actum irritum reddit, si versetur circa id quod constituit substantiam actus vel recidat in conditionem** *sine qua* **non,- secus actus valet, nisi aliud iure caveatur; sed in contractibus error locum dare potest actioni rescissoriae ad normam iuris.**

CAN. **105.**

**Cum ius statuit Superiorem ad agendum indigere consensu Vel consilio aliquarum personarum :**

**1.° Si consensus exigatur, Superior contra earundem votum invalide agit; si consilium tantum, per verba, ex. gr. :** *de consilio consultorum,* **vel** *audito Capitulo, parocho,* **etc., satis est ad valide agendum ut Superior illas personas audiat; quamvis autem nulla obligatione teneatur ad eorum votum, etsi concors, accedendi, multum tamen, si plures audiendae sint personae, concordibus earundem suffragiis deferat, nec ab eisdem, sine praevalenti ratione, suo iudicio aestimanda, discedat;**

**2.° Si requiratur consensus vel consilium non unius tantum vel alterius personae, sed plurium simul, eae personae legitime convocentur, salvo praescripto can. 162, § 4, et mentem suam manifestent; Superior autem pro sua prudentia ac negotiorum gravitate potest eas adigere ad iusiurandum de secreto servando praestandum;**

**3.° Omnes de consensu vel consilio requisiti debent ea qua par est reverentia, fide ac sinceritate sententiam suam aperire.**

CAN. **106.**

**Circa praecedentiam inter varias personas seu physicas seu morales, serventur normae quae sequuntur, salvis normis specialibus quae suis in locis traduntur :**

**1.° Qui alius personam gerit, ex eadem obtinet praecedentiam; sed qui in Conciliis aliisque similibus conventibus procuratorio nomine intersunt, sedent post illos eiusdem gradus qui intersunt nomine proprio;**

**2.° Cui est auctoritas in personas sive physicas sive morales, eidem ius est praecedentiae supra illas;**

**3.° Inter diversas personas ecclesiasticas quarum nulla habeat in alias auctoritatem : qui ad gradum potiorem pertinent, praecedunt eis qui sunt inferioris gradus; inter eiusdem gradus personas sed non eiusdem ordinis, qui altiorem ordinem tenet, praecedit iis qui in inferiore sunt positi; si denique ad eundem gradum pertineant eundemque ordinem**

**habeant, praecedit qui prius est promotus ad gradum; si eodem tempore promoti sint, senior ordinatione, nisi iunior ordinatus fuerit a Romano Pontifice; et si eodem tempore ordinem receperint, senior aetate;**

**4.° In praecedentia diversitas ritus non attenditur;**

**5.° Inter varias personas morales eiusdem speciei et gradus, illa praecedit quae est in pacifica quasi-possessione praecedentiae et, si de hoc non constet, quae prius in loco, ubi quaestio oritur, instituta est; inter sodales vero alicuius collegii, ius praecedentiae determinetur ex propriis legitimis constitutionibus; secus ex legitima consuetudine; aua deficiente, ex praescripto iuris communis;**

**6.° Loci Ordinarii est in sua dioecesi statuere praecedentias inter suos subditos, ratione habita principiorum iuris communis, legitimarum dioecesis consuetudinum et munerum ipsis commissorum; et omnes de praecedentia controversias, etiam inter exemptos, quatenus ii collegialiter cum aliis procedant, componere in casibus urgentioribus, remota omni appellatione in suspensivo, sed sine praeiudicio iuris uniuscuiusque;**

**7.°_Circa personas quae ad Domum pontificalem pertinent, praecedentia moderanda est secundum peculiaria privilegia, regulas et traditiones eiusdem pontificiae Domus.**

' CAN. **Ì07.**

**Ex divina institutione sunt in Ecclesia** *clerici* **a** *laicis* **distincti, licet non omnes clerici sint divinae institutionis; utrique autem possunt esse** ***religiosi***

# PARS PRIMA

# DE CLERICIS

SECTIO I.

## De clericis in genere.

CAN. **108.**

**§ 1. Qui divinis ministeriis per primam saltem tonsuram mancipati sunt, clerici dicuntur.**

**§ 2. Non sunt omnes in eodem gradu, sed inter eos sacra hierarchia est in qua alii aliis subordinantur.**

**§ 3. Ex divina institutione sacra hierarchia ratione ordinis constat Episcopis, presbyteris et ministris; ratione Iurisdictionis, pontificatu supremo et episcopatu subordinato; ex Ecclesiae autem institutione alii quoque gradus accessere.**

CAN. **109.**

**Qui in ecclesiasticam hierarchiam cooptantur, non ex populi vel potestatis saecularis consensu aut vocatione adleguntur; sed in gradibus potestatis ordinis constituuntur sacra ordinatione; in supremo pontifi-**

catu, ipsomet iure divino, adimpleta conditione legitimae electionis eiusdemque acceptationis; in reliquis gradibus iurisdictionis, canonica missione.

### CAN. 110.

Quamvis Praelati titulo, honoris causa, a Sede Apostolica etiam nonnulli clerici donentur sine ulla iurisdictione, proprio tamen nomine Praelati in iure dicuntur clerici sive saeculares sive religiosi qui iurisdictionem ordinariam in foro externo obtinent.

## TITULUS I.

## De clericorum adscriptione alicui dioecesi.

### CAN. 111.

§ 1. Quemlibet clericum oportet esse vel alicui dioecesi vel alicui religioni adscriptum, ita ut clerici vagi nullatenus admittantur.

§ 2. Per receptionem primae tonsurae clericus adscribitur seu, ut aiunt, *incardinatur* dioecesi pro cuius servitio promotus fuit.

### CAN. 112.

Praeter casus de quibus in can. 114, 641, § 2, ut clericus alienae dioecesi valide incardinetur, a suo Ordinario obtinere debet litteras ab eodem subscriptas excardinationis perpetuae et absolutae; et ab Ordinario alienae dioecesis litteras ab eodem subscriptas incardinationis pariter perpetuae et absolutae.

### CAN. 113.

Excardinationem et incardinationem concedere nequit Vicarius Generalis sine mandato speciali, nec Vicarius Capitularis, nisi post annum a vacatione sedis episcopalis et cum consensu Capituli.

### CAN. 114.

Habetur excardinatio et incardinatio, si ab Ordinario alienae dioecesis clericus beneficium residentiale obtinuerit cum consensu sui Ordinarii in scriptis dato, vel cum licentia ab eodem in scriptis concessa e dioecesi discedendi in perpetuum.

### CAN. 115.

Etiam per professionem religiosam quis a propria dioecesi excardinatur, ad normam can. 585.

### CAN. 116.

Excardinatio fieri nequit sine iustis causis, et effectum non sortitur, nisi incardinatione secuta in alia dioecesi, cuius Ordinarius de eadem priorem Ordinarium quantocius certiorem reddat.

### CAN. 117.

Ad incardinationem alieni clerici Ordinarius ne deveniat, nisi :

1.° Necessitas aut utilitas dioecesis id exigat, et salvis iuris praescriptis circa canonicum ordinationis titulum;

2.° Ex legitimo documento sibi constiterit de obtenta legitima excardinatione, et habuerit praeterea a Curia dimittente, sub secreto, si opus sit, de clerici natalibus, vita, moribus ac studiis opportuna testimonia, maxime si agatur de incardinandis clericis diversae linguae et nationis; Ordinarius autem dimittens, graviter onerata eius conscientia, advigilare debet ut testimonia sint veritati conformia;

3.° Clericus iureiurando coram eodem Ordinario eiusve delegato declaraverit se in perpetuum novae dioecesis servitio velle addici ad normam sacrorum canonum.

## TITULUS II.

## De iuribus et privilegiis clericorum.

### CAN. 118.

Soli clerici possunt potestatem sive ordinis sive iurisdictionis ecclesiasticae et beneficia ac pensiones ecclesiasticas obtinere.

### CAN. 119.

Omnes fideles debent clericis, pro diversis eorum gradibus et muneribus, reverentiam, seque sacrilegii delicto commaculant, si quando clericis realem iniuriam intulerint.

### CAN. 120.

§ 1. Clerici in omnibus causis sive contentiosis sive criminalibus apud iudicem ecclesiasticum conveniri debent, nisi aliter pro locis particularibus legitime provisum fuerit.

§ 2. Patres Cardinales, Legati Sedis Apostolicae, Episcopi etiam, titulares, Abbates vel Praelati *nullius*, maiores religionum iuris pontificii Superiores et Officiales maiores Romanae Curiae, ob negotia ad ipsorum munus pertinentia, apud iudicem laicum conveniri nequeunt sine venia Sedis Apostolicae; ceteri privilegio fori gaudentes, sine venia Ordinarii loci in quo causa peragitur; quam tamen licentiam Ordinarius, praesertim cum actor est laicus, ne deneget sine iusta et gravi causa, tum maxime cum controversiae inter partes componendae frustra operam dederit.

§ 3. Si nihilominus ab eo qui nullam praehabuerit veniam, conveniantur, possunt, ratione necessitatis, ad vitanda maiora mala comparere; certiore tamen facto Superiore a quo venia obtenta non fuit.

### CAN. 121.

Clerici omnes a servitio militari, a muneribus et publicis civilibus officiis a statu clericali alienis immunes sunt.

### CAN. 122.

Clericis qui creditoribus satisfacere coguntur, salva sint quae ad honestam sui sustentationem, prudenti ecclesiastici iudicis arbitrio, sunt necessaria, firma tamen eorundem obligatione creditoribus quamprimum satisfaciendi.

CAN. **123.**

**Memoratis privilegiis clericus renuntiare nequit; sed eadem amittit, si ad statum laicalem reducatur aut privatione perpetua iuris deferendi habitum ecclesiasticum plectatur, ad normam can. 230á; recuperat vero, si haec poena remittatur aut ipse rursus inter clericos admittatur.**

## TITULUS III.

### De obligationibus clericorum.

CAN. **124.**

**Clerici debent sanctiorem prae laicis vitam interiorem et exteriorem ducere eisque virtute et recte factis in exemplum excellere.**

CAN. **125.**

**Curent locorum Ordinarii :**

**1.° Ut clerici omnes poenitentiae sacramento frequenter conscientiae maculas eluant;**

**2.° Ut iidem quotidie orationi mentali per aliquod tempus incumbant, sanctissimum Sacramentum visitent, Deiparam Virginem mariano rosario colant, conscientiam suam discutiant.**

CAN. **126.**

**Omnes sacerdotes saeculares debent tertio saltem quoque anno spiritualibus exercitiis, per tempus a proprio Ordinario determinandum, in pia aliqua religiosave domo ab eodem designata vacare; neque ab eis quisquam eximatur, nisi in casu particulari, iusta de causa ac de expressa eiusdem Ordinarii licentia.**

CAN. **127.**

**Omnes clerici, praesertim vero presbyteri, speciali obligatione tenentur suo quisque Ordinario reverentiam et obedientiam exhibendi.**

CAN. **128.**

**Quoties et quandiu id, iudicio proprii Ordinarii, exigat Ecclesiae necessitas, ac nisi legitimum impedimentum excuset, suscipiendum est clericis ac fideliter implendum munus quod ipsis fuerit ab Episcopo commissum.**

CAN. 129.

**Clerici studia, praesertim sacra, recepto sacerdotio, ne intermittant; et in sacris disciplinis solidam illam doctrinam a maioribus traditam et communiter ab Ecclesia receptam sectentur, devitantes profanas vocum novitates et falsi nominis scientiam.**

CAN. **130.**

**§ 1. Expleto studiorum curriculo, sacerdotes omnes, etsi beneficium paroeciale aut canonicale consecuti, nisi ab Ordinario loci ob iustam cau-**

**sam fuerint exempti, examen singulis annis saltem per integrum triennium in diversis sacrarum scientiarum disciplinis, antea opportune designatis, subeant secundum modum ab eodem Ordinario determinandum.**

§ 2. **In collatione officiorum et beneficiorum ecclesiasticorum ratio habeatur eorum qui, ceteris paribus, in memoratis periculis magis praestiterunt.**

CAN. 131.

§ 1. **In civitate episcopali et in singulis vicariatibus foraneis saepius in anno, diebus arbitrio Ordinarii loci praestituendis, conventus habeantur, quos** *collationes* **seu** *conferentias* **vocant, de re morali et liturgica; quibus addi possunt aliae exercitationes, quas Ordinarius opportunas iudicaverit ad scientiam et pietatem clericorum promovendam.**

§ 2. **Si conventus haberi difficile sit, resolutae quaestiones scriptae mittantur, secundum normas ab Ordinario statuendas.**

§ 3. **Conventui interesse, aut, deficiente conventu, scriptam casuum solutionem mittere debent, nisi a loci Ordinario exemptionem antea expresse obtinuerint, tum omnes sacerdotes saeculares, tum religiosi licet exempti curam animarum habentes et etiam, si collatio in eorum domibus non habeatur, alii religiosi qui facultatem audiendi confessiones ab Ordinario obtinuerunt.**

CAN. 132.

§ 1. **Clerici in maioribus ordinibus constituti a nuptiis arcentur et servandae castitatis obligatione ita tenentur, ut contra eandem peccantes sacrilegii quoque rei sint, salvo praescripto can.** 214, § 1.

§ 2. **Clerici minores possunt quidem nuptias inire, sed, nisi matrimonium fuerit nullum vi aut metu eisdem incusso, ipso iure e statu clericali decidunt.**

§ 3. **Coniugatus qui sine dispensatione apostolica ordines maiores, licet bona fide, suscepit, ab eorundem ordinum exercitio prohibetur.**

CAN. 133.

§ 1. **Caveant clerici ne mulieres, de quibus suspicio esse possit, apud se retineant aut quoquo modo frequentent.**

§ 2. **Eisdem licet cum illis tantum mulieribus cohabitare in quibus naturale foedus nihil mali permittit suspicari, quales sunt mater, soror, amita et huiusmodi, aut a quibus spectata morum honestas, cum provectior aetate coniuncta, omnem suspicionem amoveat.**

§ 3. **Iudicium an retinere vel frequentare mulieres, etiam illas in quas communiter suspicio non cadit, in peculiari aliquo casu scandalo esse possit aut incontinentiae afferre periculum, ad Ordinarium loci pertinet, cuius est clericos ab hac retentione vel frequentatione prohibere.**

§ 4. **Contumaces praesumuntur concubinari^.**

CAN. 134.

**Consuetudo vitae communis inter clericos laudanda ac suadenda est, eaque, ubi viget, quantum fieri potest, servanda.**

CAN. **135.**

**Clerici, in maioribus ordinibus constituti, exceptis iis de quibus in can. 213, 214, tenentur obligatione quotidie horas canonicas integre recitandi secundum proprios et probatos liturgicos libros.**

CAN. **136.**

**§ 1. Omnes clerici decentem habitum ecclesiasticum^ secundum legitimas locorum consuetudines et Ordinarii loci praescripta, deferant, tonsuram seu coronam clericalem, nisi recepti populorum mores aliter ferant, gestent, et capillorum simplicem cultum adhibeant.**

**§ 2. Annulo ne utantur, nisi id ipsis a iure aut apostolico privilegio sit concessum.**

**§ 3. Clerici minores qui propria auctoritate sine legitima causa habitum ecclesiasticum et tonsuram dimiserint, nec, ab Ordinario moniti, sese intra mensem emendaverint, ipso iure e statu clericali decidunt.**

CAN. **137.**

**A fideiubendo, etiam de bonis propriis, clericus prohibetur, inconsulto loci Ordinario.**

CAN. **138.**

**Clerici ab iis omnibus quae statum suum dedecent, prorsus abstineant : indecoras artes ne exerceant; aleatoriis ludis, pecunia exposita, ne vacent; arma ne gestent, nisi quando iusta timendi causa subsit; venationi ne indulgeant, clamorosam autem nunquam exerceant; tabernas aliaque, similia loca sine necessitate aut alia iusta causa ab Ordinario loci probata ne ingrediantur.**

CAN. **139.**

**§ 1. Ea etiam quae, licet non indecora, a clericali tamen statu aliena sunt, vitent.**

**§ 2. Sine apostolico indulto medicinam vel chirurgiam ne exerceant; tabelliones seu publicos notarios, nisi in Curia ecclesiastica, ne agant; officia publica, quae exercitium laicalis iurisdictionis vel administrationis secumferunt, ne assumant.**

**§ 3. Sine licentia sui Ordinarii ne ineant gestiones bonorum ad laicos pertinentium aut officia saecularia quae secumferant onus reddendarum rationum; procuratoris aut advocati munus ne exerceant, nisi in tribunali ecclesiastico, aut in civili quando agitur de causa propria aut suae ecclesiae; in laicali iudicio criminali, gravem personalem poenam prosequente, nullam partem habeant, ne testimonium quidem sine necessitate ferentes.**

**§ 4. Senatorum aut oratorum legibus ferendis, quos *deputatos* vocant, munus ne sollicitent neve acceptent sine licentia Sanctae Sedis in locis ubi pontificia prohibitio intercesserit; idem ne attentent aliis in locis sine licentia tum sui Ordinarii, tum Ordinarii loci in quo electio facienda est.**

CAN. **140.**

**Spectaculis, choréis et pompis quae eos dedecent, vel quibus clericos interesse scandalo sit, praesertim in publicis theatris, ne intersint.**

CAN. **141.**

**§ 1. Saecularem militiam ne capessant voluntarii, nisi cum sui Ordinarii licentia, ut citius liberi evadant, id fecerint; neve intestinis bellis et ordinis publici perturbationibus opem quoquo modo ferant.**

**§ 2. Clericus minor qui contra praescriptum § 1 sponte sua militiae nomen dederit, ipso iure e statu clericali decidit.**

CAN. **142.**

**Prohibentur clerici per se vel per alios negotiationem aut mercaturam exercere sive in propriam sive in aliorum utilitatem.**

CAN. **143.**

**Clerici, licet beneficium aut officium residentiale non habeant, a sua tamen dioecesi per notabile tempus sine licentia saltem praesumpta Ordinarii proprii ne discedant.**

CAN. **144.**

**Qui cum licentia sui Ordinarii in aliam dioecesim transierit, suae dioecesi manens incardinatus, revocari potest, iusta de causa et naturali aequitate servata; et etiam Ordinarius alienae dioecesis potest ex iusta causa eidem denegare licentiam ulterioris commorationis in proprio territorio, nisi beneficium eidem contulerit.**

## TITULUS IV.

### De officiis ecclesiasticis.

CAN. **145.**

**§ 1. Officium ecclesiasticum lato sensu est quodlibet munus quod in spiritualem finem legitime exercetur; stricto autem sensu est munus ordinatione sive divina sive ecclesiastica stabiliter constitutum, ad normam sacrorum canonum conferendum, aliquam saltem secumferens participationem ecclesiasticae potestatis sive ordinis sive iurisdictionis.**

**§ 2. In iure officium ecclesiasticum accipitur stricto sensu, nisi aliud ex contextu sermonis appareat.**

CAN. 146.

**De beneficialibus officiis in specie, praeter canones qui sequuntur» custodiantur insuper praescripta can. 1409 seqq.**

## CAPUT I.

### *De provisione officiorum ecclesiasticorum.*

CAN. **147.**

**§ 1. Officium ecclesiasticum nequit sine provisione canonica valide obtineri.**

**§ 2. Nomine** *canonicae provisionis* **venit concessio officii ecclesiastici a competente auctoritate ecclesiastica ad normam sacrorum canonum facta.**

CAN. **148.**

**§ 1. Provisio officii ecclesiastici fit vel per liberam collationem a legitimo Superiore, vel per eius institutionem, si praecesserit praesentatio a patrono aut nominatio, vel per eius confirmationem aut admissionem, si praecesserit electio aut postulatio, vel tandem per simplicem electionem et electi acceptationem, si electio non egeat confirmatione.**

**§ 2. De officiorum provisione per institutionem serventur praescripta can. 1448-1471.**

CAN. **149.**

**Electi, postulati, praesentati vel nominati a quibusvis personis ad ecclesiastica officia ne confirmentur, admittantur, instituantur a Superiore infra Romanum Pontificem, nisi antea fuerint a proprio Ordinario idonei reperti, etiam per examen, si id ius vel officii ratio postulet aut Ordinarius opportunum iudicaverit.**

CAN. **150.**

**§ 1. Provisio officii de iure non vacantis ad normam can. 183, § 1, est ipso facto irrita, nec subsequente vacatione convalescit.**

**§ 2. Nec promissio eiusdem officii, quicunque illud promiserit, ullum parit iuridicum effectum.**

CAN. **151.**

**Officium de iure vacans quod forte adhuc ab aliquo illegitime possidetur, conferri potest, dummodo rite secundum sacros canones declaratum fuerit eam possessionem non esse legitimam, et de hac declaratione mentio fiat in litteris collationis.**

### ART. I. — **De** *libera collatione.*

CAN. **152.**

**Loci Ordinarius ius habet providendi officiis ecclesiasticis in proprio territorio, nisi aliud probetur; hac tamen potestate caret Vicarius Generalis sine mandato speciali.**

CAN. **153.**

**§ 1. Ad vacans officium promovendus debet esse clericus, iis qualitatibus praeditus, quae a iure communi vel particulari aut a lege fundationis ad idem officium requiruntur.**

**§ 2. Assumatur, omnibus perpensis, magis idoneus sine ulla personarum acceptione.**

**§ 3. Cum provisus caret qualitatibus requisitis, provisio est nulla, si ita cautum sit iure communi vel particulari aut lege fundationis; secus est valida, sed per sententiam a legitimo Superiore irritari potest.**

CAN. **154.**

**Officia quae curam animarum sive in foro externo sive in interno secumferunt, clericis nondum sacerdotio initiatis conferri valide nequeunt.**

CAN. **155.**

**Officiorum provisio cui nullus terminus fuit speciali lege praescriptus, nunquam differatur ultra sex menses utiles ab habita notitia vacationis, firmo praescripto can. 458.**

CAN. **156.**

**§ 1. Nemini conferantur duo officia incompatibilia.**

**§ 2. Sunt incompatibilia officia quae una simul ab eodem adimpleri nequeunt.**

**§ 3. Firmo praescripto can. 188, n. 3, concessio alterius officii a Sede Apostolica facta non valet, nisi in supplici libello mentio prioris incompatibilis habeatur, aut clausula derogatoria adiiciatur.**

CAN. **157.**

**Officium vacans per renuntiationem vel per sententiam privationis nequit ab Ordinario, qui renuntiationem acceptavit aut sententiam tulit, valide conferri suis aut resignantis familiaribus, consanguineis vel affinibus usque ad secundum gradum inclusive.**

CAN. **158.**

**Qui, alius negligentiam vel impotentiam supplens, officium confert, nullam inde potestatem acquirit in nominatum; sed huius iuridicus status perinde constituitur, ac si provisio ad ordinariam iuris normam, peracta fuisset.**

CAN. **159.**

**Cuiuslibet officii provisio scripto consignetur.**

ART. U. — ***De electione.***

CAN. 160.

**Romani Pontificis electio unice regitur const. Pii X** *Vacante Sede Apostolica,* **25 Dec. 1904; in aliis electionibus ecclesiasticis serventur praescripta canonum qui sequuntur, et peculiaria, si qua sint, pro singulis officiis legitime statuta.**

CAN. 161.

**Si cui collegio sit ius eligendi ad vacans officium, electio, nisi aliud iure cautum fuerit, nunquam differatur ultra trimestre utile computan-**

**dum ab habita notitia vacationis officii; quo termino inutiliter elapso, Superior ecclesiasticus, cui ius confirmandae electionis vel ius providendi successive competit, officio vacanti libere provideat.**

CAN. **162.**

**§ 1. Salvis peculiaribus constitutionibus vel consuetudinibus, collegii praeses, statuto modo, loco ac tempore electoribus convenienti, convocet omnes de collegio; et convocatio, quando personalis esse debet, valet, si fiat vel in loco domicilii aut quasi-domicilii vel in loco commorationis.**

**§ 2. Si quis ex vocandis neglectus et ideo absens fuerit, electio valet, sed ad eius instantiam debet, probata praeteritione et absentia, a competente Superiore irritari, etiam secuta confirmatione, dummodo iuridice constet recursum saltem intra triduum ab habita notitia electionis fuisse transmissum.**

**§ 3. Quod si plures quam tertia pars electorum neglecti fuerint, electio est ipso iure nulla.**

**§ 4. Defectus convocationis non obstat, si praetermissi nihilominus interfuerint.**

**§ 5. Si agatur de electione ad officium quod electus ad vitam retinet, convocatio electorum ante officii vacationem nullum habet iuridicum effectum.**

CAN. **1637**

**Convocatione legitime secuta, ius eligendi pertinet ad eos qui praesentes sunt die in convocatione statuto, exclusa facultate ferendi suffragia non solum per epistolam, sed etiam'per procuratorem, nisi lege peculiari aliud caveatur.**

CAN. **164.**

**Etsi quis plures ob titulos ius habeat ferendi nomine proprio suffragii, non potest nisi unicum ferre.**

CAN. **165.**

**Nullus collegio extraneus admitti potest ad suffragium, salvis privilegiis legitime quaesitis; secus", electio est ipso facto nulla.**

CAN. **166.**

**Si laici contra canonicam libertatem electioni ecclesiasticae quoquo modo sese immiscuerint, electio ipso iure invalida est.**

CAN. **167.**

**§ 1. Nequeunt suffragium ferre :**

**1.° Incapaces actus humani;®**

**2.° Impuberes;**

**3.° Censura vel infamia iuris affecti, post sententiam tamen declaratoriam vel condemnatoriam;**

**4.° Qui sectae haereticae vel schismaticae nomen dederunt vel publice adhaeserunt;**

**5.° Carentes voce activa sive ob legitimam iudicis sententiam sive ex iure communi aut particulari.**

**§ 2. Si quis ex praedictis admittatur, eius suffragium est nullum, sed electio valet, nisi constet, eo dempto, electum non retulisse requisitum suffragiorum numerum, aut nisi scienter admissus fuerit excommunicatus per sententiam declaratoriam vel condemnatoriam.**

CAN. **168.**

**Si quis ex electoribus praesens in domo sit in qua fit electio, sed electioni ob infirmam valetudinem interesse nequeat, suffragium eius scriptum a scrutatoribus exquiratur, nisi aliter particularibus legibus vel legitimis consuetudinibus fuerit constitutum.**

CAN. **169.**

**§ 1. Suffragium est nullum, nisi fuerit :**

**1.° Liberum; et ideo invalidum est suffragium, si elector metu gravi aut dolo, directe vel indirecte, adactus fuerit ad eligendam certam personam aut plures disiunctive;**

**2.° Secretum, certum, absolutum, determinatum.**

**§ 2. Conditiones ante electionem suffragio appositae tanquam non adiectae censentur.**

CAN. **170.**

**Suffragium sibimetipsi nemo valide dare potest.**

. CAN. **171.**

**§ 1. Ante electionem per secreta suffragia deputentur, nisi iam propriis statutis deputati sint, e gremio collegii duo saltem scrutatores, qui una cum praeside, si et ipse e gremio collegii sit, iusiurandum interponant de munere fideliter implendo ac de secreto servando circa acta in comitiis, etiam expleta electione.**

**§ 2. Scrutatores curent ut suffragia secreto, diligenter, singillatim et servato praecedentiae ordine ab unoquoque electore ferantur; collectisque ad ultimum suffragiis, coram praeside electionis, secundum formam propriis constitutionibus vel legitimis consuetudinibus statutam, inspiciant an suffragiorum numerus respondeat numero electorum, suffragia ipsa scrutentur palamque faciant quot quisque retulerit.**

**§ 3. Si numerus suffragiorum superet numerum eligentium, nihil est actum.**

**§ 4. Suffragia statim, peracto unoquoque scrutinio, vel post sessionem, si in eadem sessione habeantur plura scrutinia, comburantur.**

**§ 5. Omnia electionis acta ab eo, qui actuarii munere fungitur, accurate describantur, et saltem ab eodem actuario, praeside ac scrutatoribus subscripta, in collegii tabulario diligenter asserventur.**

CAN. **172.**

**§ 1. Electio, nisi aliud iure caveatur, fieri etiam potest per compromissum, si nempe electores, unanimi et scripto consensu, in unum vel**

**plures idoneos sive de gremio sive extraneos ius eligendi pro ea vice transferant, qui nomine omnium ex recepta facultate eligant.**

**§ 2. Si agatur de clericali collegio, compromissarii debent esse sacerdotes, secus electio est invalida.**

**§ 3. Compromissarii debent pro validitate electionis conditiones compromisso appositas, quae non sint contra ius commune, observare; si nullae conditiones additae fuerint, servandum ipsis est ius commune circa electiones; conditiones autem contra ius pro non appositis habeantur.**

**§ 4. Si ab electoribus in unam tantum compromissum fuerit personam, haec nequit seipsam eligere; si plures designati fuerint compromissarii, nemo ex iis proprio consensu potest accedere reliquis ipsum eligentibus ut electionem sui compleat.**

CAN. **173.** ,

**Cessat compromissum et ius eligendi redit ad compromittentes :**

**1.° Revocatione a collegio facta, re integra;**

**2.° Non secuta aut non servata aliqua conditione compromisso apposita;**

**3.° Electione absoluta, si fuerit nulla.**

CAN. **174,**

**Is electus habeatur et a collegii praeside proclametur, qui requisitum suffragiorum numerum retulerit, ad normam can. 101, § 1, n. 1.**

CAN. 175,

**Electio illico intimanda est electo, qui debet saltem intra octiduum utile a recepta intimatione manifestare utrum electioni consentiat, an eidem renuntiet; secus omne ius ex electione quaesitum amittit.**

CAN. **176.**

**§ 1. Si electus renuntiaverit, omne ius ex electione quaesitum amittit, etsi renuntiationis eum postea poeniteat; sed rursus eligi potest; collegium autem intra mensem a cognita renuntiatione ad novam electionem procedere debet.**

**§ 2. Acceptatione electionis electus, si confirmatione non egeat, plenum ius statim obtinet; secus, non acquirit nisi ius ad rem.**

**§ 3. Ante acceptatam confirmationem ipsi praetextu electionis non licet sese immiscere administrationi officii sive in spiritualibus sive in temporalibus, et actus ab eo forte positi nulli sunt.**

CAN. **177.**

**§ 1. Electus, si electio confirmatione indigeat, saltem intra octiduum a die acceptatae electionis confirmationem a competente Superiore petere per se vel per alium debet; secus omni iure privatur, nisi probaverit se a petenda confirmatione iusto impedimento fuisse detentum.**

**§ 2. Superior, si electum repererit idoneum, et electio ad normam iuris fuerit peracta, nequit confirmationem denegare.**

**§ 3. Confirmatio in scriptis dari debet.**

**§ 4. Recepta confirmatione, electus obtinet plenum ius in officio, nisi aliud in iure caveatur.**

CAN. **178.**

**Si electio intra praescriptum tempus peracta non fuerit, aut collegium iure eligendi privetur in poenam, libera officii provisio ad eum Superiorem devolvitur, a quo confirmanda esset electio vel cui ius providendi successive competit.**

ART. III. — ***De postulatione.***

CAN. 179.

**§ 1. Si electioni illius quem electores aptiorem putent ac praeferant, impedimentum obest, super quo dispensari possit ac soleat, suis ipsi suffragiis eum possunt, nisi aliud iure caveatur, a competente Superiore postulare, etsi agatur de officio, pro quo electus confirmatione non egeat.**

**§ 2. Compromissarii postulare nequeunt, nisi id in mandato aut compromisso fuerit expressum.**

CAN. 180.

**§ 1. Ut postulatio vim habeat, pro ea stet oportet maior suffragiorum pars, imo, si cum electione concurrat, saltem duae tertiae partes requiruntur.**

**§ 2. Suffragium pro postulatione exprimi debet per verbum :** *postulo,* **aut aequivalens; formula :** *eligo vel postulo,* **aut aequipollens, valet pro electione, si impedimentum non exsistat, secus pro postulatione.**

CAN. **18.1.**

**§ 1. Postulatio saltem intra octiduum mitti debet ad Superiorem ad quem pertinet electionem confirmare, si facultatem habeat ab impedimento dispensandi; secus ad Romanum Pontificem aut ad alium habentem facultatem.**

**;§ 2. Si intra praescriptum tempus postulatio missa non fuerit, ipso facto nulla evadit et electores pro ea vice privantur iure eligendi aut postulandi, nisi probent se a mittenda postulatione iusto detentos fuisse impedimento.**

**§ 3. Per postulationem nullum ius postulato acquiritur, et Superiori licet eandem repellere.**

**§ 4. Praesentatam Superiori postulationem electores revocare non possunt, nisi Superiore consentiente.**

CAN. **182.**

**§ 1. Reiecta a Superiore postulatione, ius eligendi ad collegium redit, nisi electores scienter illum postulaverint qui tali detinetur impedimento in quo nequeat aut non soleat dispensari; tunc enim provisio ad Superiorem pertinet.**

**§ 2. Quod si postulatio admissa fuerit, id significetur postulato, qui respondere debet ad normam can. 175.**

**§ 3. Si eam acceptet, plenum ius in officio eidem statim acquiritur.**

## CAPUT II.

## *De amissione officiorum ecclesiasticorum.*

### CAN. 183.

**§ 1. Amittitur officium ecclesiasticum renuntiatione, privatione, amotione, translatione, lapsu temporis praefiniti.**

**§ 2. Resoluto quovis modo iure Superioris a quo fuerat concessum, officium ecclesiasticum non amittitur, nisi lex aliud caveat aut nisi in concessione habeatur clausula :** *ad beneplacitum nostrum,* **vel alia aequipollens.**

### CAN. 184.

**Quisque sui compos potest officio ecclesiastico iusta de causa renuntiare, nisi speciali prohibitione renuntiatio sit ipsi interdicta.**

### CAN. 185.

**Renuntiatio ex metu gravi, iniuste incusso, dolo aut errore substantiali vel simoniace facta, irrita est ipso iure.**

### CAN. 186.

**Renuntiatio, ut valida sit, fieri debet a renuntiante aut scripto aut oretenus coram duobus testibus aut etiam per procuratorem speciali mandato munitum; et scriptum renuntiationis documentum in Curia deponatur.**

### CAN. 187.

**§ 1. Renuntiatio generatim, ut valeat, ei fieri debet a quo est acceptanda, vel, si acceptatione non egeat, a quo clericus officium accepit vel qui eiusdem locum tenet.**

**§ 2. Quare si officium per confirmationem, admissionem vel institutionem collatum fuerit, renuntiatio fieri debet Superiori ad quem de iure ordinario confirmatio, admissio vel institutio spectat.**

### CAN. 188.

**Ob tacitam renuntiationem ab ipso iure admissam quaelibet officia vacant ipso facto et sine ulla declaratione, si clericus :**

**1.° Professionem religiosam emiserit, salvo, circa beneficia, praescripto can. 584;**

**2.° Intra tempus utile iure statutum vel, deficiente iure, ab Ordinario determinatum, de officio provisus illud adire neglexerit;**

**3.° Aliud officium ecclesiasticum cum priore incompatibile acceptaverit et eiusdem pacificam possessionem obtinuerit;**

**4.° A fide catholica publice defecerit;**

**5.° Matrimonium, etiam civile tantum, ut aiunt, contraxerit;**

**6.° Contra praescriptum can. 141, § 1 militiae saeculari nomen sponte dederit;**

**7.° Habitum ecclesiasticum propria auctoritate sine iusta causa deposuerit, nec illum, ab Ordinario monitus, intra mensem a monitione recepta resumpserit;**

**8.° Residentiam, qua tenetur, illegitime deseruerit et receptae Ordinarii monitioni, legitimo impedimento non detentus, intra congruum tempus ab Ordinario praefinitum, nec paruerit nec responderit.**

CAN. **189.**

**§ 1. Superiores sine iusta et proportionata causa renuntiationes ne acceptent.**

**§ 2. Renuntiationem Ordinarius loci intra mensem vel admittat vel reficiat.**

CAN. **190.**

**§ 1. Officium, renuntiatione legitime facta et acceptata, vacat postquam renuntianti significata est acceptatio.**

**§ 2. Renuntians in officio permaneat donec de Superioris acceptatione certum nuntium acceperit.**

CAN. **191.**

**§ 1. Semel legitime facta renuntiatione, non datur amplius poenitentiae locus, licet renuntians possit officium ex alio titulo consequi.**

**§ 2. Acceptata renuntiatio tempestive nota fiat iis qui aliquod ius in officii provisionem habent.**

CAN. **192.**

**§ 1. Privatio officii incurritur sive ipso iure, sive ex facto legitimi Superioris.**

**§ 2. Si agatur de officio inamovibili, Ordinarius nequit clericum eodem privare, nisi mediante processu ad normam iuris.**

**§ 3. Si de amovibili, privatio decerni ab Ordinario potest ex qualibet iusta causa, prudenti eius arbitrio, etiam citra delictum, naturali aequitate servata, sed certum procedendi modum sequi minime tenetur, salvo canonum praescripto circa paroecias amovibiles; privatio tamen effectum non habet, nisi postquam fuerit a Superiore intimata; et ab Ordinarii decreto datur recursus ad Sedem Apostolicam, sed in devolutivo tantum,**

CAN. **193.**

**§ 1. Translatio ab uno ad aliud officium ecclesiasticum ab eo tantum perfici potest, qui ius habet tum acceptandi renuntiationem, tum removendi a primo officio et promovendi ad alterum.**

**§ 2. Ad translationem, si de consensu clerici fiat, quaelibet iusta causa sufficit; si invito clerico, eadem fere causa requiritur idemque procedendi modus ac pro privatione, firmo praescripto can. 2162-2167, quod ad translationem attinet parochorum.**

CAN. **194.**

**§ 1. In translatione prius officium vacat cum clericus alterius possessionem canonice capit, nisi aliud a iure cautum sit vel a legitimo Superiore praescriptum.**

**§ 2. Reditus prioris officii translatus percipit, donec aliud occupaverit.**

CAN. **195.**

**Qui clericum ad officium elegerunt vel postulaverunt aut praesentaverunt, nequeunt eundem -officio privare aut ab eo revocare seu amovere aut ad aliud transferre.**

## TITULUS V.

### De potestate ordinaria et delegata.

CAN. **196.**

**Potestas iurisdictionis seu regiminis quae ex divina institutione est in Ecclesia, alia est fori externi, alia fori interni, seu conscientiae, sive sacramentalis sive extra-sacramentalis.**

CAN. **197.**

**§ 1. Potestas iurisdictionis ordinaria ea est quae ipso iure adnexa est officio; delegata, quae commissa est personae.**

**§ 2. Potestas ordinaria potest esse sive propria sive vicaria.**

CAN. **198.**

**§ 1. In iure nomine** *Ordinarii* **intelliguntur, nisi quis expresse excipiatur, praeter Romanum Pontificem, pro suo quisque territorio Episcopus residentialis, Abbas vel Praelatus** *nullius* **eorumque Vicarius Generalis, Administrator, Vicarius et Praefectus Apostolicus, itemque ii qui praedictis deficientibus interim ex iuris praescripto aut ex probatis constitutionibus succedunt in regimine, pro suis vero subditis Superiores maiores in religionibus clericalibus exemptis.**

**§ 2. Nomine autem** *Ordinarii loci* **seu** *locorum* **veniunt omnes recensiti, exceptis Superioribus religiosis.**

CAN. **199.**

**§ 1. Qui iurisdictionis potestatem habet ordinariam, potest eam alteri ex toto vel ex parte delegare, nisi aliud expresse iure caveatur.**

**§ 2. Etiam potestas iurisdictionis ab Apostolica Sede delegata subdelegari potest sive ad actum, sive etiam habitualiter, nisi electa fuerit industria personae aut subdelegatio prohibita.**

**§ 3. Potestas delegata ad universitatem negotiorum ab eo qui infra Romanum Pontificem habet ordinariam potestatem, potest in singulis casibus subdelegari.**

**§ 4. In aliis casibus potestas iurisdictionis delegata subdelegari potest tantummodo ex concessione expresse facta, sed articulum aliquem**

**non iurisdictionalem etiam sine expressa commissione iudices delegati possunt subdelegare.**

§. 5. **Nulla subdelegata potestas potest iterum subdelegari, nisi id expresse concessum fuerit.**

CAN. 200.

§ 1. **Potestas iurisdictionis ordinaria et ad universitatem negotiorum delegata, late interpretanda est; alia quaelibet stricte; cui tamen delegata potestas est, ea quoque intelliguntur concessa, sine quibus eadem exerceri non posset.**

§ 2. **Ei, qui delegatum se asserit, incumbit onus probandae delegationis.**

CAN. 201.

§ 1. **Potestas iurisdictionis potest in solos subditos directe exerceri.**

§ 2. **Iudicialis potestas tam ordinaria quam delegata exerceri nequit in proprium commodum aut extra territorium, salvis praescriptis can.** 401, § 1, 881, § 2 **et** 1637.

§ 3. **Nisi aliud ex rerum natura aut ex iure constet, potestatem iurisdictionis voluntariam seu non-iudicialem quis exercere potest etiam in proprium commodum, aut extra territorium exsistens, aut in subditum e territorio absentem.**

CAN. 202.

§ 1. **Actus potestatis iurisdictionis sive ordinariae sive delegatae collatae pro foro externo, valet quoque pro interno, non autem e converso.**

§ 2. **Potestas collata pro foro interno exerceri potest etiam in foro interno extra-sacramentali, nisi sacramentale exigatur.**

§ 3. **Si forum, pro quo potestas data est, expressum non fuerit, potestas intelligitur concessa pro utroque foro, nisi ex ipsa rei natura aliud constet.**

CAN. 203.

§ 1. **Delegatus qui sive circa res sive circa personas mandati sui fines excedit, nihil agit.**

§ 2. **Hos tamen excessisse non intelligitur delegatus, qui alio modo ac deleganti placuerit, ea ad quae delegatus est, peragit, nisi modus ipse fuerit a delegante praescriptus tanquam conditio.**

CAN. 204.

§ .1. **Quod quis superiorem adit, inferiore praetermisso, non idcirco voluntaria suspenditur inferioris potestas, sive haec ordinaria fuerit sive delegata.**

§ 2. **Attamen rei ad Superiorem delatae ne se immisceat inferior, nisi ex gravi urgentique causa; et hoc in casu statim Superiorem de re moneat.**

CAN. 205.

§ 1. **Si plures iurisdictionem delegatam obtinuerint pro eodem negotio, et dubitetur utrum delegatio facta fuerit in solidum an collegia-**

**Uter, praesumitur facta in solidum in re voluntaria, collegialiter in re iudiciali.**

**§ 2. Pluribus in solidum delegatis, qui antea negotium occupavit, alios ab eodem excludit, nisi aut posthac impediatur aut nolit ulterius in negotio procedere.**

**§ 3. Pluribus collegialiter delegatis, omnes simul pro actorum validitate in negotio expediendo procedere debent, nisi in mandato aliud cautum sit.**

CAN. **206.**

**Pluribus successive delegatis, ille negotium expedire debet cuius mandatum anterius est nec posteriore rescripto expresse abrogatum fuit.**

CAN. **207.**

**§ 1. Potestas delegata exstinguitur, expleto mandato; elapso tempore aut exhausto numero casuum pro quo concessa fuit; cessante causa finali delegationis; revocatione delegantis delegato directe intimata aut renuntiatione delegati deleganti directe intimata et ab eodem acceptata; non autem resoluto iure delegantis, nisi in duobus casibus de quibus in can. 61.**

**§ 2. Sed potestate pro foro interno concessa, actus per inadvertentiam positus, elapso tempore vel exhausto casuum numero, validus est.**

**§ 3. Pluribus collegialiter delegatis, si unus deficiat, aliorum quoque delegatio exspirat, nisi aliud ex tenore delegationis constet.**

CAN. **208.**

**Ad normam can. 183, § 2, potestas ordinaria non exstinguitur resoluto iure concedentis officium, cui adnexa est; sed cessat, amisso officio; silet, legitima appellatione interposita, nisi forte appellatio sit tantum in devolutivo, firmo praescripto can. 2264, 2284.**

CAN. **209.**

**In errore communi aut in dubio positivo et probabili sive iuris sive facti, iurisdictionem supplet Ecclesia pro foro tum externo tum interno.**

CAN. **210.**

**Potestas ordinis, a legitimo Superiore ecclesiastico sive adnexa officio sive commissa personae, nequit aliis demandari, nisi id expresse fuerit iure vel indulto concessum.**

## TITULUS VI.

### De reductione clericorum ad statum laicalem.

CAN. **211.**

**§ 1. Etsi sacra ordinatio, semel valide recepta, nunquam irrita fiat, clericus tamen maior ad statum laicalem redigitur rescripto Sanctae Sedis, decreto vel sententia ad normam can. 214, demum poena degradationis.**

**§ 2. Clericus minor ad statum laicalem regreditur, non solum ipso**

facto ob causas in iure descriptas, sed etiam sua ipsius voluntate,, praemonito loci Ordinario, aut eiusdem Ordinarii decreto iusta de causa lato^ si nempe Ordinarius, omnibus perpensis, prudenter iudicaverit clericum non posse cum decore status clericalis ad ordines sacros promoveri.

CAN. 212.

§ 1. Qui in minoribus ordinibus constitutus ad statum laicalem quavis de causa regressus est, ut inter clericos denuo admittatur, requiritur licentia Ordinarii dioecesis cui incardinatus fuit per ordinationem, non concedenda, nisi post diligens examen super vita et moribus, et congruum, iudicio ipsius Ordinarii, experimentum.

§ 2. Clericus vero maior qui ad statum laicalem rediit, ut inter clericos denuo admittatur, indiget Sanctae Sedis licentia.

CAN. 213.

§ 1. Omnes qui e clericali statu ad laicalem legitime redacti aut regressi sunt, eo ipso amittunt officia, beneficia, iura ac privilegia clericalia et vetantur in habitu ecclesiastico incedere ac tonsuram deferre.

§ 2. Clericus tamen maior obligatione coelibatus tenetur, salvo praescripto can. 214.

CAN. 214.

§ 1. Clericus qui metu gravi coactus ordinem sacrum recepit nec postea, remoto metu, eandem ordinationem ratam habuit saltem tacite per ordinis exercitium, volens tamen per talem actum obligationibus clericalibus se subiicere, ad statum laicalem, legitime probata coactione et ratihabitionis defectu, sententia iudicis redigatur, sine ullis coelibatus ac horarum canonicarum obligationibus.

§ 2. Coactio autem et defectus ratihabitionis probari debent ad normam can. 3993-1998.

## SECTIO II.

## De clericis in specie.

CAN. 215.

§ 1. Unius supremae ecclesiasticae potestatis est provincias ecclesiasticas, dioeceses, abbatias vel praelaturas *nullius*, vicariatus apostolicos, praefecturas apostolicas erigere, aliter circumscribere, dividere, unire, supprimere.

§ 2. In iure nomine dioecesis venit quoque abbatia vel praelatura *nullius;* et nomine Episcopi, Abbas vel Praelatus *nullius*, nisi ex natura rei vel sermonis contextu aliud constet.

CAN. 216.

§ 1. Territorium cuiuslibet dioecesis dividatur in distinctas partes territoriales; unicuique autem parti sua peculiaris ecclesia cum populo determinato est assignanda, suusque peculiaris rector, tanquam proprius eiusdem pastor, est praeficiendus pro necessaria animarum cura.

**§ 2. Pari modo vicariatus apostolicus et praefectura apostolica, ubi commode fieri possit, dividantur.**

**§ 3. Partes dioecesis de quibus in § 1, sunt** *paroeciae;* **partes vicariatus apostolici ac praefecturae apostolicae, si peculiaris rector eisdem fuerit assignatus, appellantur** *quasi-paroeciae.*

**§ 4. Non possunt sine speciali apostolico indulto constitui paroeciae pro diversitate sermonis seu nationis fidelium in eadem civitate vel territorio degentium, nec paroeciae mere familiares aut personales; ad constitutas autem quod attinet, nihil innovandum, inconsulta Apostolica Sede.**

CAN. **217.**

**§ 1. Episcopus territorium suum in regiones seu districtus, pluribus paroeciis constantes, distribuat, qui veniunt nomine** *vicariatus foranei, decanatus, archipresbyteratus,* **etc.**

**§ 2. Si haec distributio, ratione circumstantiarum, videatur impossibilis aut inopportuna, Episcopus consulat Sanctam Sedem, nisi ab eadem iam fuerit provisum.**

## TITULUS VII.

### De suprema potestate deque iis qui eiusdem sunt ecclesiastico iure participes.

### CAPUT I.
### *De Romano Pontifice.*

CAN. **218.**

**§ 1. Romanus Pontifex, Beati Petri in primatu Successor, habet non solum primatum honoris, sed supremam et plenam potestatem iurisdictionis in universam Ecclesiam tum in rebus quae ad fidem et mores, tum in iis quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent.**

**§ 2. Haec potestas est vere episcopalis, ordinaria et immediata tum in omnes et singulas ecclesias, tum in omnes et singulos pastores et fideles, a quavis humana auctoritate independens.**

CAN. **219.**

**Romanus Pontifex, legitime electus, statim ab acceptata electione, obtinet, iure divino, plenam supremae iurisdictionis potestatem.**

CAN. **220.**

**Gravioris momenti negotia quae uni Romano Pontifici reservantur sive natura sua, sive positiva lege,** *causae maiores* **appellantur.**

CAN. **221.**

**Si contingat ut Romanus Pontifex renuntiet, ad eiusdem renuntiationis validitatem non est necessaria Cardinalium aliorumve acceptatio.**

CAPUT II.

## *De Concilio Oecumenico.*

CAN. 222.

**§ 1. Dari nequit Oecumenicum Concilium quod a Romano Pontifice non fuerit convocatum.**

**§ 2. Eiusdem Romani Pontificis est Oecumenico Concilio per se vel per alios praeesse, res in eo tractandas ordinemque servandum constituere ac designare, Concilium ipsum transferre, suspendere, dissolvere, eiusque decreta confirmare.**

CAN. 223.

**§ 1. Vocantur ad Concilium in eoque ius habent suffragii deliberativi ;**

**1.° S. R. E. Cardinales, etsi non Episcopi;**

**2.° Patriarchae, Primates, Archiepiscopi, Episcopi residentiales, etiam nondum consecrati;**

**3.° Abbates vel Praelati** *nullius;*

**4.° Abbas Primas, Abbates Superiores Congregationum monasticarum, ac supremi Moderatores religionum clericalium exemptarum, non autem aliarum religionum, nisi aliud convocationis decretum ferat.**

**§ 2. Etiam Episcopi titulares, vocati ad Concilium, suffragium obtinent deliberativum, nisi aliud in convocatione expresse caveatur.**

**§ 3. Theologi ac sacrorum canonum periti, ad Concilium forte invitati, suffragium non habent, nisi consultivum.**

CAN. 224.

**§ 1. Si quis ex vocatis ad Concilium ad normam can. 223, § 1, eidem, iusto impedimento detentus, interesse non possit, mittat procuratorem et impedimentum probet.**

**§ 2. Procurator, si fuerit unus e Concilii Patribus, duplici suffragio non gaudet; si non fuerit, publicis tantum sessionibus interesse potest, sed sine suffragio; expleto autem Concilio, huius acta subscribendi ius habet.**

CAN. 225.

**Nemini eorum qui Concilio interesse debent, licet ante discedere, quam Concilium sit rite absolutum, nisi a Concilii praeside cognita ac probata discessionis causa et impetrata abeundi licentia.**

CAN. 226.

**Propositis a Romano Pontifice quaestionibus Patres possunt alias addere, a Concilii tamen praeside antea probatas.**

CAN. 22T.

**Concilii decreta vim definitivam obligandi non habent, nisi a Romano Pontifice fuerint confirmata et eius iussu promulgata.**

CAN. **228.**

**§ 1. Concilium Oecumenicum suprema pollet in universam Ecclesiam potestate.**

**§ 2. Â sententia Romani Pontificis non datur ad Concilium Oecumenicum appellatio.**

CAN. **229.**

**Si contingat Romanum Pontificem, durante Concilii celebratione, e vita decedere, ipso iure hoc intermittitur, donec novus Pontifex illud resumi et continuari iusserit.**

## CAPUT **III.**

## *De Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus.*

CAN. **230.**

**S. R. E. Cardinales Senatum Romani Pontificis constituunt eidemque in regendaJBcclesia praecipui consiliarii et adiutores assistunt.**

CAN. **231.**

**§ 1. Sacrum Collegium in tres ordines distribuitur : episcopalem, ad quem soli pertinent sex Cardinales dioecesibus suburbicariis praepositi; presbyteralem, qui constat Cardinalibus quinquaginta; diaconalem, qui quatuordecim.**

**§ 2. Cardinalibus ordinis presbyteralis ac diaconalis suus cuique titulus aut diaconia in Urbe assignatur a Romano Pontifice.**

CAN. **232.**

**§ 1. Cardinales libere a Romano Pontifice ex toto terrarum orbe eliguntur, viri, saltem in ordine presbyteratus constituti, doctrina, pietate ac rerum agendarum prudentia egregie praestantes.**

**§ 2. A cardinalatus dignitate arcentur :**

**1.° Illegitimi, etiamsi per subsequens matrimonium fuerint legitimati; itemque alii irregulares vel a sacris ordinibus impediti secundum canonicas sanctiones, etsi cum ipsis auctoritate apostolica fuerit ad ordines et dignitates etiam episcopalem dispensatum;**

**2.° Qui prolem etiam ex legitimo matrimonio susceptam, vel nepotem ex ea habent;**

**3.° Qui primo aut secundo gradu consanguinitatis alicui Cardinali viventi coniuncti sunt.**

CAN. **233.**

**§ 1. Cardinales creantur et publicantur a Romano Pontifice in Consistorio sicque creati et publicati obtinent ius ad electionem Romani Pontificis et privilegia de quibus in can. 239.**

**§ 2. Si tamen Romanus Pontifex creationem alicuius in Consistorio annuntiaverit, eius nomine sibi in pectore reservato, sic promotus nullis interim gaudet Cardinalium iuribus aut privilegiis, sed, postquam a Ro-**

**mano Pontifice eius nomen publicatum fuerit, iisdem fruitur a publicatione, iure vero praecedentiae a reservatione in pectore.**

CAN. **234.**

**Promotus absens a Curia debet in recipiendo bireto rubro iurare se intra annum, nisi legitimo detineatur impedimento, Summum Pontificem aditurum.**

CAN. **235.**

**Nisi aliter in casibus particularibus fuerit a Sancta Sede provisum, per promotionem ad sacram purpuram non solum ipso facto vacant dignitates omnes, ecclesiae, beneficia quae promotus possideat, sed etiam pensiones ecclesiasticae amittuntur.**

CAN. **236.**

**§ 1. Per optionem in Consistorio factam et a Summo Pontifice approbatam, possunt, servata prioritate ordinis et promotionis, Cardinales ex ordine presbyterali transire ad alium titulum et Cardinales ex ordine diaconali ad aliam diaconiam et, si per integrum decennium in ordine diaconali permanserint, etiam ad ordinem presbyteralem.**

**§ 2. Cardinalis ex ordine diaconali, transiens per optionem ad ordinem presbyteralem, locum obtinet ante omnes illos Cardinales presbyteros, qui post ipsum ad sacrae purpurae honorem assumpti sunt.**

**§ 3. Suburbicaria si vacet sedes, Cardinales ex ordine presbyterali, qui momento vacationis praesentes fuerint in Curia vel ab ea absentes ad tempus ob sibi commissum negotium aliquod a Romano Pontifice, optare eam possunt in Consistorio, servata prioritate promotionis.**

**§ 4. Cardinales quibus una ex ecclesiis suburbicariis est assignata, aliam optare nequeunt; cum vero Cardinalis gradum Decani attigerit, dioecesim suam Ostiensi cumulat, quae proinde cum alia atque alia dioecesi suburbicaria in persona Cardinalis Decani semper coniungitur.**

CAN. **237.**

**§ 1. Sacro Cardinalium Collegio praeest Decanus, idest antiquior promotione ad aliquam Sedem suburbicariam, cui tamen nulla est in ceteros Cardinales iurisdictio, sed ipse primus habetur inter aequales.**

**§ 2. Vacante decanatu, ipso iure succedit Subdecanus, sive is tempore vacationis sit praesens in Curia, sive in sua suburbicaria dioecesi commoretur, sive absit ad tempus ob sibi commissum munus a Romano Pontifice.**

CAN. **238.**

**§ 1. Cardinales tenentur obligatione residendi in Curia, nec fas est ipsis ab eadem discedere sine licentia Romani Pontificis, salvo praescripto §§ 2, 3 huius canonis.**

**§ 2. Haec obligatio urget quoque Cardinales Episcopos suburbicarios; sed ipsi non indigent licentia ut sese conferant ad dioeceses sibi commissas, quoties opportunum iudicaverint.**

§ 3. **Cardinales qui sunt Episcopi alicuius dioecesis non suburbicariae, lege residendi in Curia eximuntur; sed cum ad Urbem venerint, Summum Pontificem adeant, nec ab Urbe discedant antequam ab eodem abeundi licentiam impetraverint.**

CAN. 239.

§ 1. **Praeter alia privilegia quae in hoc Codice suis in titulis enumerantur, Cardinales omnes a sua promotione in Consistorio facultate gaudent :**

1.° **Audiendi ubique terrarum confessiones etiam religiosorum utriusque sexus et absolvendi ab omnibus peccatis et censuris etiam reservatis, exceptis tantum censuris Sedi Apostolicae specialissimo modo reservatis et illis quae adnexae sunt revelationi secreti S. Ofiicii;**

2.° **Sibi suisque familiaribus eligendi sacerdotem confessionibus excipiendis, qui, si iurisdictione careat, eam ipso iure obtinet, etiam quod spectat ad peccata et censuras, reservatas quoque, illis tantum censuris exceptis, de quibus in n.** 1;

3.° **Verbum Dei ubique praedicandi;**

**4.° Celebrandi vel alii permittendi ut coram se celebret unam Missam in feria V maioris hebdomadae ac tres Missas in nocte Nativitatis Domini;**

**5.° Benedicendi ubique, solo crucis signo, cum omnibus indulgentiis a Sancta Sede concedi solitis, rosaría, aliasque coronas precatorias, cruces, numismata, statuas, scapularia a Sede Apostolica probata eaque imponendi sine onere inscriptionis;**

**6.° Sub unica benedictione erigendi, in ecclesiis et oratoriis etiam privatis aliisque piis locis, stationes** *Viae Crucis* **cum omnibus indulgentiis, quae huiusmodi pium exercitium peragentibus impertitae sunt; nec non benedicendi pro fidelibus, qui causa infirmitatis vel alius legitimi impedimenti sacras stationes** *Viae Crucis* **visitare nequeant, Crucifixi icones cum applicatione omnium indulgentiarum devoto exercitio eiusdem** *Viae Crucis* **a Romanis Pontificibus adnexarum;**

**7.° Celebrandi super aram portatilem non solum in domo propriae habitationis, sed ubicunque degunt; et permittendi ut alia Missa, ipsis adstantibus, celebretur;**

**8.° Celebrandi in mari, debitis cautelis adhibitis;**

9.° **In omnibus ecclesiis et oratoriis Missam celebrandi proprio calendario conformem;**

10.° **Fruendi altari privilegiato personali quotidiano;**

11.° **Lucrandi in propriis sacellis indulgentias, ad quas acquirendas praescripta sit visitatio templi alicuius vel publicae aediculae civitatis seu loci, in quo Cardinales actu commorentur, quo privilegio etiam eorum familiares frui possunt;**

12.° **Benedicendi ubique populo more Episcoporum; sed in Urbe in ecclesiis tantum, piis locis et fidelium consessibus;**

13.° **More Episcoporum gestandi crucem ante pectus etiam supra mozetam atque utendi mitra et baculo pastorali;**

14.° **Sacrum celebrandi in quolibet privato sacello sine praeiudicio illius qui indulto gaudet;**

15.° **Pontificalia cum throno et baldachino peragendi in omnibus ecclesiis extra Urbem, Ordinario praemonito, si ecclesia sit cathedralis;**

16.° **Honoribus locorum Ordinariis tribui solitis fruendi quocumque se conferant;**

17.° **Fidem faciendi in foro externo, de oraculo pontificio testantes;**

18.° **Fruendi sacello ab Ordinarii visitatione exempto;**

19.° **De reditibus beneficiariis libere disponendi etiam per testamentum, salvo praescripto can.** 1298;

20.° **Consecrationes et benedictiones ecclesiarum, altarium, sacrae supellectilis, Abbatum aliasve similes, excepta oleorum sacrorum consecratione, si Cardinalis charactere episcopali careat, ubique locorum, servatis servandis, peragendi, firmo praescripto can.** 1157;

21.° **Praecedendi omnibus Praelatis etiam Patriarchis, imo ipsis Legatis Pontificiis, nisi Legatus sit Cardinalis in proprio territorio residens; Cardinalis autem Legatus a latere praecedit extra Urbem omnibus aliis;**

22.° **Conferendi primam tonsuram et ordines minores, dummodo promovendus habeat dimissorias proprii Ordinarii litteras;**

23.° **Ministrandi sacramentum confirmationis, firmo onere inscriptionis nominis confirmati ad normam iuris;**

24.° **Concedendi indulgentias ducentorum dierum, etiam toties quoties lucrandas, in Jocis vel institutis ac pro personis suae iurisdictionis vel protectionis; item in aliis locis, sed a praesentibus solummodo, singulis vicibus, lucrandas.**

§ 2. **Cardinalis Decanus gaudet privilegio ordinandi et consecrandi electum Pontificem, si hic ordinatione vel episcopali consecratione indigeat, et tunc pallio utitur; quod privilegium, absente Cardinali Decano, competit Subdecano, eoque etiam absente, antiquiori Cardinali Episcopo suburbicario.**

§ 3. **Demum Cardinalis Proto-diaconus pallia Archiepiscopis et Episcopis privilegio fruentibus eorumve procuratoribus, vice Romani Pontificis, imponit; et nomen novi electi Pontificis populo annuntiat.**

CAN. 240.

§ 1. **Cardinalis ad sedem suburbicariam promotus et in eiusdem possessionem canonice immissus est verus Episcopus suae dioecesis, eaque potestate in eam pollet, quam Episcopi residentiales in propria dioecesi obtinent.**

§ 2. **Ceteri Cardinales in suis titulis vel diaconus, postquam eorundem canonicam possessionem ceperint, omnia possunt quae locorum Ordinarii in suis ecclesiis, exceptis ordine iudiciorum et qualibet iurisdictione in fideles, sed salva potestate in iis quae ad disciplinam, morum correctionem, servitium ecclesiae pertinent.**

§ 3. **Cum throno et baldachino Cardinalis ordinis presbyteralis potest in suo titulo pontificalia peragere et Cardinalis ordinis diaconalis in**

**sua diaconia pontificaliter assistere, et nemo alius ibidem id potest sine Cardinalis assensu; in aliis vero Urbis ecclesiis Cardinales throno et baldachino uti nequeunt sine licentia Romani Pontificis.**

CAN. **241.**

**Sede Apostolica vacante, Sacrum Cardinalium Collegium et Romana Curia non aliam habent potestatem, quam quae definitur in const. Pii X** ***Vacante Sede Apostolica,*** **25 Dec. 1904.**

## CAPUT IV.

### *De Curia Romana.*

CAN. **242.**

**Curia Romana constat Sacris Congregationibus, Tribunalibus et Officiis, prout inferius enumerantur et describuntur.**

CAN. **243.**

**§ 1. In singulis Congregationibus, Tribunalibus, Officiis servanda est disciplina et tractanda sunt negotia secundum normas tum generales tum particulares, quas ipsis Romanus Pontifex praestituerit.**

**§ 2. Omnes qui ad Congregationes, Tribunalia, Officia Romanae Curiae pertinent, ad secretum servandum tenentur intra fines et secundum modum ex disciplina unicuique propria determinatum.**

CAN. **244.** ^

**§ 1. Nihil grave aut extraordinarium in iisdem Congregationibus, Tribunalibus, Officiis agatur, nisi a Moderatoribus eorundem Romano Pontifici fuerit antea significatum.**

**§• 2. Gratiae quaevis ac resolutiones indigent pontificia approbatione, exceptis iis pro quibus eorundem Officiorum, Tribunalium, Congregationum Moderatoribus speciales facultates tributae sint, exceptisque sententiis Tribunalis Sacrae Romanae Rotae et Signaturae Apostolicae.**

CAN. **245.**

**Controversiam, si qua exoriatur, de competentia inter Sacras Congregationes, Tribunalia vel Officia Romanae Curiae, dirimit coetus S. R. E. Cardinalium, quos Romanus Pontifex singulis vicibus designaverit.**

### ART. **I.** — ***De Sacris Congregationibus.***

CAN. **246.**

**Singulis Congregationibus praeest Cardinalis Praefectus vel, si eisdem praesit ipsemet Romanus Pontifex, eas dirigit Cardinalis Secretarius; quibus adiunguntur Cardinales quos Pontifex eis adscribendos censuerit, cum aliis necessariis administris.**

CAN. 247.

**§ 1. Congregatio S. Officii, cui ipse Summus Pontifex praeest, tutatur doctrinam fidei et morum.**

§ 2. **Iudicat de iis delictis quae sibimet secundum propriam eiusdem legem reservantur, cum potestate has criminales causas videndi non solum in gradu appellationis a tribunali Ordinarii loci, sed etiam in prima instantia, si directe ad ipsam delatae fuerint.**

§ 3. **Ipsa sola cognoscit ea quae, sive directe sive indirecte, in iure aut in facto, circa privilegium, uti aiunt, Paulinum et matrimonii impef dimenta disparitatis cultus et mixtae religionis versantur; itemque ad eam spectat facultas dispensandi in hisce impedimentis. Quare quaelibet huiusmodi quaestio ad hanc Congregationem est deferenda, quae tamen potest, si ita censeat et casus ferat, quaestionem remittere ad aliam Congregationem vel ad Tribunal Sacrae Romanae Rotae.**

§ 4. **Ad eandem pertinet non solum delatos sibi libros diligenter excutere, eos, si oportuerit, prohibere, et dispensationes concedere; sed etiam ex officio inquirere, qua opportuniore licebit via, quae in vulgus edantur scripta cuiuslibet generis damnanda, et in memoriam Ordinariorum reducere, quam religiose teneantur in perniciosa scripta animadvertere eaque Sanctae Sedi denuntiare, ad normam can.** 1397.

§ 5. **Ipsa una competens est circa ea omnia quae ieiunium eucharisticum pro sacerdotibus Missam celebrantibus respiciunt.**

CAN. 248.

**§ 1. Congregationis Consistorialis Praefectus est ipse Romanus Pontifex. Praeter alios ad eandem pertinent ex officio Cardinales Secretarius S. Officii, Praefectus Congregationis de Seminariis et Universitatibus studiorum et Secretarius Status. Inter Consultores eiusdem semper sunt Assessor S. Officii, Secretarius Congregationis pro negotiis ecclesiasticis extraordinariis et Secretarius Congregationis de Seminariis et Universitatibus studiorum.**

§ 2. **Ad hanc Congregationem spectat non modo parare agenda in Consistoriis, sed praeterea, in locis Congregationi de Prop. Fide non obnoxiis, novas dioeceses ac provincias et capitula tum cathedralia tum collegialia constituere; dioeceses iam constitutas dividere; Episcopos, Administratores Apostolicos, Coadiutores et Auxiliares Episcoporum constituendos proponere, canonicas inquisitiones seu processus super promovendis indicere actosque diligenter expendere, ipsorum periclitan doctrinam, salvo praescripto can.** 255.

§ 3. **Ab hac Congregatione dependent ea omnia quae pertinent ad constitutionem, conservationem et statum dioecesium. Quare ipsa vigilat super impletis vel minus obligationibus, quibus Ordinarii tenentur; cognoscit ea quae ab Episcopis scripto relata sint de statu suarum dioecesium; indicit visitationes apostolicas examinatque eas quae fuerint absolutae, transmissis in utroque casu ad singulas Congregationes iis ad deliberandum negotiis quae ad eas peculiariter pertinent.**

CAN. **249.**

**§ 1. Congregationi de disciplina Sacramentorum proposita est universa legislatio circa disciplinam septem Sacramentorum, incolumi iure Congregationis S. Officii circa ea quae in can. 247 statuta sunt, et Sacrorum Rituum Congregationis circa ritus et caeremonias quae in Sacramentis conficiendis, ministrandis et recipiendis servari debent.**

**§ 2. Ad illam itaque spectant ea omnia, quae decerni concedique solent tum in disciplina matrimonii, tum in disciplina aliorum Sacramentorum nec non in celebratione Sacrificii Eucharistici, iis tantum exceptis quae aliis Congregationibus reservata sunt.**

**§ 3. Ipsa cognoscit quoque et exclusive de facto inconsummationis matrimonii et de exsistentia causarum ad dispensationem concedendam, nec non de iis omnibus, quae cum his sunt connexa. Potest tamen cognitionem horum omnium, si id expedire iudicaverit, ad Sacram Romanam Rotam remittere. Pariter ad eam deferri possunt quaestiones de validitate matrimonii, quas tamen, si accuratiorem disquisitionem aut investigationem exigant, ad tribunal competens remittat. Eodem modo ad ipsam pertinet videre de obligationibus ordinibus maioribus adnexis, atque examinare quaestiones de ipsa validitate sacrae ordinationis, aut eas ad tribunal competens remittere. Et ita porro de aliis Sacramentis.**

CAN. **250.**

**§ 1. Congregationi Concilii ea pars negotiorum est commissa, quae .ad universam disciplinam cleri saecularis populique christiani refertur.**

**§ 2. Quamobrem ipsius est curare ut christianae vitae praecepta serventur, cum facultate opportune ab eisdem fideles dispensandi; moderari quae parochos et canonicos spectant; aut quae pias sodalitates, pias uniones (etiamsi dependeant a religiosis vel erectae sint in eorum ecclesiis seu domibus), pia legata, pia opera, Missarum stipes, beneficia aut officia, bona ecclesiastica, mobilia et immobilia, tributa dioecesana, taxas Curiarum episcopalium aliaque huiusmodi attingunt. Eidem reservata est facultas eximendi a conditionibus requisitis ad assecutionem beneficiorum, quoties ad Ordinarios eorum collatio spectat; admittendi ad compositionem eos qui occuparunt bona ecclesiastica, etiam pertinentia ad religiosos; permittendi ut fideles acquirant bona ecclesiastica, a potestate civili usurpata.**

**§ 3. Videt quoque de iis omnibus, quae ad immunitatem ecclesiasticam pertinent, itemque de controversiis circa praecedentiam, salvó iure Congregationis de sodalibus religiosis et Congregationis Caeremonialis.**

**§ 4. Ad eandem pertinent ea omnia quae ad Conciliorum celebrationem et recognitionem atque ad Episcoporum coetus seu conferentias referuntur, extra loca quae subsunt Congregationi de Prop. Fide.**

**§ 5. Est autem haec Congregatio competens in omnibus controversiis negotia eidem commissa spectantibus, quas in linea disciplinari pertractandas censuerit; cetera ad tribunal competens sunt deferenda.**

CAN. 251.

**§ 1. Congregatio negotiis religiosorum sodalium praeposita ea sibi exclusive vindicat quae respiciunt regimen, disciplinam, studia, bona et privilegia religiosorum sodalium utriusque sexus tum sollemnibus tum simplicibus votis adstrictorum, eorumque qui, quamvis sine votis, in communi tamen vitam agunt more religiosorum, itemque tertiorum Ordinum saecularium, incolumi iure Congregationis de Prop. Fide.**

**§ 2. Quapropter, quaestionibus ordine iudiciario tractandis ad tribunal competens remissis et incolumi semper iure Congregationis S. Officii et Congregationis Concilii circa negotia ad ipsas spectantia, haec Congregatio quaestiones omnes suae competentiae in linea disciplinari dirimit; sed si quaestio vertatur inter religiosum sodalem et personam non religiosam, ipsa, praesertim ad instantiam partis, potest quoque, si aequum iudicaverit, eandem quaestionem ad aliam Congregationem aut tribunal remittere.**

**§ 3. Huic denique Congregationi reservatur concessio dispensationum a iure communi' pro sodalibus religiosis, firmo praescripto can. 247, § 5.**

CAN. 252.

**§ 1. Congregatio de Propaganda Fide missionibus ad praedicandum Evangelium et catholicam doctrinam praeest, ministros necessarios constituit et mutat, facultatemque habet tractandi, agendi et exsequendi omnia hac in re necessaria et opportuna.**

**§ 2. Curat ea omnia quae ad Conciliorum celebrationem et recognitionem in locis sibi subiectis pertinent.**

**§ 3. Eius iurisdictio iis est circumscripta regionibus, ubi, sacra hierarchia nondum constituta, status missionis perseverat. Huic Congregationi sunt etiam .subiectae regiones, quae, etsi hierarchia inibi constituta sit, adhuc inchoatum aliquid praeseferunt. Eidem pariter subsunt societates ecclesiasticorum ac Seminaria quae exclusive fundata sunt eo fine, ut in eis instituantur missionarii pro exteris missionibus, praesertim quod attinet ad eorum regulas, administrationem atque opportunas concessiones ad sacram ordinationem alumnorum requisitas.**

**§ 4. Haec autem Congregatio tenetur ad competentes Congregationes deferre negotia quae aut fidem attingunt, aut causas matrimoniales, aut generales normas circa sacrorum rituum disciplinam tradendas vel interpretandas.**

**§ 5. Quod vero spectat ad sodales religiosos, eadem Congregatio sibi vindicat quidquid religiosos qua missionarios, sive uti singulos sive simul sumptos, tangit. Quidquid vero religiosos qua tales, sive uti singulos sive simul sumptos attingit, ad Congregationem religiosorum negotiis praepositam remittat aut relinquat.**

CAN. 253.

**§ 1. Congregatio Sacrorum Rituum ius habet videndi et statuendi ea omnia quae sacros ritus et caeremonias Ecclesiae Latinae proxime**

**spectant, non autem quae latius ad sacros ritus referuntur, cuiusmodi sunt praecedentiae iura aliaque id genus, de quibus sive servato ordine iudiciario sive in linea disciplinari disceptetur.**

**§ 2. Eius proinde est praesertim advigilare, ut sacri ritus ac caeremoniae diligenter serventur in Sacro celebrando, in Sacramentis administrandis, in divinis officiis persolvendis, in iis denique omnibus quae Ecclesiae Latinae cultum respiciunt; dispensationes concedere opportunas; insignia et honoris privilegia tam personalia et ad tempus, quam localia et perpetua, quae ad sacros ritus vel caeremonias pertineant, elargiri, et cavere ne in haec abusus irrepant.**

**§ 3. Denique ea omnia agit quae ad beatificationem et canonizationem Servorum Dei vel ad sacras reliquias quoquo modo referuntur.**

CAN. **254.**

**Ad Congregationem Caeremonialem pertinet moderatio caeremoniarum in Sacello Aulaque Pontificali servandarum et sacrarum functionum quas Patres Cardinales extra pontificale sacellum peragunt; itemque eadem Congregatio cognoscit quaestiones de praecedentia tum Patrum Cardinalium tum Legatorum quos variae Nationes ad Sanctam Sedem mittunt.**

CAN. **255.**

**Ad Congregationem pro negotiis ecclesiasticis extraordinariis spectat dioeceses constituere vel dividere et ad vacantes dioeceses idoneos viros promovere, quoties hisce de rebus cum civilibus Guberniis agendum est; insuper Congregatio in ea negotia incumbit, quae eius examini subiiciuntur a Summo Pontifice per Cardinalem Secretarium Status, praesertim ex illis quae cum legibus civilibus coniunctum aliquid habent et ad pacta conventa cum variis Nationibus referuntur.**

CAN. **256.**

**§ 1. Congregatio de Seminariis et Universitatibus studiorum vigilat super omnibus quae ad regimen, disciplinam, temporalem administrationem et studia Seminariorum pertinent, incolumi iure Congregationis de Prop. Fide. Eidem pariter commissa est moderatio regiminis ac studiorum, in quibus versari debent athenaea seu quas vocant Universitates vel Facultates quae ab Ecclesiae auctoritate dependent, comprehensis iis quae a religiosae alicuius familiae sodalibus diriguntur. Novas institutiones perpendit approbatque; facultatem concedit academicos gradus conferendi normasque tradit quibus ii conferri debeant, et, ubi agitur de viro singulari doctrina commendato, potest eos ipsa conferre.**

**§ 2. In hac Sacra Congregatione connumerantur inter alios Cardinales Secretarius Congregationis Consistorialis et inter Consultores Assessor eiusdem Congregationis.**

CAN. **257.**

**§ 1. Congregationi pro Ecclesia Orientali praeest ipse Romanus Pontifex. Huic Congregationi reservantur omnia cuiusque generis negotia**

**quae sive ad personas, sive ad disciplinam, sive ad ritus Ecclesiarum orientalium referuntur, etiamsi sint mixta, quae scilicet sive rei sive personarum ratione latinos quoque attingant.**

**§ 2. Quare pro Ecclesiis ritus orientalis haec Congregatio omnibus •facultatibus potitur, quas aliae Congregationes pro Ecclesiis ritus latini •obtinent, incolumi tamen iure Congregationis S. Officii ad normam can. 247.**

**§ 3. Haec Congregatio controversias dirimit via disciplinari; quas vero ordine iudiciario dirimendas iudicaverit, ad tribunal remittet quod ipsa Congregatio designaverit.**

ART. **II.** — ***De Tribunalibus Curiae Romanae.***

CAN. **258.**

**§ 1. Sacrae Poenitentiariae praeficitur Cardinalis Poenitentiarius Maior. Huius tribunalis iurisdictio coarctatur ad ea quae forum internum, etiam non sacramentale, respiciunt; quare hoc tribunal pro solo foro interno gratias largitur, absolutiones, dispensationes, commutationes, sanationes, condonationes; excutit praeterea quaestiones conscientiae easque dirimit.**

**§ 2. Eiusdem insuper est de iis omnibus iudicare quae spectant ad usum et concessionem indulgentiarum, salvo iure S. Officii videndi ea quae doctrinam dogmaticam circa easdem indulgentias vel circa novas orationes et devotiones respiciunt.**

CAN. **259.**

**Causae ordinem iudiciarium requirentes aguntur apud Sacram Romanam Rotam et apud Supremum Tribunal Signaturae Apostolicae intra fines et secundum normas traditas in can. 1598-1605, salvo iure Congregationis S. Officii et Congregationis Sacrorum Rituum in causas sibi proprias.**

ART. **III.** — ***De Officiis Curiae Romanae.***

CAN. **260.**

**§ 1. Cancellariae Apostolicae, cui praeest Cardinalis Cancellarius Sanctae Romanae Ecclesiae, hoc est proprium munus, Apostolicas expedire litteras seu bullas pro beneficiorum et officiorum consistorialium provisione, novarum provinciarum et dioecesium ac capitulorum institutione et pro aliis maioribus Ecclesiae negotiis conficiendis.**

**§ 2. Quae litterae seu bullae ne expediantur nisi de mandato Congregationis Consistorialis circa negotia ad eius competentiam spectantia, aut de mandato Summi Pontificis circa alia negotia, servatis in singulis casibus ipsius mandati terminis.**

CAN. **261.**

**Datariae Apostolicae, quam moderatur Cardinalis Datarius Sanctae Romanae Ecclesiae, commissum est cognoscere de idoneitate promoven-**

**dorum ad beneficia non consistorialia Apostolicae Sedi reservata; conficere et expedire apostolicas litteras pro eorum collatione; eximere in conferendo beneficio a conditionibus requisitis, quoties eius collatio ad Ordinarium non pertinet; curare pensiones et onera quae Summus Pontifex in memoratis conferendis beneficiis imposuerit.**

CAN. **262. ***

**Camerae Apostolicae, cui praesidet Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis Camerarius, cura est atque administratio bonorum ac iurium temporalium Sanctae Sedis, quo tempore praesertim haec vacua habeatur; et tunc adamussim serventur normae statutae in const. Pii X** *Vacante Sede Apostolica,* **25 Dec. 1904.**

CAN. **263.**

**Officium Secretariae Status, cuius moderator est Cardinalis Secretarius Status, constat triplici parte hoc ordine :**

**1.° Prima pars, cui praesidet Secretarius Congregationis pro negotiis ecclesiasticis extraordinariis, versatur in negotiis quae eidem Congregationi examinanda subiici debent ad normam can. 255, ceteris pro diversa eorum natura ad peculiares Congregationes remissis;**

**2.° Altera pars, Cui praeest Substitutus, incumbit in ordinaria negotia;**

**3.° Tertiam partem dirigit Cancellarius Brevium Apostolicorum, qui vacat expeditioni Brevium.**

CAN. **264.**

**Ad Secretarias Brevium ad Principes et Epistolarum latinarum spectat munus latine scribendi acta Summi Pontificis, ab eodem illis commissa.**

CAPUT V.

*De Legatis Romani Pontificis.*

CAN. **265.**

**Romano Pontifici ius est, a civili potestate independens, in quamlibet mundi partem Legatos cum vel sine ecclesiastica iurisdictione mittendi.**

CAN. **266.**

**Dicitur** *Legatus a latere* **Cardinalis qui a Summo Pontifice tanquam** *alter ego* **cum hoc titulo mittitur, et tantum potest, quantum ei a Summo Pontifice demandatum est.**

CAN. **267.**

**§ 1. Legati qui mittuntur cum titulo Nuntii aut Internuntii :**

**1.° Fovent, secundum normas a Sancta Sede receptas, relationes inter Sedem Apostolicam et civilia Gubernia apud quae legatione stabili funguntur;**

**2.° In territorio sibi assignato advigilare debent in Ecclesiarum statum et Romanum Pontificem de eodem certiorem reddere;**

**3.° Praeter has duas ordinarias potestates, alias plerumque facultates obtinent quae tamen sunt omnes delegatae.**

**§ 2. Qui vero mittuntur cum titulo** *Delegati Apostolici* **unam habent ordinariam potestatem de qua in § 1, n. 2, praeter alias facultates delegatas ipsis a Sancta Sede commissas.**

CAN. **268.**

**§ .1. Legatorum munus cum omnibus facultatibus eisdem commissis non exspirat vacante Sede Apostolica, nisi aliud in litteris pontificiis fuerit statutum.**

**§ 2. Cessat autem, expleto mandato, revocatione eisdem intimata, renuntiatione a Romano Pontifice acceptata.**

CAN. **269.**

**§ 1. Legati Ordinariis locorum liberum suae iurisdictionis exercitium relinquant.**

**§ 2. Licet forte charactere episcopali careant, praecedunt tamen omnibus Ordinariis qui non sint cardinalitia dignitate insigniti.**

**§ 3. Si charactere episcopali sint aucti, possunt sine Ordinariorum licentia in omnibus eorum ecclesiis, excepta cathedrali, populo benedicere et officia divina etiam in pontificalibus, adhibito quoque throno et baculo, peragere.**

CAN. **270.**

**Episcopis qui, ratione sedis, titulo Legati Apostolici decorantur, nullum exinde competit speciale ius.**

CAPUT VI.

## *De Patriarchis, Primatibus, Metropolitis.*

CAN. **271.**

**Patriarchae aut Primatis titulus, praeter praerogativam honoris et ius praecedentiae ad normam can. 280, nullam secumfert specialem iurisdictionem, nisi iure particulari de aliquibus aliud constet.**

CAN. **272.**

**Provinciae ecclesiasticae praeest Metropolita seu Archiepiscopus; quae dignitas coniuncta est cum sede episcopali a Romano Pontifice determinata vel probata.**

CAN. **273.**

**Salvo praescripto can. 275-280, Metropolita in propria dioecesi easdem obligationes eademque iura habet quae Episcopus in sua.**

CAN. **274.**

**In dioecesibus vero suffraganeis Metropolita potest tantum :**

**1.° A patronis ad beneficia praesentatos instituere, si Suffraganeus intra tempus iure statutum, iusto impedimento non detentus, id facere omiserit;**

**2.° Indulgentias centum dierum, sicuti in propria dioecesi, concedere;**

**3.° Deputare Vicarium Capitularem ad normam can. 432, § 2;**

**4.° Vigilare ut fides ac disciplina ecclesiastica accurate serventur, ac de abusibus Romanum Pontificem certiorem facere;**

**5.° Canonicam visitationem peragere, causa prius ab Apostolica Sede probata, si eam Suffraganeus neglexerit; tempore autem visitationis, potest praedicare, confessiones audire etiam absolvendo a casibus Episcopo reservatis, de vita et honestate clericorum inquirere, clericos infamia notatos Ordinariis ipsorum, ut eos puniant, denuntiare, notoria crimina, manifestas et notorias offensas tum sibi tum suis forte illatas, iustis poenis, censuris non exclusis, punire;**

**6.° In omnibus ecclesiis, etiam exemptis, Ordinario loci praemonito, si ecclesia sit cathedralis, peragere pontificalia, uti Episcopus in proprio territorio, populo benedicere, cruce ante se delata incedere, non autem alia exercere quae iurisdictionem importent;**

**7.° Appellationem recipere a sententiis definitivis aut interlocutoriis definitivarum vim habentibus, prolatis in Curiis suffraganeis, ad normam can. 1594, § 1;**

**8.° Controversias de quibus in can. 1572, § .2, in prima instantia dirimere.**

CAN. **275.** ^

**Metropolita obligatione tenetur, intra tres menses a consecratione vel, si iam consecratus fuerit, a provisione canonica in Consistorio, per se vel per procuratorem a Romano Pontifice pallium petendi, quod significat potestatem archiepiscopalem.**

CAN. **276.**

**Quare ante pallii impositionem, excluso speciali indulto apostolico, ipse illicite poneret actus sive iurisdictionis metropolitanae, sive ordinis episcopalis in quibus, ad normam legum liturgicarum, usus pallii requiritur.**

CAN. **277.**

**Metropolita uti potest pallio intra quamlibet ecclesiam etiam exemptam suae provinciae in Missarum sollemnibus, diebus in Pontificali Romano designatis aliisque forte sibi concessis; nullatenus vero extra provinciam, etsi Ordinarii loci consensus accedat.**

CAN. **278.**

**Si Metropolita pallium amittat vel ad aliam sedem archiepiscopalem transferatur, novo indiget pallio.**

CAN. **279.**

**Pallium neque commodari potest neque donari nec in morte alicui relinqui, sed omnia pallia quae Metropolita obtinuit, cum eodem sunt sepelienda.**

CAN. **280.**

**Patriarcha praecedit Primati, Primas Archiepiscopo, hic Episcopis, salvo praescripto can. 347.**

## CAPUT VII.

## *De Conciliis plenariis et provincialibus.* *

CAN. **281.**

**Ordinarii plurium provinciarum ecclesiasticarum in Concilium plenarium convenire possunt, petita tamen venia a Bomano Pontifice, qui suum Legatum designat ad Concilium convocandum eique praesidendum.**

CAN. **282.**

**§ 1. Concilio plenario assistere debent cum suffragio deliberativo, praeter Legatum Apostolicum, Metropolitae, Episcopi residentiales, qui, sui loco, mittere possunt Coadiutorem vel Auxiliarem, Apostolici dioecesium Administratores, Abbates vel Praelati** *nullius,* **Vicarii Apostolici, Praefecti Apostolici, Vicarii Capitulares.**

**§ 2. Etiam Episcopi titulares, in territorio degentes, si a Legato Pontificio, secundum receptas instructiones, ad Concilium vocentur, adesse debent habentque suffragium deliberativum, nisi in convocatione aliud expresse caveatur.**

**§ 3. Alii ex utroque clero viri, forte ad Concilium invitati, suffragio non gaudent nisi consultivo.**

CAN. **283.**

**In singulis provinciis ecclesiasticis celebretur provinciale Concilium vicesimo saltem quoque anno.**

CAN,. **284.**

**Metropolita, eoque legitime impedito vel sede archiepiscopali vacante, Suffraganeus antiquior promotione ad ecclesiam suffraganeam :**

**1.° Locum ad celebrandum Concilium intra provinciae territorium, auditis omnibus qui assistere debent cum suffragio deliberativo, eligit; cessantibus tamen iustis impedimentis, metropolitana ecclesia ne negligatur;**

**2.° Concilium convocat eique praeest.**

CAN. **285.**

**Episcopi qui nulli Metropolitae subiiciuntur, Abbates vel Praelati** *nullius,* **et Archiepiscopi Suffraganeis carentes, aliquem viciniorem Metropolitam, nisi forte iam elegerint, semel pro semper, praevia Sedis Apostolicae approbatione, eligant, cuius Concilio provinciali cum aliis intersint, et quae ibi ordinata fuerint, observent et observanda curent.**

CAN. **286.**

**§ 1. Praeter Episcopos, Abbates vel Praelatos** *nullius* **et Archiepiscopos de quibus in can. 285, ad Concilium provinciale vocandi sunt et**

**convenire debent eum voto deliberativo Suffraganei omnes aliique de quibus in can. 282, § 1.**

**§ 2. Episcopi titulares qui in provincia degunt, possunt a praeside, cum consensu maioris partis illorum qui cum voto deliberativo intersunt, convocari, et si convocentur, votum habent deliberativum, nisi aliud in convocatione caveatur.**

**§ 3? Capitula cathedralia aut Consultores dioecesani cuiusvis dioecesis cuius Ordinarius ad normam § 1 vocari debet, invitentur ad Concilium et invitati mittant duos ex capitularibus aut Consultoribus collegialiter designatos, qui tamen obtinent votum tantum consultivum.**

**§ 4. Maiores quoque religionum clericalium exemptarum ac Congregationum monasticarum Superiores, qui in provincia resideant, invitandi sunt, debentque invitati adesse aut impedimentum, quo detinentur, Concilio notum facere; sed his, quemadmodum aliis ex utroque clero viris ad Concilium forte vocatis, votum est dumtaxat consultivum.**

CAN. **287.**

**§ 1. Qui Concilio plenario aut provinciali interesse debent cum voto deliberativo, si iusto impedimento detineantur, mittant procuratorem et impedimentum probent.**

**§ 2. Procurator, si fuerit unus ex Patribus quibus est votum deliberativum, duplici voto non gaudet; si non fuerit, habet votum dumtaxat consultivum.**

CAN. **288.**

**In Concilio sive plenario sive provinciali praeses, habito, si de provinciali agatur, Patrum consensu, determinat ordinem servandum in quaestionibus examinandis et ipsum Concilium aperit, transfert, prorogai, absolvit.**

CAN. **289.**

**Concilio plenario vel provinciali inchoato, nemini eorum qui interesse debent, licet discedere, nisi iustam ob causam a Legato Pontificio vel a Concilii provincialis Patribus probatam.**

CAN. **290.**

**Patres in Concilio plenario vel provinciali congregati studiose inquirant ac decernant quae ad fidei incrementum, ad moderandos mores, ad corrigendos abusus, ad controversias componendas, ad unam eandemque disciplinam servandam vel inducendam, opportuna fore pro suo cuiusque territorio videantur.**

CAN. **291.**

**§ 1. Absoluto Concilio plenario aut provinciali, praeses acta et decreta omnia ad Sanctam Sedem transmittat, nec eadem antea promulgentur, quam a Sacra Congregatione Concilii expensa et recognita fuerint; ipsimet autem Concilii Patres designent et modum promulgationis decretorum et tempus quo decreta promulgata obligare incipiant.**

**§ 2. Decreta Concilii plenarii et provincialis promulgata obligant in**

**suo cuiusque territorio universo, nec Ordinarii locorum ab iisdem dispensare possunt, nisi in casibus particularibus et iusta de causa.**

CAN. **292.**

**§ 1. Nisi aliter pro peculiaribus locis a Sede Apostolica provisum fuerit, Metropolita, eoque deficiente, antiquior e Suffraganeis ad normam can. 284, curet ut Ordinarii locorum, saltem quinto quoque anno, stato tempore apud Metropolitam aliumve Episcopum comprovincialem conveniant, ut, collatis consiliis, videant quaenam in dioecesibus agenda sint ut bonum religionis promoveatur, eaque praeparent de quibus in futuro Concilio provinciali erit agendum.**

**§ 2. Etiam Episcopi aliique de quibus in can. 285, una cum aliis Ordinariis convocari et convenire debent.**

**§ 3. Iidem Ordinarii congregati sedem proximi conventus designent.**

## CAPUT **VIII.**

### *De Vicariis et Praefectis Apostolicis.*

CAN. **293.**

**§ 1. Territoria quae erecta non sunt in dioeceses reguntur per Vicarios aut Praefectos Apostolicos; qui omnes ab una Apostolica Sede nominantur.**

**§ 2. Vicarius et Praefectus Apostolicus possessionem sui territorii capiunt, ille litteras apostolicas, hic decretum seu patentes litteras Sacrae Congregationis de Prop. Fide per se vel per procuratorem ostendentes ei qui territorium regit ad normam can. 309.**

CAN. **294.**

**§ 1. Vicarii et Praefecti Apostolici iisdem iuribus et facultatibus in suo territorio gaudent, quae in propriis dioecesibus competunt Episcopis residentialibus, nisi quid Apostolica Sedes reservaverit.**

**§ 2. Etiam ii qui charactere episcopali carent, possunt, intra sui territorii fines ac perdurante munere, omnes benedictiones Episcopis reservatas, una pontificali excepta, impertiri, calices, patenas et altaria portatilia cum sacris oleis ab Episcopo benedictis consecrare, indulgentias quinquaginta dierum concedere, confirmationem, primam tonsuram et ordines minores conferre ad normam can. 782, § 3, 957, § 2.**

CAN. **295.**

**§ 1. Vicarii et Praefecti Apostolici ab omnibus missionariis, etiam religiosis, possunt ac debent exigere ut suas patentes seu alias quasvis eorum missionis, destinationis, constitutionis ac deputationis litteras exhibeant, easque exhibere recusantibus exercitium cuiusvis ministerii ecclesiastici prohibere.**

**§ 2. Omnes missionarii, etiam regulares, licentiam sacri ministerii exercendi petant a Vicariis et Praefectis Apostolicis, qui tamen eam ne denegent, nisi singulis et gravem ob causam.**

CAN. 296.

**§ 1. Etiam missionarii regulares subiiciuntur Vicarii et Praefecti Apostolici iurisdictioni, visitationi et correctioni in iis quae pertinent ad missionum regimen, curam animarum, Sacramentorum administrationem, scholarum directionem, oblationes intuitu missionis factas, implementum piarum voluntatum in favorem eiusdem missionis.**

**§ 2. Quamvis Vicariis et Praefectis Apostolicis nullo modo liceat, praeter casus in iure praevisos, se in disciplinam religiosam ingerere quae a Superiore religioso dependet, si tamen circa ea, de quibus in superiore paragrapho, conflictus oriatur inter mandatum Vicarii aut Praefecti Apostolici et mandatum Superioris, prius praevalere debet, salvo iure recursus in devolutivo ad Sanctam Sedem et salvis peculiaribus statutis a Sede Apostolica probatis.**

CAN. 297.

**Deficientibus e clero saeculari sacerdotibus, Vicarii et Praefecti Apostolici possunt, audito eorum Superiore, cogere religiosos, etiam exemptos, vicariatui vel praefecturae addictos, ad animarum curam exercendam, salvis pariter peculiaribus statutis a Sede Apostolica probatis.**

CAN. 298.

**Si qua dissidia in iis quae ad curam animarum pertinent, sive inter singulos missionarios, sive inter diversas religiones, sive inter missionarios et alios quoslibet oriri contigerit, ea quamprimum componere curent Vicarii ac Praefecti Apostolici, qui huiusmodi quaestiones, ubi opus fuerit, dirimant, integro tamen iure recursus ad Apostolicam Sedem, qui decreti effectum non suspendit.**

CAN. 299.

**Vicarii Apostolici obligatione tenentur Sacra Limina Beatorum Apostolorum Petri et Pauli visitandi eadem prorsus lege, qua Episcopi residentiales ad normam can. 341; cui tamen muneri, si quid graviter obstet ne per se ipsi illud expleant, satisfacere possunt per procuratorem etiam in Urbe degentem.**

CAN. 300.

**§ 1. Ad normam can. 340, Vicarii ac Praefecti Apostolici tenentur obligatione Sedi Apostolicae exhibendi plenam accuratam que relationem de suo quisque pastorali officio, deque omnibus quaecunque ad statum vicariatus vel praefecturae, ad missionarios, ad religiosos, ad populi disciplinam, ad scholarum frequentiam, ad fidelium denique ipsorum curae commissorum salutem quavis ratione pertineant; quae relatio scripta esse debet et subscripta tum ab ipso Vicario aut Praefecto tum ab uno saltem ex consiliariis de quibus in can. 302.**

**§ 2. Imo etiam sub cuiusque anni exitum ad Sanctam Sedem mittant elenchum seu numerum conversorum, baptizatorum annuaeque Sacramentorum administrationis una cum aliis notatu dignioribus.**

CAN. **301.**

**§ 1. In regione sibi commissa commorentur, a qua sine gravi et urgenti causa per notabile tempus iis abesse ne liceat, inconsulta Sede Apostolica.**

**§ 2. Regionem sibi concreditam, quandocumque sit opus, debent ipsi per se vel, si legitime impediti fuerint, per alium visitare eaque omnia in visitatione expendere, quae ad fidem, bonos mores, Sacramentorum administrationem, praedicationem verbi Dei, festorum observantiam, cultum divinum, iuventutis institutionem, disciplinam ecclesiasticam referuntur.**

CAN. **302.**

**Constituant Consilium ex tribus saltem antiquioribus et prudentioribus missionariis, quorum sententiam, saltem per epistolam, audiant in gravioribus et difficilioribus negotiis.**

CAN. **303.**

**Prout siverit opportunitas, missionarios saltem praecipuos tum religiosos tum saeculares proprii territorii congregent semel saltem in anno, ut possint ex singulorum experientia et consilio deducere quae sint ordinanda perfectius.**

CAN. **304.**

**§ 1. Legibus quae de archivo constituendo Episcopis praescribuntur, etiam Yicarii ac Praefecti Apostolici, habita locorum personarumque ratione, aeque tenentur.**

**§ 2. Pariter quae de Conciliis plenariis et provincialibus can. 281-291 praescribuntur, applicari debent, congrua congruis referendo, Conciliis plenariis vel regionalibus et provincialibus in regionibus Sacrae Congregationi de Prop. Fide subiectis; quae de Sy.nodo dioecesana can. 356-362, Synodo vicariatus apostolici; sed nullum est praefinitum tempus pro Concilii provincialis et Synodi celebratione, et canones Conciliorum, antequam promulgentur, recognosci debent a Sacra Congregatione de Prop. Fide.**

CAN. **305.**

**Studiosissime curent, onerata graviter eorum conscientia, ut ex christianis indigenis seu incolis suae regionis probati clerici rite instituantur ac sacerdotio initientur.**

CAN. **306.**

**Missae sacrificium pro populis sibi commissis applicare debent saltem in sollemnitatibus Nativitatis Domini, Epiphaniae, Paschatis, Pentecostes, sanctissimi Corporis Christi, Immaculatae Conceptionis et Assumptionis Beatae Mariae Virginis, Sancti Ioseph eius sponsi, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, Omnium Sanctorum, servato praescripto can. 339, § § 2 seqq.**

CAN. 307.

§ 1. **ipsis non licet, inconsulta Sede Apostolica, concedere missionariis ab ea missis veniam in perpetuum deserendi vicariatum aut praefecturam, vel alio transeundi, nec eos quoquo modo expeliere.**

§ 2. **In casu autem publici scandali possunt ipsi, audito suo Consilio, et si agatur de religiosis, praemonito, quantum fieri potest, Superiore, missionarium statim removere, facta tamen illico certiore Apostolica Sede.**

CAN. 308.

**Vicariis et Praefectis, charactere episcopali auctis, privilegia honorifica competunt, quae ius concedit Episcopis titularibus; si autem charactere episcopali careant, habent tantum, durante munere et in proprio territorio, insignia et privilegia Protonotariorum apostolicorum de numero participantium.**

CAN. 309.

§ 1. **Vicarii et Praefecti, ubi primum in territorium suum advenerint, deputent ex uno vel altero clero Pro-vicarium vel Pro-praefectum idoneum, nisi Coadiutor cum futura successione a Sancta Sede datus fuerit.**

§ 2. **Pro-vicarius aut Pro-praefectus nullam habet, vivente Vicario aut Praefecto, potestatem, nisi quae fuerit ab eodem sibi commissa; sed deficiente Vicario aut Praefecto, vel eorum iurisdictione impedita ad normam can.** 429, § 1, **totum debet regimen assumere et in hoc munere permanere, donec a Sancta Sede aliter fuerit provisum.**

§ 3. **Pari modo Pro-vicarius aut Pro-praefectus, qui titulari successero, statim deputet ecclesiasticum virum, qui sibi, ut supra, in munere succédât.**

**§ 4. Si forte contingat ut nemo sive a titulari sive a pro-titulari uti administrator fuerit designatus, tunc senior in vicariatu vel praefectura, is, nempe, qui sit praesens in territorio et suas destinationis litteras in eodem prius exhibuerit, censetur delegatus a Sancta Sede ut regimen assumat, et inter plures aeque seniores antiquior sacerdotio.**

CAN. 310.

§ 1. **Ad quos vicariatus aut praefecturae cura devenerit ad normam can.** 309, **ii debent quamprimum' certiorem facere Apostolicam Sedem.**

§ 2. **Interim uti possunt omnibus facultatibus sive ordinariis ad normam can.** 294, **sive delegatis, quibus Vicarius vel Praefectus pollebat, nisi commissae fuerint ob industriam personae.**

CAN. 311.

**Qui vicariatui vel praefecturae apostolicae ad certum tempus-praepositus est, debet in regimine cum omnibus facultatibus sibi concessis permanere, licet definitum tempus fuerit praeterlapsum, donec successor canonicam sui muneris possessionem ceperit.**

CAPUT IX.

## *De Administratoribus Apostolicis.*

CAN. 312.

**Dioecesis canonice erectae regimen, sive plena, sive vacante sede, aliquando Summus Pontifex ob graves et speciales causas Administratori Apostolico vel in perpetuum vel ad tempus committit.**

CAN. 313.

**§ 1. Quilibet Administrator Apostolicus, si datus fuerit dioecesi, sede plena, canonicam administrationis possessionem init, ostendens litteras suae nominationis tum Episcopo, si sit mentis consiliique compos et in dioecesi versetur, tum etiam Capitulo, ad normam can. 334, § 3.**

**§ 2. Si sedes fuerit vacans, vel si Episcopus non sit mentis consiliique compos, aut in dioecesi non moretur, Administrator Apostolicus possessionem sumit ad instar Episcopi secundum cit. can. 334, § 3.**

CAN. 314.

**Iura, officia ac privilegia Administratoris Apostolici desumantur ex litteris suae deputationis, vel, nisi in eisdem aliud caveatur expresse, ex praescripto canonum qui sequuntur.**

CAN. 315.

**§ 1. Administrator Apostolicus permanenter constitutus iisdem iuribus et honoribus fruitur, iisdemque obligationibus tenetur, ac Episcopus residentialis.**

**§ 2. Si ad tempus datus sit :**

**1.° Eadem iura ac officia habet, ac Vicarius Capitularis; sed, sede plena, potest dioecesim visitare ad tramitem iuris; nec tenetur obligatione applicandae Missae pro populo, quae Episcopum gravat;**

**2.° Ad honorifica privilegia quod attinet, valeat praescriptum can. 308; sed Episcopo qui, ad aliam sedem translatus, prioris retinet administrationem, in hac quoque omnia Episcoporum residentialium honorifica privilegia competunt.**

CAN. 316.

**§ 1. Si Administrator Apostolicus dioecesi, sede plena, praefiniatur, iurisdictio Episcopi eiusque Vicarii Generalis suspenditur.**

**§ 2. Quanquam autem Administrator Apostolicus Episcopi auctoritati non subest, non debet tamen se immiscere causis Episcopum ipsum spectantibus, neque in Vicarium eius Generalem iudicium seu processum instruere aut animadvertere ob acta praeteritae administrationis.**

CAN. 317.

**Si impedita fuerit iurisdictio Administratoris Apostolici aut si idem Administrator defecerit, Sedes Apostolica statim moneatur; et interim,**

**si dioecesis vacet aut Episcopus non sit sui compos, valent praescripta can. 429 seqq.; secus Episcopus dioecesim regit, nisi Sedes Apostolica aliud praestituerit.**

CAN. **318.**

**§ 1. Administratoris Apostolici iurisdictio Romani Pontificis aut Episcopi obitu non cessat.**

**§ 2. Cessat vero cum Episcopus dioecesis vacantis possessionem legitime ceperit ad normam can. 334, § 3.**

## CAPUT X.

## *De Praelatis inferioribus.*

CAN. **319.**

**§ 1. Praelati qui praesunt territorio proprio, separato ab omni dioecesi, cum clero et populo, dicuntur Abbates vel Praelati *nullius,* nempe dioecesis, prout eorum ecclesia dignitate abbatiali vel simpliciter praelatitia gaudet.**

**§ 2. Abbatia vel praelatura *nullius,* tribus saltem paroeciis non constans, singulari iure regitur, nec eidem applicantur quae canones statuunt de abbatiis vel praelaturis *nullius.***

CAN. **320.**

**§ 1. Abbates vel Praelati *nullius* nominantur et instituuntur a Romano Pontifice, salvo iure electionis aut praesentationis, si cui legitime competat; quo in casu ab eodem Romano Pontifice confirmari aut institui debent.**

**§ 2. Assumendi ad abbatiam vel praelaturam *nullius* iisdem qualitatibus ornati esse debent, quas ius in Episcopis requirit.**

CAN. **321.**

**Si cui collegio est ius eligendi Abbatem vel Praelatum *nullius,* ad validam electionem requiritur numerus suffragiorum absolute maior, demptis suffragiis nullis, firmo peculiari iure quod maiorem suffragiorum numerum exigat.**

CAN. **322.**

**§ 1. Abbas vel Praelatus *nullius* nequit quovis titulo sive per se sive per alios in regimen abbatiae vel praelaturae se ingerere, antequam eiusdem possessionem ceperit, ad normam can. 334, § 3.**

**§ 2. Abbates vel Praelati *nullius* qui ex praescripto apostolico vel ex propriae religionis constitutionibus benedici debent, intra tres menses a receptis litteris apostolicis, cessante legitimo impedimento, benedictionem ab Episcopo, quem maluerint, accipiant.**

CAN. **323.**

**§ 1. Abbas vel Praelatus *nullius* easdem potestates ordinarias easdemque obligationes cum iisdem sanctionibus habet, quae competunt Episcopis residentialibus in propria dioecesi.**

§ 2. Si charactere episcopali non sit ornatus et benedictionem, si eam recipere debet, receperit, praeter alia munera quae in can. 294, § 2 describuntur, potest quoque ecclesias et altaria immobilia consecrare.

§ 3. Quod attinet ad Vicarii Generalis constitutionem, serventur praescripta can. 366-371.

CAN. 324.

Capitulum religiosum abbatiae vel praelaturae *nullius* regitur propriis legibus ac constitutionibus; Capitulum saeculare, iure communi.

CAN. 325.

Abbas vel Praelatus *nullius*, licet charactere episcopali careat, utitur tamen in proprio territorio insignibus pontificalibus cum throno et iure ibidem ofiicia divina pontificali ritu celebrandi; crucem autem pectoralem, annulum cum gemma, ac pileolum violaceum potest etiam extra territorium deferre.

CAN. 326.

Si praelatura saecularis Capitulo careat, eligantur consultores ad normam can. 423-428.

CAN. 327.

§ 1. Abbatia vel praelatura *nullius* vacante, si agatur de abbatia vel praelatura religiosa, succedit Capitulum religiosorum, nisi constitutiones aliud ferant; si de saeculari, Capitulum canonicorum; utrumque autem Capitulum intra octiduum debet Vicarium Capitularem deputare ad normam can. 432 seqq., qui abbatiam vel praelaturam regat usque ad novi Abbatis vel Praelati electionem.

§ 2. Abbatia vel praelatura impedita, servetur praescriptum can. 429.

CAN. 328.

Circa Romani Pontificis Familiares, sive praelati titulo gaudeant, sive non, standum i>rivilegiis, regulis et traditionibus pontificiae Domus.

## TITULUS VIII.

## De potestate episcopali deque iis qui de eadem participant.

### CAPUT I.

### *De Episcopis.*

CAN. 329.

§ 1. Episcopi sunt Apostolorum successores atque ex divina institutione peculiaribus ecclesiis praeficiuntur quas cum potestate ordinaria regunt sub auctoritate Romani Pontificis.

§ 2. Eos libere nominat Romanus Pontifex.

§ 3. Si cui collegio concessum sit ius eligendi Episcopum, servetur praescriptum can. 321.

CAN. 330.

**Antequam quis in Episcopum assumatur, constare debet, secundum modum a Sede Apostolica determinatum, eum esse idoneum.**

CAN. 331.

**§ 1. Ut quis idoneus habeatur, debet esse :**

**1.° Natus ex legitimo matrimonio, non autem legitimatus etiam per subsequens matrimonium;**

**2.° Annos natus saltem triginta;**

**3.° A quinquennio saltem in sacro presbyteratus ordine constitutus;**

**4.° Bonis moribus, pietate, animarum zelo, prudentia, ceterisque dotibus praeditus, quae ipsum aptum efficiant ad gubernandam dioecesim de qua agitur;**

**5.° Laurea doctoris vel saltem licentia in sacra theologia aut iure canonico potitus in athenaeo aliquo vel in Instituto studiorum a Sancta Sede probatis, vel saltem earundem disciplinarum vere peritus; quod si ad religionem aliquam pertineat, a suis Superioribus maioribus vel similem titulum vel saltem verae peritiae testimonium habeat.**

**§ 2. Etiam electus, praesentatus vel quoquo modo ab illis designatus, qui privilegio a Sancta Sede concesso eligendi, praesentandi seu designandi gaudent, debet memoratis qualitatibus pollere.**

**§ 3. Iudicare num quis idoneus sit, ad Apostolicam Sedem unice pertinet.**

CAN. 332.

**§ 1. Cuilibet ad episcopatum promovendo, etiam electo, praesentato vel designato a civili quoque Gubernio, necessaria est canonica provisio seu institutio, qua Episcopus vacantis dioecesis constituitur, quaeque ab uno Romano Pontifice datur.**

**§ 2. Ante canonicam institutionem seu provisionem candidatus, praeter fidei professionem de qua in can. 1406-1408, iusiurandum fidelitatis erga Sanctam Sedem edat secundum formulam ab Apostolica Sede probatam.**

CAN. 333.

**Nisi legitimo impedimento prohibeatur, promotus ad episcopatum, etiamsi S. R. È. sit Cardinalis, debet, intra tres menses a receptis apostolicis litteris, consecrationem suscipere, et intra quatuor ad suam dioecesim pergere, salvo praescripto can. 238, § 2.**

CAN. 334.

**§ 1. Episcopi residentiales sunt ordinarii et immediati pastores in dioecesibus sibi commissis.**

**§ 2. In regimen tamen dioecesis neque per se neque per alios, nec ullo sub titulo sese ingerere possunt, nisi prius eiusdem dioecesis possessionem canonice ceperint; sed si ante suam ad episcopatum designationem vicarii capitulares, officiales, oeconomi fuerint renuntiati, haec officia etiam post designationem retinere et exercere possunt.**

**§ 3. Canonicam dioecesis possessionem capiunt Episcopi residentiales /simul ac in ipsa dioecesi vel per se vel per procuratorem apostolicas litteras Capitulo ecclesiae cathedralis ostenderint, praesente secretario Capituli vel cancellario Curiae, qui rem in acta referat.**

CAN. **335.**

**§ 1. Ius ipsis et officium est gubernandi dioecesim tum in spiritualibus tum in temporalibus cum potestate legislativa, iudiciaria, coactiva ad normam sacrorum canonum exercenda.**

**§ 2. Leges episcopales statim a promulgatione obligare incipiunt, nisi aliud in ipsis caveatur; modus autem promulgationis ab ipsomet Episcopo determinatur.**

CAN. **336.**

**§ 1. Observantiam legum ecclesiasticarum Episcopi urgeant; nec in iure communi dispensare possunt, nisi ad normam can. 81.**

**§ 2. Advigilent ne abusus in ecclesiasticam disciplinam irrepant, praesertim circa administrationem Sacramentorum et Sacramentalium, cultum Dei et Sanctorum, praedicationem verbi Dei, sacras indulgentias, implementum piarum voluntatum; curentque ut puritas fidei ac morum in clero et populo conservetur, ut fidelibus, praecipue pueris ac rudibus, pabulum doctrinae christianae praebeatur, ut in scholis puerorum ac iuvenum institutio secundum catholicae religionis principia tradatur.**

**§ 3. Circa praedicationis munus, servetur praescriptum can. 1327.**

CAN. **337.**

**§ 1. Episcopus in tota dioecesi, ne exceptis quidem locis exemptis, potest pontificalia exercere; non vero extra dioecesim sine expresso vel saltem rationabiliter praesumpto consensu Ordinarii loci, et, si agatur de ecclesia exempta, de consensu** SB**$>erioris religiosi.**

**§ 2. Exercere pontificalia in iure est sacras functiones peragere quae ex legibus liturgicis requirunt insignia pontificalia, idest baculum et mitram.**

**§ 3. Episcopus, licentiam concedens pontificalia exercendi in suo territorio, potest quoque permittere usum throni cum baldachino.**

CAN. **338.**

**§ 1. Etiamsi Episcopi Coadiutorem habeant, tenentur lege personalis in dioecesi residentiae.**

**§ 2. Praeterquam causa visitationis Sacrorum Liminum, Conciliorum, quibus interesse debent, vel civilis officii suis ecclesiis legitime adiuncti, abesse possunt aequa de causa non ultra duos vel ad summum tres menses intra annum, sive continuos sive intermissos, dummodo cautum sit ne ex ipsorum absentia dioecesis quidquam detrimenti capiat : quod tamen tempus coniungi nequit sive cum tempore sibi concesso occar sione suae promotionis, vel visitationis Sacrorum Liminum, vel assistentiae Concilio, sive cum tempore vacationum anni subsequentis.**

§ 3. **Ab ecclesia cathedrali ne absint tempore Adventus et Quadragesimae, diebus Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes et Corporis Christi, nisi ex gravi et urgenti causa.**

§ 4. **Si ultra sex menses e dioecesi illegitime abfuerint, Episcopum Metropolita, ad normam can.** 274, **n.** 4, **Metropolitam antiquior Suffraganeus residens Sedi Apostolicae denuntiet.**

CAN. 339.

§ 1. **Debent quoque, post captam sedis possessionem, omni exiguitatis redituum excusatione aut alia quavis exceptione remota, omnibus dominicis aliisque festis diebus de praecepto, etiam suppressis, Missam pro populo sibi commisso applicare.**

§ 2. **In festo Nativitatis Domini, et si quod festum de praecepto in diem dominicam incidat, satis est ut Missam unam pro populo applicent.**

§ 3. **Si festum ita transferatur ut in die *ad quem,* non solum fiat officium cum Missa festi translati, sed serventur quoque obligationes audiendi Missam et abstinendi a servilibus, Missa pro populo applicanda est in die *ad quem;* secus in die *a quo.***

§ 4. **Episcopus Missam pro populo diebus supra indicatis per se ipse applicare debet; si ab eius celebratione legitime impediatur, statis diebus applicet per alium; si neque id praestare possit, quamprimum vel per se ipse vel per alium applicet alia die.**

**§ 5. Licet Episcopus duas vel plures dioeceses aeque principaliter unitas regat aut, praeter propriam dioecesim, aliam vel alias in administrationem habeat, obligationi tamen satisfacit per celebrationem et applicationem unius Missae pro universo populo sibi commisso.**

**§ 6. Episcopus, qui obligationi de qua in superioribus paragraphis, non satisfecerit, quam citius pro populo tot applicet Missas, quot omisit.**

CAN. 340.

§ 1. **Omnes Episcopi tenentur singulis quinquenniis relationem Summo Pontifici facere super statu dioecesis sibi commissae secundum formulam ab Apostolica Sede datam.**

§ 2. **Quinquennia sunt fixa et communia, atque computantur a die** 1 **Ianuarii** 1911; **in primo quinquennii anno relationem exhibere debent Episcopi Italiae, insularum Corsicae, Sardiniae, Siciliae, Melitae, et aliarum minorum adiacentium; in altero, Episcopi Hispaniae, Portugalliae, Galliae, Belgii, Hollandiae, Angliae, Scotiae et Hiberniae, cum insulis adiacentibus; in tertio, ceteri Europae Episcopi, cum insulis adiacentibus; in quarto, Episcopi totius Americae et insularum adiacentium; in quinto, Episcopi Africae, Asiae, Australiae et insularum his orbis partibus adiacentium.**

§ 3. **Si annus pro exhibenda relatione assignatus inciderit ex toto vel ex parte in primum biennium ab inito dioecesis regimine, Episcopus pro ea vice a conficienda et exhibenda relatione abstinere potest.**

### CAN. 341.

§ 1. Omnes et singuli Episcopi eo anno quo relationem exhibere tenentur, ad Urbem, Beatorum Apostolorum Petri et Pauli sepulcra veneraturi, accedant et Romano Pontifici se sistant.

§ 2. Sed Episcopis qui extra Europam sunt, permittitur ut alternis quinquenniis, idest singulis decenniis, Urbem petant.

### CAN. 342.

Episcopus debet praedictae obligationi satisfacere per se vel per Coadiutorem, si quem habeat, aut, ex iustis causis a Sancta Sede probandis, per idoneum sacerdotem qui in eiusdem Episcopi dioecesi resideat.

### CAN. 343.

§ 1. Ad sanam et orthodoxam doctrinam conservandam, bonos mores tuendos, pravos corrigendos, pacem, innocentiam, pietatem et disciplinam in populo et clero promovendam ceteraque pro ratione adiunctorum ad bonum religionis constituenda, tenentur Episcopi obligatione visitandae quotannis dioecesis vel ex toto vel ex parte, ita ut saltem singulis quinquenniis universam vel ipsi per se vel, si fuerint legitime impediti, per Vicarium Generalem aliumve lustrent.

§ 2. Fas est Episcopo clericos duos etiam e Capitulo sive cathedrali sive collegiali sibi adsciscere visitationis comites atque adiutores; eosque, quos maluerit, eligere, reprobato quocunque contrario privilegio vel consuetudine.

§ 3. Si obligationi de qua in § 1, Episcopus graviter defuerit, servetur praescriptum can. 274, nn. 4, 5.

### CAN. 344.

§ 1. Ordinariae episcopali visitationi obnoxiae sunt personae, res ac loca pia, quamvis exempta, quae intra dioecesis ambitum continentur, nisi probari possit specialem a visitatione exemptionem fuisse ipsis ab Apostolica Sede concessam.

§ 2. Religiosos autem Episcopus visitare potest in casibus tantum in iure expressis.

### CAN. 345.

Visitator, in iis quae obiectum et finem visitationis respiciunt, debet paterna forma procedere, et ab eius praeceptis ac decretis datur recursus in devolutivo tantum; in aliis vero causis, etiam tempore visitationis, Episcopus ad normam iuris procedat necesse est.

### CAN. 346.

Studeant Episcopi debita cum diligentia, sine inutilibus tamen moris, pastoralem visitationem absolvere : caveant, ne superfluis sumptibus cuiquam graves onerosive sint, neve ratione visitationis ipsi aut quisquam suorum pro se suisve dona quodvis genus petant aut accipiant, reprobata

**quavis contraria consuetudine; circa vero victualia sibi suisque ministranda vel procurationes et expensas itineris, servetur legitima locorum consuetudo.**

CAN. **347.**

**In suo territorio Episcopus praecedit omnibus Archiepiscopis et Episcopis, exceptis Cardinalibus, Legatis Pontificiis et proprio Metropolita; extra territorium serventur normae traditae in can. 106.**

CAN. **348.**

**§ 1. Episcopi titulares nullam possunt exercere potestatem in sua dioecesi, cuius nec possessionem capiunt.**

**§ 2. Decet ex caritate, citra tamen obligationem, ut aliquando Missae sacrificium pro sua dioecesi applicent.**

CAN. **349.**

**§ 1. Ab accepta authentica notitia peractae canonicae provisionis, Episcopi sive residentiales sive titulares :**

**1.° Praeter alia privilegia quae suis in titulis recensentur, fruuntur privilegiis de quibus in can. 239, § 1, nn. 7-12; nec non n. 2, etiam quod spectat ad casus Ordinario loci reservatos; n. 3, cum consensu saltem praesumpto Ordinarii loci; n. 4, dummodo non teneantur celebrare in cathedrali; nn. 5, 6, ritibus tamen ab Ecclesia praescriptis;**

**2.° Ius habent deferendi insignia episcopalia ad normam legum liturgicarum.**

**§ 2. A capta vero possessione Episcopi residentiales habent praeterea ius :**

**1.° Percipiendi reditus mensae episcopalis;**

**2.° Concedendi indulgentias quinquaginta dierum in suae iurisdictionis locis;**

**3.° Elevandi in omnibus ecclesiis suae dioecesis thronum cum baldachino.**

## CAPUT II.

## *De Coadiutoribus et Auxiliaribus Episcoporum.*

CAN. **350.**

**§ 1. Unius Romani Pontificis est Episcopo Coadiutorem constituere.**

**'§ 2. Coadiutor dari solet personae Episcopi cum iure successionis; sed nonnunquam datur quoque sedi.**

**§ 3. Coadiutor, datus personae Episcopi sine iure successionis, speciali nomine dicitur** ***Auxiliaris.***

CAN. **351.**

**§ 1. Iura Coadiutoris dati personae Episcopi desumantur ex litteris apostolicis, quibus constituitur.**

**§ 2. Nisi aliud in his litteris caveatur, Coadiutor qui datur Episcopo prorsus inhabili, habet omnia iura ac officia episcopalia; ceteri tantum possunt quantum Episcopus eisdem commiserit.**

**§ 3. Quae Coadiutor potest et vult exercere, Episcopus habitualiter alii ne deleget.**

**§ 4. Coadiutor, iusto impedimento non detentus, debet, quoties fuerit a Coadiuto requisitus, pontificalia et alias functiones obire, ad quas Episcopus ipse teneretur.**

CAN. **352.**

**Coadiutor sedi datus potest in territorio ea quae sunt ordinis episcopalis exercere, excepta sacra ordinatione; aliis in rebus tantum potest, quantum eidem a Sancta Sede vel ab Episcopo fuerit commissum.**

CAN. **353.**

**§ 1. Quilibet Coadiutor, ut canonicam sui officii possessionem capiat, necesse est litteras apostolicas ostendat Episcopo.**

**§ 2. Coadiutor cum futura successione et Coadiutor sedi datus debent praeterea easdem ostendere Capitulo ad normam can. 334, § 3.**

**§ 3. Si Episcopus eum in statum inciderit ut eliciendi actus humani sit impos, praetermisso praescripto § 1, solum praescriptum § 2 ab omnibus Coadiutoribus servetur.**

CAN. **354.**

**Coadiutor quilibet obligatione tenetur, sicut Episcopus, residendi in dioecesi, e qua, extra tempus vacationum, ad normam can. 338, ipsi non licet, nisi ad breve tempus, Coadiuto permittente, discedere.**

CAN. **355.**

**§ 1. Coadiutor cum iure successionis, vacante sede episcopali, statim evadit Ordinarius dioecesis, pro qua fuerat constitutus, dummodo possessionem legitime ceperit, ad normam can. 353, §§ 2, 3.**

**§ 2. Cum Episcopi munere exspirat Auxiliaris officium, nisi aliud in litteris apostolicis caveatur.**

**§ 3. Si Coadiutor datus fuerit sedi, eius officium etiam sede vacante perdurat.**

CAPUT **III.**

***De Synodo dioecesana.***

CAN. **356.**

**§ 1. In singulis dioecesibus celebranda est decimo saltem quoque anno dioecesana Synodus, in qua de iis tantum agendum quae ad particiliares cleri populique dioecesis necessitates vel utilitates referuntur.**

**§ 2. Si Episcopus plures dioeceses aeque principaliter unitas regat, aut unam habeat in titulum, alteram aliasve in perpetuam administrationem, potest unam tantum dioecesanam Synodum ex omnibus dioecesibus convocare.**

CAN. **357.**

**§ 1. Synodum dioecesanam convocat eique praeest Episcopus, non autem Vicarius Generalis sine mandato speciali nec Vicarius Capitularis.**

**§ 2. Celebranda est in ecclesia cathedrali, nisi aliud rationabilis causa suadeat.**

CAN. **358.**

**§ 1. Ad Synod am vocandi sunt ad eamque venire debent :**

**1.° Vicarius Generalis;**

**2.° Canonici ecclesiae cathedralis aut consultores dioecesani;**

**3.° Rector Seminarii dioecesani saltem maioris;**

**4.° Vicarii foranei;**

**5.° Deputatus uniuscuiusque collegialis ecclesiae a Capitulo eiusdem ecclesiae e gremio eligendus;**

**6.° Parochi civitatis in qua Synodus celebratur;**

**7.° Unus saltem parochus ex unoquoque vicariatu foraneo eligendus ab omnibus qui curam animarum actu inibi habeant; parochus autem electus debet pro tempore absentiae vicarium substitutum sibi sufficere ad normam can. 465, § 4;**

**8.° Abbates de regimine et unus e Superioribus cuiusque religionis clericalis qui in dioecesi commorentur, designatus a Superiore provinciali, nisi domus provincialis sit in dioecesi et Superior provincialis interesse ipse maluerit.** *

**§ 2. Episcopus, si opportunum iudicaverit, potest ad Synodum vocare alios quoque et etiam omnes canonicos, parochos, Superiores religiosos, imo et singulos suae dioecesis saeculares sacerdotes, iis tamen exceptis qui necessarii sunt ne in paroeciis animarum cura desit; invitati autem ius suffragii in omnibus habent, perinde ac ceteri, nisi Episcopus in invitatione aliud expresse caverit.**

CAN. **359.**

**§ 1. Iis qui ad Synodum venire debent, si legitimo impedimento detineantur, non licet mittere procuratorem qui eorum nomine Synodo intersit; sed Episcopum de impedimento certiorem faciant.**

**§ 2. Negligentes Episcopus potest iustis poenis compellere et punire, nisi de religiosis exemptis agatur qui parochi non sunt.**

CAN. **360.**

**§ 1. Episcopus, si id ipsi expedire videatur, opportuno ante Synodum tempore, unam vel plures e clero civitatis et dioecesis *commissiones* nominet, seu coetus virorum qui res in Synodo tractandas parent.**

**§ 2. Ante Synodi sessiones Episcopus omnibus qui convocati sunt et convenerunt, decretorum schema tradendum curet.**

CAN. **361.**

**Propositae quaestiones omnes, praesidente vel per se vel per alium Episcopo, liberae adstantium disceptationi in sessionibus praeparatoriis subiiciantur.**

CAN. **362.**

**Unicus est in Synodo legislator Episcopus, ceteris votum tantum consultivum habentibus; unus ipse subscribit synodalibus constitutionibus; quae, si in Synodo promulgentur, eo ipso obligare incipiunt, nisi aliud expresse caveatur.**

CAPUT **IV.**

***De Curia dioecesana.***

CAN. **363.**

**§ .1. Curia dioecesana constat illis personis quae Episcopo aliive qui, loco Episcopi, dioecesim regit, opem praestant in regimine totius dioecesis:**

**§ 2. Quare ad eam pertinent Vicarius Generalis, officialis, cancellarius, promotor iustitiae, defensor vinculi, synodales iudices et examinatores, parochi consultores, auditores, notarii, cursores et apparitores.**

CAN. **364.**

**§ 1. Nominatio eorum qui praedicta officia vel munera exercent, scripto consignetur, ad normam can. 159.**

**§ 2. Nominati vero debent :**

**1.° In manibus Episcopi iusiurandum praestare de munere fideliter exercendo, quavis personarum acceptione posthabita;**

**2.° Negotia ad se spectantia sub auctoritate Episcopi tractare ad normam iuris;**

**3.° Secretum servare intra fines et secundum modum a iure vel ab Episcopo determinatum.**

CAN. **365.**

**De officiali, promotore iustitiae, defensore vinculi, iudicibus synodalibus, auditoribus, cursoribus et apparitoribus, serventur praescripta can. 1573-1593; de Vicario Generali, cancellario aliisque notariis, examinatoribus synodalibus et parochis consultoribus, praescripta canonum qui sequuntur.**

ART. I. — ***De Vicario Generali.***

CAN. **366.**

**§ 1. Quoties rectum dioecesis regimen id exigat, constituendus est ab Episcopo Vicarius Generalis, qui ipsum potestate ordinaria in toto territorio adiuvet.**

**§ 2. Vicarius Generalis libere ab Episcopo designatur, qui eum potest ad nutum removere.**

**§ 3. Unus tantum constituatur, nisi vel rituum diversitas vel amplitudo dioecesis aliud exigat; sed, Vicario Generali absente vel impedito, Episcopus alium constituere potest qui eius vices suppleat.**

CAN. **367.**

**§ 1. Vicarius Generalis sit sacerdos e clero saeculari, annos natus non minus triginta, in theologia et iure canonico doctor aut licentiatus, vel saltem earum disciplinarum vere peritus, sana doctrina, probitate, prudentia ac rerum gerendarum experientia commendatus.**

**§ 2. Si dioecesis alicui religioni commissa fuerit, Vicarius Generalis potest esse eiusdem religionis alumnus.**

**§ 3. Vicarii Generalis munus ne committatur canonico poenitentiario, aut Episcopi consanguineis praesertim in primo gradu vel in secundo mixto cum primo, aut, exclusa necessitate, parocho ceterisque curam animarum habentibus; sed non prohibetur Episcopus Vicarium ex ipsa dioecesi assumere.**

CAN. **368.**

**§ 1. Vicario Generali, vi officii, ea competit in universa dioecesi iurisdictio in spiritualibus ac temporalibus, quae ad Episcopum iure ordinario pertinet, exceptis iis quae Episcopus sibi reservaverit, vel quae ex iure requirant speciale Episcopi mandatum.**

**§ 2. Nisi aliud expresse cautum fuerit, Vicarius Generalis exsequi potest rescripta apostolica quae Episcopo vel praecedenti rectori dioecesis remissa sint, ac generatim ad ipsum quoque pertinent facultates habituales Ordinario loci a Sancta Sede concessae, ad normam can. 66.**

CAN. **369.**

**§ 1. Vicarius Generalis praecipua acta Curiae ad Episcopum referat, ipsumque certiorem faciat de iis quae gesta aut gerenda sint ad tuendam in clero et populo disciplinam.**

**§ 2. Caveat ne suis potestatibus utatur contra mentem et voluntatem sui Episcopi, firmo praescripto can. 44, § 2.**

CAN. **370.** '

**§ 1. Praesente etiam Episcopo, Vicarius Generalis publice privatimque praecedentiae ius habet super omnibus dioecesis clericis, non exclusis dignitatibus et canonicis ecclesiae cathedralis, etiam in choro et actibus capitularibus, nisi clericus charactere episcopali praefulgeat, et Vicarius Generalis eodem careat.**

**§ 2. Si Vicarius Generalis sit Episcopus, omnia honorifica privilegia Episcoporum titularium obtinet; secus durante munere habet tantum privilegia et insignia Protonotarii apostolici titularis.**

CAN. **371.**

**Exspirat Vicarii Generalis iurisdictio per ipsius renuntiationem ad normam can. 183-191, aut revocationem ei ab Episcopo intimatam, aut sedis episcopalis vacationem; suspenditur vero suspensa episcopali iurisdictione.**

### ART. II. — DE *cancellario aliisque notariiß et archivo episcopali.*

CAN. 372.

**§ 1. In qualibet Curia constituatur ab Episcopo cancellarius qui sit sacerdos, cuius praecipuum munus sit acta Curiae in archivo custodire, ordine chronologico disponere et de eisdem indicis tabulam conficere.**

§ 2. **Poscente necessitate, adiutor ei dari potest, cui nomen sit vicecancellarii seu vice tabularli.**

§ 3. **Cancellarius est eo ipso notarius.**

CAN. 373.

**§ 1. Episcopus praeter cancellarium potest alios quoque notarios constituere, quorum scriptura aut subscriptio publicam fidem facit.**

§ 2. **Iidem constitui possunt aut ad quaelibet acta, aut ad acta iudicialia dumtaxat, aut ad acta tantummodo certae causae vel negotii conficienda.**

§ 3. **Si clerici desint, possunt e laicis assumi; sed notarius in criminalibus clericorum causis debet esse sacerdos.**

§ 4. **Cancellarius aliique notarii debent esse integrae famae et omni suspicione maiores.**

§ 5. **Omnes possunt removeri aut suspendi ab eo qui illos constituit aut ab eius successore aut Superiore, non autem a Vicario Capitulari, nisi de consensu Capituli.**

CAN. 374.

**§ 1. Officium notariorum est :**

**1.° Conscribere acta seu instrumenta circa dispositiones, obligationes, citationes et intimationes iudiciales, decreta, sententias aliave circa quae eorum opera requiritur;**

2.° **In scriptis fideliter redigere quae geruntur eaque cum significatione loci, diei, mensis et anni subsignare;**

3.° **Acta vel instrumenta legitime petenti ex regesto, servatis servandis, exhibere et eorum exemplaria cum autographo conformia declarare.**

§ 2. **Conscribere acta nequit notarius nisi in territorio illius Episcopi a quo est electus aut pro negotio ad quod est legitime constitutus.**

CAN. 375.

**§ 1. Episcopi in loco tuto ac commodo archivum seu tabularium dioecesanum erigant, in quo instrumenta et scripturae, quae negotia dioecesana tum spiritualia tum temporalia spectant, apte dispositae et diligenter clausae custodiantur.**

§ 2. **Omni diligentia ac sollicitudine conficiatur inventarium seu catalogus documentorum quae in archivo continentur cum brevi singularum scripturarum synopsi.**

CAN. 376.

§ 1. Quotannis, primo bimestri, inventario seu catalogo illae scripturae adiungantur, quae anno praecedenti confectae vel alias neglectae fuerunt.

§ 2. Ordinarii sedulo INQUIRANT CHARTAS et SCRIPTURAS FORTE alio distractas atque dispersas; et quaelibet necessaria remedia adhibeant ut eaedem scripturae ARCHIVO restituantur.

CAN. 377.

§ 1. Archivum clausum sit oportet et nemini illud ingredi liceat sine Episcopi aut Vicarii Generalis et cancellarii licentia.

§ 2. Unus cancellarius illius clavem habeat.

CAN. 378.

§ 1. Ex archivo non licet efferre scripturas sine Episcopi vel Vicarii Generalis consensu eaedemque post triduum in suum locum referantur. Ordinario autem reservatur facultas prorogandi hoc tempus, quae tamen prorogatio nonnisi moderate concedatur.

§ 2. Qui aliquam scripturam ex archivo effert, syngrapham sua manu signatam, hoc ipsum significantem, cancellario relinquat.

CAN. 379.

§ 1. Habeant praeterea Episcopi aliud archivum secretum vel saltem in communi archivo armarium seu scrinium omnino clausum et obseratum, quod de loco amoveri nequeat. In eo scripturae secreto servandae cautissime custodiantur; sed singulis annis quamprimum comburantur documenta causarum criminalium in materia morum, quarum rei vita cesserint vel quae a decennio sententia condemnatoria absolutae sunt, retento facti brevi summario cum textu sententiae definitivae.

§ 2. Etiam huius secreti archivi vel armarii inventarium seu catalogus conficiatur ad normam can. 375, § 2.

§ 3. Hoc archivum vel armarium duabus clavibus inter se diversis aperiatur, quarum altera apud Episcopum vel Administratorem Apostolicum, altera apud Vicarium Generalem vel, eo deficiente, Curiae cancellarium asservetur.

§ 4. Episcopus vel Administrator Apostolicus, repetita altera clave, ipse solus, nemine adstante, archivum vel armarium secretum, ubi opus fuerit, aperire et inspicere potest, quod deinde utraque clavi iterum claudatur.

CAN. 380.

Statim a capta possessione, Episcopus sacerdotem designet, qui, sede vacante aut impedita, clavem secreti tabularii seu armarii quae apud Episcopum erat, assumat.

CAN. 381.

§ 1. Nisi Administrator Apostolicus dioecesi datus fuerit :

1.° Sede impedita ad normam can. 429, § 1, sacerdos ab Episcopo designatus, si quidem regimen dioecesis sit penes virum ecclesiasticum

**ab Episcopo delegatum, clavem eidem remittat; si penes Vicarium Generalem, eam ipse retineat;**

**2.° Sede vero vacante aut impedita ad normam cit. can. 429, § 3, idem sacerdos clavem remittat Vicario Capitulari statim post eius designationem; Vicarius vero Generalis vel cancellarius aliam clavem a se retentam remittere eodem tempore debet primae Capituli dignitati vel consultori dioecesano munere antiquiori.**

**§ 2. Antequam claves iis, quibus tradi debent ad normam § 1, remissae fuerint, Vicarius Generalis vel cancellarius et sacerdos, ut supra, ab Episcopo designatus, tabularium vel armarium sigillis Curiae obsignent.**

CAN. **382.**

**§ 1. Tabularium vel armarium nunquam aperiatur nec sigilla ab eo removeantur, nisi urgente necessitate et ab ipso Vicario Capitulari coram duobus canonicis vel dioecesanis consultoribus, qui evigilent ne qua scriptura e tabulario auferatur; solus autem Vicarius Capitularis documenta in tabulario asservata potest, iisdem canonicis vel consultoribus adstantibus, inspicere, nunquam tamen auferre. Archivum autem, post inspectionem, iterum sigillis obsignetur.**

**§ 2. Advenienti novo Episcopo, si sigilla remota fuerint et tabularium aut armarium apertum, Vicarius Capitularis rationem reddat urgentis necessitatis, qua ad hoc motus fuerit.**

CAN. **383.**

**§ 1. Curent Episcopi ut archivorum quoque ecclesiarum cathedralium, collegiatarum, paroecialium, necnon confraternitatum et piorum locorum inventaria seu catalogi conficiantur duobus exemplaribus, quorum alterum in proprio archivo, alterum in archivo episcopali servetur ^ firmo praescripto can. 470, § 3, 1522, nn. 2, 3, 1523, n. 6.**

**§ 2. Documenta originalia ex" praedictis archivis ne efferantur, nisi ad normam can. 378.**

CAN. **384.**

**§ 1. Documenta quae in paroeciarum et Curiarum archivis sub secreto servanda non sunt, fit cuilibet cuius intersit inspiciendi potestas; itemque postulandi ut sua impensa sibi legitimum eorum exemplar exscribatur et tradatur.**

**§ 2. Cancellarii autem Curiarum, parochi, aliique archivorum custodes in communicandis documentis et eorum exemplaribus describendis tradendisque regulas servent a legitima auctoritate ecclesiastica datas, et in casibus dubiis loci Ordinarium consulant.**

## ART. III. — *De examinatoribus synodalibus, et parochis consultoribus.*

CAN. **385.**

**§ 1. In quavis dioecesi habeantur examinatores synodales et parochi consultores qui omnes in Synodo constituantur, propositi ab Episcopo, a Synodo approbati.**

**§ 2. Tot eligantur quot Episcopus prudenti suo iudicio necessarios iudicaverit, non tamen infra quatuor, nec ultra duodecim.**

CAN. **386.**

**§ 1. Examinatoribus et parochis consultoribus medio tempore inter unam et aliam Synodum demortuis vel alia ratione a munere cessantibus, alios pro-synodales Episcopus substituat de consilio Capituli cathedralis.**

**§ 2. Quae regula servetur quoque in examinatoribus et parochis consultoribus constituendis quoties Synodus non habeatur.**

CAN. **387. „**

**§ 1. Examinatores et parochi consultores, sive in Synodo sive extra Synodum constituti, post decennium ab incepto munere vel etiam prius, adveniente nova Synodo, officio cadunt; possunt tamen negotium iam coeptum ad exitum perducere et, servatis de iure servandis, denuo constitui.**

**§ 2. Qui loco examinatorum ac parochorum consultorum deficientium constituantur, in officio per sistunt dumtaxat quousque perstitissent ii quibus substituti fuerunt.**

CAN. **388.**

**Removeri ab Episcopo nequeunt, nisi ex gravi causa et de consilio Capituli cathedralis.**

CAN. **389.**

**§ 1. Examinatores synodales operam suam diligenter navent praesertim experimentis habendis ad provisionem paroeciarum nec non processibus de quibus in can. 2147 seqq.**

**§ 2. Pro experimentis vero habendis ad clericorum ordinationem et approbationem sacerdotum qui petunt facultatem excipiendi sacramentales confessiones aut sacras conciones habendi, et pro examinibus de quibus in can. 130, integrum est Episcopo vel examinatorum synodalium vel aliorum opera uti.**

CAN. **390.**

**Idem potest esse examinator et parochus consultor, non autem in eadem causa.**

## CAPUT V.

## *De Capitulis canonicorum,.*

CAN. **391.**

**§ 1. Capitulum canonicorum sive cathedrale sive collegiale seu collegiatum est clericorum collegium ideo institutum ut sollemniorem cultum Deo in ecclesia exhibeat et, si agatur de Capitulo cathedrali, ut Episcopum, ad normam sacrorum canonum, tanquam eiusdem senatus et consilium, adiuvet, ac, sede vacante, eius vices suppleat in dioecesis regimine.**

**§ 2. Capitulum collegiale appellatur insigne aut perinsigne, si hoc titulo ex apostolico privilegio vel ab immemorabili gaudeat.**

CAN. **392.**

**Capitulorum tum cathedralium tum collegialium institutio seu erectio, innovatio ac suppressio Sedi Apostolicae reservatur.**

CAN. **393.**

**§ 1. In qualibet ecclesia capitulari sint dignitates et canonici inter quos varia officia distribuantur; possunt esse etiam alia minora beneficia in uno vel pluribus gradibus.**

**§ 2. Capitulum constat dignitatibus et canonicis, nisi, ad dignitates quod attinet, aliud ex capitularibus constitutionibus eruatur; non autem inferioribus beneficiariis seu mansionariis, qui canonicis auxilium praestant.**

**§ 3. Canonicatus sine adnexis emolumentis ne instituantur sine speciali Apostolicae Sedis concessione.**

CAN. **394.**

**§ 1. In Capitulis numeratis tot sint praebendati, quot praebendae; in non numeratis, quot ex proventibus decenter sustentari posse, Episcopus, audito Capitulo, iudicaverit.**

**§ 2. Erectio dignitatum Sedi Apostolicae reservatur; sed est in Episcopi potestate, consentiente Capitulo, exstinctas forte dignitates restituere et praebendis in Capitulo iam exstantibus alias sive canonicales sive beneficiales addere.**

**§ 3. In ecclesiis cathedralibus et collegialibus insignibus ubi adeo tenues praebendae sunt una cum distributionibus quotidianis, ut sustinendo canonicorum decori plane sint impares, Episcopi, audito Capitulo et impetrata Sanctae Sedis licentia, vel beneficia aliquot simplicia praebendis uniant, vel, si hac ratione provideri non possit, aliquibus praebendis suppressis, cum patronorum consensu, si de iure patronatus laicorum sint, quarum fructus et proventus reliquarum praebendarum distributionibus quotidianis applicentur, eas ad minorem numerum reducant, ita tamen ut tot supersint, quot divino cultui celebrando ac dignitati ecclesiae commode respondeant.**

CAN. **395.**

**§ 1. In ecclesiis tam cathedralibus quam collegialibus in quibus nullae sunt quotidianae distributiones vel ita tenues ut verisimiliter negligatur, Episcopi tertiam partem separent fructuum, proventuum, obventionum quae ex dignitatibus, canonicatibus, officiis aliisque illius ecclesiae beneficiis percipiuntur et in distributiones quotidianas convertant.**

**§ 2. Si distributiones quavis de causa introduci nequeant, Episcopus in dignitates, canonicos ac beneficiarios negligentes pecuniarias constituat muletas, quae distributionibus respondeant earumque locum teneant.**

§ 3. Distributiones cedunt diligentibus, quavis collusione aut remissione exclusa; si vero dignitates habeant proventus a massa seu bonis canonicorum diversos et separatos, distributiones ab eis amissae cedunt aliis dignitatibus praesentibus, si adsint, secus fabricae ecclesiae, quatenus indigeat, aut alii pio loco, Episcopi arbitrio.

§ 4. Ab unoquoque Capitulo, secundum sua cuiusque statuta, unus vel plures censores, seu *punctatores* nominentur, qui absentes a divinis officiis quotidie notent, praestito prius coram Capitulo vel eius praeside iureiurando de suo munere fideliter obeundo; quibus Episcopus alium addere potest punctatorem; quod si abfuerint punctatores, senior e canonicis qui adsunt, illorum vices suppleat.

CAN. 396.

§ 1. Collatio dignitatum tum in Capitulis cathedralibus tum in collegialibus Sedi Apostolicae reservatur.

§ 2. Prohibetur optio, reprobata contraria consuetudine, sed salva fundationis lege.

§ 3. Prima saltem dignitas in Capitulo cathedrali, quantum fieri potest et ceteris paribus, laurea doctorali in sacra theologia vel iure canonico polleat.

CAN. 397.

Nisi aliud in statutis capitularibus caveatur, dignitatibus et canonicis secundum ordinem praecedentiae ius et officium est :

1.° Episcopi vicem supplere in peragendis functionibus sacris in sollemnioribus anni festivitatibus;

2.° Episcopo celebranti in pontificalibus, aspersorium in ingressu ecclesiae porrigere et presbyteri assistentis fungi officio;

3.° Eidem decumbenti ministrare Sacramenta; defuncto iusta funebria persolvere;

4.° Convocare Capitulum eique praeesse ac praescribere et ordinare quae ad chori directionem referantur, dummodo dignitas sit de gremio Capituli.

CAN. 398.

§ 1. In nulla ecclesia cathedrali desit officium canonici theologi et, ubi id fieri poterit, canonici poenitentiarii.

§ 2. Etiam in collegialibus, praesertim insignibus, officium canonici theologi et poenitentiarii constitui potest.

CAN. 399.

§ 1. Canonicus theologus et poenitentiarius eligantur qui aptiores pro loci qualitate ad propria munera adimplenda reperiantur; sed, ceteris paribus, praeferantur doctores in sacra theologia, si agatur de canonico theologo, in sacra theologia vel iure canonico, si de poenitentiario; expedit praeterea ut canonicus poenitentiarius aetatis annum tricesimum expleverit.

'• §, 2. Praebenda theologalis et poenitentiaria ne conferantur, nisi

**prius de vita, moribus, doctrina candidatorum plane constiterit, salva lege concursus, ubi sit constituta.**

**§ 3. Canonicus poenitentiarius prohibetur aliud simul officium in dioecesi suscipere aut exercere, cui adnexa sit iurisdictio in foro externo.**

CAN. **400.**

**§ 1. Canonici theologi est, diebus et horis ab Episcopo cum Capituli consilio designatis, publice in ecclesia explanare sacram Scripturam; sed Episcopus, si id utilius iudicet, potest eidem alia doctrinae catholicae argumenta in ecclesia explicanda committere.**

**§ 2. Canonicus theologus munus expleat suum ipse per se, vel, si ultra sex menses fuerit impeditus, propriis expensis per alium sacerdotem ab Episcopo deputandum.**

**§ 3. Episcopus gravi de causa potest canonico theologo committere ut, loco lectionum in ecclesia, sacras disciplinas in Seminario doceat.**

CAN. **401.**

**§ 1. Poenitentiarius canonicus tum ecclesiae cathedralis tum ecclesiae collegialis obtinet a iure potestatem ordinariam, quam tamen aliis delegare non potest, absolvendi etiam a peccatis et a censuris Episcopo reservatis, in dioecesi extraneos quoque, et dioecesanos extra territorium quoque dioecesis.**

**§ 2. Debet in sede excipiendis confessionibus sibi in capitulari ecclesia destinata residere tempore ad fidelium commoditatem, iudicio Episcopi, opportuniore et praesto esse iis qui ad confitenda sua peccata accedunt ipso quoque divinorum officiorum tempore.**

CAN. **402.**

**Si Capitulo adnexa sit cura animarum, haec exerceatur a vicario paroeciali ad normam can. 471.**

CAN. **403.**

**Exceptis dignitatibus, ad Episcopum pertinet, audito Capitulo, conferre omnia et singula beneficia ac canonicatus in ecclesiis tum cathedralibus tum collegialibus, reprobata quavis contraria consuetudine et revocato quolibet contrario privilegio, sed firma contraria fundationis lege et praescripto can. 1435, § 3.**

CAN. **404.**

**§ 1. Canonicatus Episcopus conferat sacerdotibus doctrina vitaeque integritate praestantibus.**

**§ 2. In canonicatuum collatione, ceteris paribus, ratio habeatur illorum qui doctores in sacra theologia vel iure canonico renuntiati fuerint in aliquo athenaeo, vel laudabiliter ministerium ecclesiasticum aut magisterium exercuérint, firmo praescripto can. 130, § 2.**

CAN. **405.**

**§ 1. Dignitates, canonici et beneficiarii, capta legitime beneficii sui possessione ad normam can. 1443-1445, statim pro gradu suo acquirunt,**

**praeter insignia ac privilegia propria, scamnum in choro, ius percipiendi fructus ac distributiones, ac vocem in capitulo ad normam can. 411, § 3.**

**§ 2. De fidei professione ab ipsis ante captam possessionem emittenda servetur praescriptum can. 1406-1408.**

CAN. **406.**

**§ 1. Episcopo, non autem Vicario Generali, nec Vicario Capitulari, ius est canonicos ad honorem nominandi sive dioecesanos sive extra-dioecesanos cum consilio Capituli cui canonicus est adscribendus, sed Episcopus raro et caute hoc iure utatur.**

**§ 2. Sacerdotem alienae dioecesis canonicum ad honorem nominaturus, Episcopus, praeter Capituli sui consilium, Ordinarii, cui subiectus est nominandus, assensum impetret, sub poena nominationis irritae, eundemque Ordinarium insignia edoceat ac privilegia quorum usum nominandus exinde habiturus sit.**

**§ 3. Canonici ad honorem extra dioecesim in qua nominati sunt degentes, numero sint tertia parte minores canonicis titularibus.**

CAN. **407.**

**§ 1. Canonici ad honorem alicuius basilicae vel ecclesiae collegialis almae Urbis, privilegiis et insignibus uti possunt tantum intra eiusdem basilicae vel collegiatae ecclesiae eiusque filialium ambitum; canonici vero ad honorem aliarum ecclesiarum extra Urbem, privilegiis et insignibus utantur in dioecesi tantum ubi nominati sunt, non autem extra dioecesim, nisi ad normam can. 409, § 2.**

**§ 2. Canonici ad honorem, praeter insignia et privilegia seu iura honorifica, obtinent etiam scamnum in choro.**

CAN. **408.**

**§ 1. Capitulum cathedrale praecedit collegiali, etiam insigni, in ipsa quoque collegiali ecclesia; Capitulum insigne praecedit non insigni; in eodem Capitulo, salvis peculiaribus statutis, vel legitimis consuetudinibus, dignitates, servato inter se praecedentiae ordine, praecedunt canonicis; canonici antiquiores, qui nempe prius possessionem ceperunt, posterioribus; canonici titulares, honorariis; honorarii, beneficiariis; dignitates vero aut capitulares charactere episcopali ornati omnibus dignitatibus ac canonicis in presbyterali tantum ordine constitutis praecedunt.**

**§ 2. In Capitulis in quibus habentur distinctae praebendae presbyterales, diaconales, subdiaconales, servetur praecedentia ordinis; et in eodem ordine praecedentia receptionis in ordinem, non autem in Capitulum.**

CAN. **409.**

**§ 1. In unaquaque ecclesia tum cathedrali tum collegiali, qui in dignitate episcopali sunt constituti, deferant in choro vestem episcopalem; ceteri omnes, dignitates, canonici et beneficiarii, vestem sibi in bulla erectionis assignatam vel apostolico indulto concessam; secus censeantur tanquam absentes.**

§ 2. **Vestem choralem aut specialia insignia capitularia adhibere possunt in tota dioecesi in qua est Capitulum, sed, reprobata contraria consuetudine, non extra dioecesim, nisi vel Episcopum comitentur vel Episcopum aut Capitulum repraesentent in Conciliis aliisve sollemnitatibus.**

CAN. 410.

**§ 1. Sua cuique Capitulo statuta ne desint,** *sub* **omnibus dignitatibus, canonicis, beneficiariis religiose servanda.**

§ 2. **Statuta capitularia, per legitimum actum capitularem condita, approbanda subiiciantur Episcopo, sine cuius auctoritate postea nec abrogari possunt nec mutari.**

§ 3. **Si, Episcopo edicente ut statuta conficiantur, Capitulum id praestare neglexerit, exacto sexto ab intimatione mense, Episcopus eadem conficiat imponatque Capitulo.**

CAN. 411.

**§ 1. Stato tempore ac loco conveniat canonicorum coetus de suae ecclesiae et Capituli negotiis acturus; alii praeterea conventus haberi poterunt, quoties id aut Episcopo aut Capituli praesidi aut maiori canonicorum parti expedire videatur.**

§ 2. **Ad habendum coetum ordinarium non est necessaria specialis convocatio; quae tamen ad extraordinarium requiritur, et facienda est secundum statuta capitularia.**

§ 3. **In capitulis vocem habent canonici, exclusis honorariis, et dignitates, si una cum canonicis Capitulum constituant ad normam can.** 393, § 2.

CAN. 412.

§ 1. **Canonici sive ecclesiae cathedralis sive collegialis Episcopo sollemniter Missam celebranti aut alia pontificalia exercenti, etiam in aliis ecclesiis civitatis aut suburbii, ab eodem invitati, assistere et inservire debent, dummodo iudicio Episcopi sufficiens canonicorum et ministrorum in ecclesia numerus maneat : et eundem acced entern ad ecclesiam cathedralem et redeuntem comitari ad normam Caeremonialis Episcoporum.**

§ 2. **Episcopus potest duos e Capitulo sive cathedrali sive collegiali assumere ac retinere ut sibi in ecclesiastico ministerio ac dioecesis servitio assistant.**

CAN. 413.

§ 1. **Quodlibet Capitulum obligatione tenetur quotidie divina ofiicia in choro rite persolvendi, salvis fundationis legibus.**

§ 2. **Divinum officium comprehendit psalmodiam horarum canonicarum et celebrationem cum cantu Missae conventualis, praeter alias Missas vel secundum rubricas Missalis vel ex piis fundationibus celebrandas.**

§ 3. **Missam conventualem sine cantu celebrare licet hebdomadario, cum in ecclesia, pontificali ritu, Episcopus vel alius loco Episcopi celebrat.**

CAN. 414.

Omnes et singuli qui chorale beneficium obtinent, tenentur in ipso choro divina officia persolvere singulis diebus, nisi servitium per *turnum* a Sede Apostolica aut fundationis legibus fuerit indultum.

CAN. 415.

§ 1. Si ecclesia cathedralis aut collegialis simul sit paroecialis, relationes iuridicae inter Capitulum et parochum reguntur normis quae sequuntur, nisi aliud ferat aut Sedis Apostolicae indultum aut particularis conventio in erectione paroeciae inita et a loci Ordinario legitime probata.

§ 2. Ad parochum spectat :

1.° Applicare Missam pro populo et, debito tempore, praedicare ac christianam doctrinam fideles edocere;

2.° Custodire libros paroeciales et ex iis attestationes extrahere;

3.° Functiones paroeciales peragere de quibus in can. 462. Iusta funebria, in ecclesia ad normam iuris peragenda, non exclusa Missa exsequiali, persolvere ad Capitulum pertinet tantum in casu quo de funere agatur alicuius dignitatis, vel canonici, etiam honorarii tantum, vel beneficiarii; T

4.° Alias functiones non stricte paroeciales peragere quae in paroeciis fieri solent, modo non impediatur chorale servitium, nec Capitulum easdem functiones peragat;

5.° Eleemosynas in bonum paroecianorum colligere, easdem directe vel indirecte oblatas recipere, administrare et secundum offerentium voluntatem distribuere.

§ 3. Ad Capitulum spectat :

1.° Custodire sanctissimum Eucharistiae Sacramentum; sed altera sacri ciborii clavis apud parochum servari debet;

2.° Invigilare ut in functionibus a parocho in capitulari ecclesia peragendis leges liturgicae observentur;

3.° Ecclesiae curam habere eiusque bona administrare cum piis legatis.

§ 4. Nec parochus capitulares nec Capitulum paroeciales functiones et munera impediat; exorto autem conflictu, quaestionem dirimat loci Ordinarius, qui in primis curare debet ut catechetica instructio et Evangelii explicatio hora fidelibus commodiore semper habeatur.

§ 5. Non solum Capitulum impedire nequit parochum in exercenda paroeciali cura, sed insuper sciant capitulares se ex caritate teneri, maxime si designati coadiutores desint, eidem adiutricem operam navare, secundum modum ab Ordinario loci determinandum.

CAN. 416.

In statutis capitularibus iusta designetur norma, ad quam canonici et beneficiarii in servitio altaris fungantur per turnum tum oifieio celebrantis tum etiam ministerio diaconi ac subdiaconi, exclusis tamen ab hoc ministerio dignitatibus, canonico theologo, poenitentiario et, si praebendae distinctae habeantur, canonicis ordinis presbyteralis.

CAN. **417.**

**§ 1. Missa conventualis applicanda est pro benefactoribus in genere.**

**§ 2. Capitularis infirmitate detentus non tenetur eleemosynam praebere sacerdoti capitulari, qui ipsius vicem supplet in Missae conventualis celebratione et applicatione, nisi statuta capitularia vel particularis consuetudo aliud ferant.**

**§ 3. Servari potest consuetudo praebendi stipem celebranti vel ex cumulo distributionum vel ex reditibus omnium praebendarum per contributum.**

CAN. **418.**

**§ 1. Reprobata contraria consuetudine, canonici ac beneficiarii quotidiano choro adstricti, possunt singuli abesse tres tantum menses in anno, sive continuos sive intermissos, dummodo propriae ecclesiae statuta aut legitima consuetudo servitium diuturnius non requirant.**

**§ 2. Sine causa legitima et speciali Episcopi licentia nec feriari licet Quadragesimae et Adventus tempore, aut in praecipuis anni sollemnitatibus de quibus in can. 338, § 3; nec permittitur uno eodemque tempore capitulares ultra tertiam partem abesse.**

**§ 3. Tempore vacationum omne genus distributiones amittuntur, non obstante remissione ab aliis capitularibus facta; sed percipiuntur praebendae proventus aut duae tertiae distributionum partes, si omnes praebendae proventus in distributionibus consistant.**

CAN. **419.**

**§ 1. In ecclesiis in quibus non omnes simul choro intersunt, qui ad eum adstringuntur nequeunt per alium huic obligationi satisfacere, nisi in casibus particularibus, iusta ac rationabili de causa, et modo substitutus eodem tempore servitio chori non sit adstrictus, et sit in eadem ecclesia canonicus, si agatur de supplenda vice canonici, beneficiarius, si de beneficiarii; qui vero ad chorum non adstringuntur, obligatione residendi in loco beneficii non tenentur per dies quibus a choro absunt.**

**§ 2. Si quis eodem die urgeatur onere utriusque Missae et pro populo et conventuali, hanc ipse celebret applicetque per se, illam per alium vel per se die sequenti.**

CAN. **420.**

**§ 1. Ita excusantur a choro ut percipiant fructus praebendae ac distributiones quotidianas :**

**1.° Capitulares *iubilati* ad normam can. 422, § 2;**

**2.° Canonicus theologus singulis diebus quibus suo munere fungitur;**

**3.° Canonicus poenitentiarius dum tempore chori vacat confessionibus audiendis;**

**4.° Vicarius paroecialis aliusve e Capitulo sive parochus sive coadiutor ab Episcopo deputatus, dum paroecialibus vacat officiis;**

**5.° Qui infirmitate aliove physico impedimento choro prohibentur assistere;**

6.° Qui pontificia legatione alibi funguntur aut personae Romani Pontificis actu inserviunt;

7.° Qui piis exercitiis vacant ad normam can. 126; quo tamen indulto semel tantum in anno chori servitio liberantur;

8.° Accedentes una cum Episcopo aut eiusdem vice ad visitanda Limina Apostolorum;

9.° Qui ab Episcopo vel Capitulo mittuntur ad Concilium Oecumenicum, plenarium, provinciale aut ad Synodum dioecesanam;

10.° Qui de Capituli consensu, non contradicente Episcopo, absunt a choro ob Capituli seu propriae ecclesiae utilitatem;

11.° Qui Episcopo sacra peragenti assistunt ad normam can. 412;

12.° Qui Episcopum comitantur in visitatione dioecesis vel visitationem ipsam eius nomine et mandato peragunt;

13.° Qui operam navant conficiendis processibus in causis de quibus in can. 1999 seqq., vel uti testes in his causis vocati sunt, pro diebus et horis quibus hoc officium praestant;

14.° Parochi consultores, examinatores et iudices synodales, dum proprio munere funguntur.

§ 2. Distributiones vero quae *inter praesentes* dicuntur, ii tantum percipiunt, qui in § 1, nn. 1, 7, 11,13, enumerantur, nisi obstet fundatorum expressa voluntas.

### CAN. 421.

§ 1. Excusantur a choro, sed percipiunt praebendae fructus dumtaxat, non autem distributiones :

1.° Qui de licentia Ordinarii loci publice docent in scholis ab Ecclesia recognitis sacram theologiam aut ius canonicum;

2.° Dantes operam studio sacrae theologiae aut iuris canonici in publicis scholis ab Ecclesia probatis, de Ordinarii licentia;

3.° Vicarius Capitularis, Vicarius Generalis, officialis ac cancellarius, si de gremio sint, dum suis muneribus vacant;

4.° Canonici qui Episcopo inserviunt.

§ 2. Quod si omnes praebendae fructus consistant in distributionibus, vel adeo sint tenues ut tertiam distributionum partem non attingant, tunc memorati omnes duas tantum tertias partes distributionum lucrantur, cumulatas ex fructibus praebendae ac distributionibus.

### CAN. 422.

§ 1. Praebenda fruentes ab Apostolica tantum Sede impetrare possunt indultum emeriti seu, ut aiunt, *initiationis* post continuum et laudabile quadraginta annorum in eadem vel distinctis ecclesiis eiusdem civitatis vel saltem dioecesis chori servitium.

§ 2. Iubilatus, etiamsi in loco beneficii non resideat, percipit tum fructus praebendae tum distributiones etiam inter praesentes, nisi obstent expressa fundatorum vel oblatorum voluntas, ecclesiae statuta aut consuetudo.

§ 3. Ius optandi, si ex lege fundationis competat, non est capitulari iubilato.

## CAPUT VI.

### *De consultoribus dioecesanis.*

CAN. **423.**

**In quibus dioecesibus nondum constitui potuit restituive cathedrale canonicorum Capitulum, instituantur ab Episcopo, salvis peculiaribus Apostolicae Sedis praescriptis, consultores dioecesani, hoc est sacerdotes pietate, moribus, doctrina ac prudentia commendati.**

CAN. **424.**

**Consultores nominat Episcopus, firmo praescripto can. 426.**

CAN. **425.**

**§ 1. Consultores dioecesani numero sint saltem sex; in dioecesibus ubi pauci sint sacerdotes, saltem quatuor; iidemque omnes in civitate episcopali vel in locis vicinioribus commorentur.**

**§ 2. Antequam munus huiusmodi suscipiant, iusiurandum interponant de officio fideliter exsequendo sine ulla acceptione personarum.**

CAN. **426,**

**§ 1. Officium consultorum est ad triennium.**

**§ 2. Exacto triennio, Episcopus vel alios in eorum locum substituat, vel eosdem ad aliud triennium confirmet, quod idem servetur singulis trienniis.**

**§ 3. Deficiente, quavis de causa, aliquo consultore intra triennium, Episcopus alium de consilio ceterorum consultorum substituat, isque in officio maneat usque ad expletum idem triennium.**

**§ 4. Cum vero triennium excidisse contigerit vacante sede episcopali, consultores in officio maneant usque ad accessum novi Episcopi, qui intra sex menses ab inita possessione providere debet ad normam huius canonis.**

**§ 5. Si, sede vacante, aliquis consultor moriatur vel renuntiet, Vicarius Capitularis, de consensu aliorum consultorum, alium nominet, qui tamen, ut munere, sede plena, fungatur, indiget novi Episcopi confirmatione.**

CAN. **427.**

**Coetus consultorum dioecesanorum vices Capituli cathedralis, qua Episcopi senatus, supplet; quare quae canones ad gubernationem dioecesis, sive sede plena sive ea impedita aut vacante, Capitulo cathedrali tribuunt, ea de coetu quoque consultorum dioecesanorum intelligenda sunt.**

CAN. **428.**

**Durante munere, consultores ne removeantur, nisi ob iustam causam ac de consilio ceterorum consultorum.**

## CAPUT VII.

### *De sede impedita aut vacante ac de Vicario Capitulari.*

CAN. **429.**

**§ 1. Sede per Episcopi eaptivitatem, relegationem, exsilium, aut inhabilitatem ita impedita, ut ne per litteras quidem cum dioecesanis communicare ipse possit, dioecesis regimen, nisi Sancta Sedes aliter providerit, penes Episcopi Vicarium Generalem vel alium virum ecclesiasticum ab Episcopo delegatum esto.**

**§ 2. Potest in casu Episcopus, gravi de causa, plures delegare, qui sibi invicem in munere succedant.**

**§ 3. His deficientibus, vel,,uti supra dictum est, impeditis, Capitulum ecclesiae cathedralis suum Vicarium constituat, qui regimen assumat cum potestate Vicarii Capitularis.**

**§ 4. Qui dioecesim regendam, ut supra, suscepit, quamprimum Sanctam Sedem moneat de sede impedita ac de assumpto munere.**

**§ 5. Si Episcopus in excommunicationem, interdictum vel suspensionem inciderit, Metropolita, eoque deficiente, vel, sf de eodem agatur, antiquior inter Suffraganeos ad Sedem Apostolicam illico recurrat, ut ipsa provideat; quod si de dioecesi agatur vel praelatura de quibus in can. 285, Metropolita qui fuit legitime electus, obligatione recurrendi tenetur.**

CAN. **430.**

**§ 1. Sedes episcopalis vacat Episcopi morte, renuntiatione a Romano Pontifice acceptata, translatione ac privatione Episcopo intimata.**

**§ 2. Nihilominus, excepta collatione beneficiorum "aut officiorum ecclesiasticorum, omnia vim habent quae gesta sunt a Vicario Generali, usque dum hic certam de obitu Episcopi notitiam acceperit, vel ab Episcopo aut Vicario Generali, usque dum certa de memoratis actibus pontificiis notitia ad eosdem pervenerit.**

**§ 3. A certa translationis notitia Episcopus intra quatuor menses debet dioecesim *ad quam* petere eiusdemque canonicam possessionem assumere ad normam can. 333, 334 et a die captae possessionis dioecesis *a qua* plene vacat; interim vero in eadem Episcopus :**

**1.° Vicarii Capitularis potestatem obtinet eisdemque obligationibus tenetur, cessante qualibet Vicarii Generalis potestate;**

**2.° Honorifica Episcoporum residentialium privilegia conservat;**

**3.° Integros percipit fructus mensae episcopalis ad normam can. 194, § 2. k**

CAN. **431.**

**§ 1. Sede vacante, nisi adfuerit Administrator Apostolicus vel aliter a Sancta Sede provisum fuerit, ad Capitulum ecclesiae cathedralis regimen dioecesis devolvitur.**

**§ 2. Sicubi ex speciali Sanctae Sedis dispositione Archiepiscopus**

**aliusve Episcopus Administratorem dioecesis vacantis designet, hic omnes et solas facultates habet quae Vicario Capitulari competunt, eisdem obligationibus ac poenis obnoxius.**

CAN. **432.**

**§ 1. Capitulum ecclesiae cathedralis, sede vacante, intra octo dies ab accepta notitia vacationis, debet Vicarium Capitularem qui loco sui dioecesim regat et, si fructuum percipiendorum ei munus' incumbat, oeconomum unum vel plures fideles ac diligentes constituere.**

**§ 2. Si Capitulum intra praescriptum tempus Vicarium aut oeconomum, quavis de causa, nullum deputaverit, deputatio ad Metropolitam devolvitur; si autem ecclesia ipsa metropolitana fuerit vacans vel metropolitana simul et suffraganea, ad antiquiorem ex Episcopis suffraganeis.**

**§ 3. Etiam vacante dioecesi aut abbatia vel praelatura de quibus in can. 285, si Capitulum intra octiduum Vicarium vel oeconomum non nominaverit, hunc Metropolita qui fuit legitime electus ad normam citati canonis, constituat, nisi in abbatia vel praelatura *nullius* religiosa aliter ad normam constitutionum provideatur.**

**§ 4. Capitulum quantocius de morte Episcopi et deinde electus in Vicarium Capitularem de sua electione Sedem Apostolicam certiorem faciant.**

CAN. **433.**

**§ 1. Unus deputetur Vicarius Capitularis, reprobata contraria consuetudine; secus electio irrita est.**

**§ 2. Vicarii Capitularis et oeconomi constitutio fieri debet per actum capitularem ad normam can. 160-182, salvis peculiaribus huius Capitis normis, et ad eius validitatem requiritur numerus suffragiorum absolute maior demptis suffragiis nullis.**

**§ 3. Idem potest in Vicarium Capitularem et oeconomum deputari.**

CAN. **434.**

**§ 1. Ad Vicarii Capitularis munus deputari valide nequit clericus qui ad sacrum presbyteratus ordinem nondum fuerit promotus, aut tricesimum aetatis annum non expleverit, aut ad eandem vacantem sedem fuerit electus, nominatus vel praesentatus.**

**§ 2. Vicarius Capitularis sit praeterea in theologia aut iure canonico doctor vel licentiatus aut saltem earundem disciplinarum Vere peritus, in eoque morum integritas, pietas, sana doctrina cum prudentiae laude conspirent.**

**§ 3. Si praescriptae § 1 conditiones posthabitae fuerint, Metropolita, aut si ecclesia metropolitana vacans fuerit, vel de ipso Capitulo metropolitano agatur, antiquior provinciae Episcopus, agnita rei veritate, Vicarium pro ea vice deputet; actus autem illius qui a Capitulo electus fuerat, ipso iure sunt nulli.**

CAN. **435.**

**§ 1. Sicut ad Capitulum ante deputationem Vicarii Capitularis, ita deinde ad Vicarium Capitularem transit ordinaria Episcopi iurisdictio in**

**spiritualibus et temporalibus, exceptis iis quae in iure expresse sunt eidem prohibita.**

**§ 2. Quare Capitulum et postea Vicarius Capitularis omnia possunt quae enumerata sunt can. 368, § 2; item facultate pollent exercitium pontificalium in dioecesi cuilibet Episcopo permittendi, imo, si Vicarius Capitularis sit Episcopus, potest ipse eadem exercere, excluso tamen usu throni cum baldachino.**

**§ 3. Vicario Capitulari et Capitulo non licet agere quidpiam quod vel dioecesi vel episcopalibus iuribus praeiudicium aliquod afferre possit; nominatim vero Vicarius Capitularis aliique sive de Capitulo sive extranei, clerici aut laici, per se vel per alium prohibentur Curiae episcopalis documenta quaelibet subtrahere vel destruere vel celare vel immutare.**

CAN. **436.**

**Sede vacante nihil innovetur.**

CAN. **437.**

**In Vicario constituendo nullam sibi iurisdictionis partem Capitulum retinere potest, nec gerendo muneri tempus praefinire aliasve restrictiones praestituere.**

CAN. **438.**

**Vicarius Capitularis, edita fidei professione de qua in can. 1406, statim iurisdictionem obtinet, quin necessaria sit ullius confirmatio.** '

CAN. **439.**

**Quae in can. 370 de Vicario Generali praescripta sunt, eadem de Vicario quoque Capitulari dicta intelligantur.**

CAN. **440.**

**Vicarius Capitularis obligatione tenetur residendi in dioecesi et applicandae Missae pro populo ad normam can. 338, 339.**

CAN. **441.**

**Nisi aliter fuerit legitime provisum :**

**1.° Vicarius Capitularis et oeconomus ius habent ad congruam retributionem, in Concilio provinciali designatam vel recepta consuetudine concedi solitam, desumendam ex reditibus mensae episcopalis aut ex aliis emolumentis;**

**2.° Cetera emolumenta, quo tempore sedes episcopalis vacaverit, futuro Episcopo pro dioecesis necessitatibus reserventur, si ad Episcopum, ecclesia non vacante, pertinuissent.**

CAN. **442.**

**Oeconomus rerum ecclesiasticarum et proventuum curam et administrationem gerat, sub auctoritate tamen Vicarii Capitularis.**

CAN. **443.**

**§ 1. Vicarii Capitularis et oeconomi remotio Sanctae Sedi reservatur; renuntiatio authentica forma est exhibenda Capitulo, a quo tamen**

**eam acceptari necesse non est, ut valeat; novi autem Vicarii vel oeconomi constitutio post prioris renuntiationem, obitum vel remotionem ad ipsum Capitulum pertinet, facienda ad normam can. 432.**

**§ 2. Cessat praeterea eorum munus per initam a novo Episcopo possessionem ad normam can. 334, § 3.**

CAN. **444.**

**§ 1. Novus Episcopus a Capitulo, a Vicario Capitulari, ab oeconomo et ab aliis officialibus, qui, sede vacante, fuerunt constituti, rationem exigere debet officiorum, iurisdictionis, administrationis munerisve ipsorum cuiuslibet, et in eos animadvertere, qui in suo officio seu administratione deliquerint, etiamsi, redditis rationibus, a Capitulo vel a Capituli deputatis absolutionem aut liberationem impetraverint.**

**§ 2. Iidem rationem reddant novo Episcopo scripturarum ad Ecclesiam pertinentium, si quae ad ipsos pervenerint.**

## CAPUT **VIII.**

## *De vicariis foraneis**

CAN. **445.**

**Vicarius foraneus est sacerdos qui vicariatui foraneo, de quo in can. 217, ab Episcopo praeficitur.**

CAN. **446.**

**§ 1. Ad munus vicarii foranei Episcopus eligat sacerdotem quem dignum iudicaverit, praesertim inter rectores ecclesiarum paroecialium.**

**§ 2. Vicarius foraneus ad nutum Episcopi amoveri potest.**

CAN. **447.**

**§ 1. Vicario foraneo, praeter facultates quas ei tribuit Synodus provincialis vel dioecesana et secundum normas in eadem Synodo legitime statutas vel ab Episcopo statuendas, ius et officium est invigilandi potissimum :**

**1.° Num ecclesiastici viri sui ambitus seu districtus vitam ducant ad normam sacrorum canonum suisque officiis diligenter satisfaciant, praesertim circa residentiae legem, divini verbi praedicationem, impertiendam pueris atque adultis catechesim et obligationem infirmis assistendi;**

**2.° Num decreta lata ab Episcopo in sacra visitatione exsecutioni mandentur;**

**3.° Num debitae cautelae circa materiam Sacrificii Eucharistici adhibeantur;**

**4.° Num decor et nitor ecclesiarum et sacrae supellectilis, maxime in custodia sanctissimi Sacramenti et in Missae celebratione, accurate servetur; an sacrae functiones secundum sacrae liturgiae praescripta celebrentur; bona ecclesiastica diligenter administrentur, adnexaque illis**

**onera, in primis Missarum, rite impleantur; rectene conscribantur et asserventur libri paroeciales.**

§ 2. **De iis omnibus ut reddatur certior, vicarius foraneus debet, statutis ab Episcopo temporibus, sui districtus paroecias visitare.**

§ 3. **Pertinet etiam ad vicarium foraneum, statim atque audierit aliquem sui districtus parochum graviter aegrotare, operam dare ne spiritualibus ac materialibus auxiliis honestoque funere, cum decesserit, careat; et curare ne, eo aegrotante vel decedente, libri, documenta, sacra supellectilis aliaque quae ad ecclesiam pertinent, depereant aut asportentur.**

CAN. 448.

§ 1. **Vicarius foraneus debet, diebus ab Episcopo designatis, convocare presbyteros proprii districtus ad conventus seu collationes de quibus in can.** 131 **eisdemque praeesse; ubi vero plures habeantur huiusmodi coetus in variis districtus locis, invigilare ut rite celebrentur.**

§ 2. **Si non sit parochus, debet residere in territorio vicariatus vel alio in loco non valde distanti secundum normas ab Episcopo definiendas.**

CAN. 449.

**Saltem semel in anno vicarius foraneus proprii vicariatus rationem reddere debet Ordinario loci, exponens non solum quae intra annum bene gesta sint, sed etiam quae mala obrepserint, quae scandala exorta sint, quae remedia ad ea reparanda adhibita et quidquid agendum existimet ad ea radicitus exstirpanda.**

CAN. 450.

§ 1. **Vicarius foraneus sigillum habeat vicariatus proprium.**

§ 2. **Praecedit omnibus parochis aliisque sacerdotibus sui districtus.**

## CAPUT IX.

## *De parochis.*

CAN. 451.

§ 1. **Parochus est sacerdos vel persona moralis cui paroecia collata est in titulum cum cura animarum sub Ordinarii loci auctoritate exercenda.**

§ 2. **Parochis aequiparantur cum omnibus iuribus et obligationibus paroecialibus et parochorum nomine in iure veniunt :**

1.° **Quasi-parochi, qui quasi-paroecias regunt, de quibus in can.** 216, § 3;

2.° **Vicarii paroeciales, si plena potestate paroeciali sint praediti.**

§ 3. **Circa militum cappellanos sive maiores sive minores, standum peculiaribus Sanctae Sedis praescriptis.**

CAN. 452.

§ 1. **Sine Apostolicae Sedis indulto paroecia nequit personae morali pleno iure uniri, ita nempe ut ipsamet persona moralis sit parochus, ad normam can.** 1423, § 2.

**§ 2. Persona moralis, cui paroecia sit pleno iure unita, habitualem tantum curam animarum retinere potest, servato, quod ad actualem spectat, praescripto can. 471.**

CAN. **453.**

**§ 1. Ut quis in parochum valide assumatur, debet esse in sacro presbyteratus ordine constitutus.**

**§ 2. Sit insuper bonis moribus, doctrina, animarum zelo, prudentia, ceterisque virtutibus ac qualitatibus praeditus, quae ad vacantem paroeciam cum laude gubernandam iure tum communi tum particulari requiruntur.**

CAN. **454.**

**§ 1. Qui paroeciae administrandae praeficiuntur qua proprii eiusdem rectores, stabiles in ea esse debent; quod tamen non impedit quominus omnes ab ea removeri queant ad normam iuris.**

**§ 2. At non omnes parochi eandem obtinent stabilitatem; qui maiore gaudent, inamovibiles; qui minore, amovibiles appellari solent.**

**§ 3. Paroeciae inamovibiles nequeunt amovibiles reddi sine beneplacito apostolico; amovibiles possunt ab Episcopo, non autem a Vicario Capitulari, de Capituli cathedralis consilio, inamovibiles declarari; novae quae erigantur, sint inamovibiles, nisi Episcopus, prudenti suo arbitrio, attentis peculiaribus locorum ac personarum adiunctis, audito Capitulo, amoyibilitatem magis expedire decreverit.**

**§ 4. Quasi-paroeciae sunt omnes amovibiles.**

**§ 5. Parochi autem, ad religiosam familiam pertinentes, sunt semper, ratione personae, amovibiles ad nutum tam loci Ordinarii, monito Superiore, quam Superioris, monito Ordinario, aequo iure, non requisito alterius consensu : nec alter alteri causam iudicii sui aperire multoque minus probare tenetur, salvo recursu in devolutivo ad Apostolicam Sedem.**

CAN. **455.**

**§ 1. Ius nominandi et instituendi parochos competit Ordinario loci, exceptis paroeciis Sanctae Sedi reservatis, reprobata contraria consuetudine, sed salvo privilegio electionis aut praesentationis, si cui legitime competat.**

**§ 2. Sede vacante aut impedita ad normam can. 429, ad Vicarium Capitularem aliumve qui dioecesim regat', pertinet :**

**1.° Vicarios paroeciales constituere ad normam can. 472-476;**

**2.° Confirmare electionem aut acceptare praesentationem ad paroeciam vacantem, et institutionem electo aut praesentato concedere;**

**3.° Paroecias liberae collationis conferre, si sedes ab anno saltem vacaverit.**

**§ 3. Horum nihil Vicario Generali competit sine mandato speciali, salvo praescripto cit. can. 429, § 1.**

CAN. **456.**

**Ad paroecias religiosis concreditas Superior, cui ex constitutionibus id competit, sacerdotem suae religionis praesentat Ordinario loci; qui eidem, servato praescripto can. 459, § 2, institutionem concedit.**

CAN. **457.**

**Quasi-parochos e clero saeculari proprius loci Ordinarius nominat, audito Consilio de quo in can. 302.**

CAN. **458.**

**Vacanti paroeciae curet loci Ordinarius providere ad normam can. 155, nisi peculiaria locorum ac personarum adiuncta, prudenti Ordinarii iudicio, collationem tituli paroecialis differendam suadeant.**

CAN. **459.**

**§ 1. Loci Ordinarius, graviter onerata eius conscientia, obligatione tenetur vacantem paroeciam illi conferendi, quem magis idoneum ad eam regendam habuerit, sine ulla personarum acceptione.**

**f 2. In hoc iudicio ratio haberi debet non solum doctrinae, sed etiam earum omnium qualitatum, quae ad paroeciam vacantem rite regendam requiruntur.**

**§ 3. Quare loci Ordinarius :**

**1.° Ne omittat documenta, si qua sint, ex Curiae tabulario desumere quae clericum nominandum respiciunt et notitias, secretas quoque, si opportunum iudicaverit, prudenter exquirere etiam ex locis extra dioecesim;**

**2.° Prae oculis habeat praescriptum can. 130, § 2;**

**3.° Clericum examini super doctrina coram se et examinatoribus synodalibus subiiciat; a quo, de consensu eorundem examinatorum, potest dispensare, si agatur de sacerdote doctrinae theologicae laude commendato.**

**§ 4. In" regionibus in quibus paroeciarum provisio fit per concursum sive specialem ad normam const. Benedicti XIV *Cum illud,* 14 Dec. 1742, sive generalem, haec forma retineatur, donec Sedes Apostolica aliud decreverit.**

CAN. **460.**

**§ 1. Parochus ad normam can. 156 unam tantum titulo paroeciam habeat, nisi de paroeciis agatur aeque principaliter unitis.**

**§ 2. In eadem paroecia unus tantum debet esse parochus qui actualem animarum curam gerat, reprobata contraria consuetudine et revocato quolibet contrario privilegio.**

CAN. **461.**

**Curam animarum parochus obtinet a momento captae possessionis ad normam can. 1443-1445; et ante possessionem aut in ipso possessionis capiendae actu fidei professionem edere debet, de qua in can. 1406, § 1, n. 7.**

CAN. 462.

Functiones parocho reservatae sunt, nisi aliud iure caveatur :

1.° Baptismum conferre sollemniter;

2.° Sanctissimam Eucharistiam publice ad infirmos in propria paroecia deferre;

3.° Sanctissimam Eucharistiam publice aut privatim tanquam Viaticum ad infirmos deferre atque in periculo mortis constitutos extrema unctione roborare, salvo praescripto can. 397, n. 3, 514, 848, § 2, 938, § 2;

4.° Sacras ordinationes et ineundas nuptias denuntiare; matrimoniis assistere; nuptialem benedictionem impertiri;

5.° Iusta funebria persolvere ad normam can. 1216;

6.° Domibus ad normam librorum liturgicorum benedicere Sabbato Sancto vel alia die pro locorum consuetudine;

7.° Fontem baptismalem in Sabbato Sancto benedicere, publicam processionem extra ecclesiam ducere, benedictiones extra ecclesiam cum pompa ac sollemnitate impertiri, nisi agatur de ecclesia capitulari et Capitulum has functiones peragat.

CAN. 463.

§ 1. Ius est parocho ad praestationes quas ei tribuit vel probata consuetudo vel legitima taxatio ad normam can. 1507.

§ 2. Potiores exigens, ad restitutionem tenetur.

§ 3. Licet paroeciale aliquod officium ab alio fuerit expletum, praestationes tamen parocho cedunt, nisi de contraria offerentium voluntate certo constet circa summam quae taxam excedit.

§ 4. Gratuitum ministerium ne deneget parochus iis qui solvendo pares non sunt.

CAN. 464.

§ 1. Parochus ex officio tenetur curam animarum exercere in omnes suos paroecianos, qui non sint legitime exempti.

§ 2. Potest Episcopus iusta et gravi de causa religiosas familias et pias domos, quae in paroeciae territorio sint et a iure non exemptae, a parochi cura subducere.

'CAN. 465.

§ .1. Parochus obligatione tenetur residendi in domo paroeciali prope suam ecclesiam; loci tamen Ordinarius potest iusta de causa permittere ut alibi commoretur, dummodo domus ab ecclesia paroeciali non ita distet ut paroecialium perfunctio munerum aliquid inde detrimenti capiat.

§ 2. Eidem abesse permittitur per duos ad summum intra annum menses sive continuos sive intermissos, nisi gravis causa, iudicio ipsius Ordinarii, vel diuturniorem absentiam requirat vel breviorem tantum permittat.

§ 3. Dies quibus parochus piis exercitiis vacat ad normam can. 126, non computantur, semel in anno, in duobus vacationum mensibus, de quibus in § 2.

**§ 4. Sive continuum sive intermissum sit vacationum tempus, cum absentia ultra hebdomadam est duratura, parochus, praeter legitimam causam, habere debet Ordinarii scriptam licentiam et vicarium substitutum sui loco relinquere ab eodem Ordinario probandum; quod si parochus sit religiosus, indiget praeterea consensu Superioris et substitutus tum ab Ordinario tum a Superiore probari debet.**

**§ 5. Si parochus repentina et gravi de causa discedere atque ultra hebdomadam cogatur abesse, quamprimum per litteras Ordinarium commonefaciat, ei indicans causam discessus et sacerdotem supplentem, eiusque stet mandatis.**

**§ 6. Etiam pro tempore brevioris absentiae parochus debet fidelium necessitatibus providere, maxime si id peculiaria rerum adiuncta postulent.**

CAN. **466.**

**§ 1. Applicandae Missae pro populo obligatione tenetur parochus ad normam can. 339, quasi-parochus ad normam can. 306.**

**§ 2. Parochus qui plures forte paroecias aeque principaliter unitas regat aut, praeter propriam paroeciam, aliam vel alias in administrationem habeat, unam tantum debet Missam pro pppulis sibi commissis diebus praescriptis applicare.**

**§ 3. Ordinarius loci iusta de causa permittere potest ut parochus Missam pro populo alia die applicet ab ea qua iure adstringitur.**

**§ 4. Parochus Missam pro populo applicandam celebret in ecclesia paroeciali, nisi rerum adiuncta Missam alibi celebrandam exigant aut suadeant.**

**§ 5. Legitime absens parochus potest Missam pro populo applicare vel ipse per se in loco in quo degit, vel per sacerdotem qui eius vices gerat in paroecia.**

CAN. **467.**

**§ 1. Debet parochus officia divina celebrare, administrare Sacramenta fidelibus, quoties legitime petant, suas oves cognoscere et errantes prudenter corrigere, pauperes ac miseros paterna caritate complecti, maximam curam adhibere in catholica puerorum institutione.**

**§ 2. Monendi sunt fideles ut frequenter, ubi commode id fieri possit, ad suas paroeciales ecclesias accedant ibique divinis officiis intersint et verbum Dei audiant.**

CAN. **468.**

**§ 1. Sedula cura et effusa caritate debet parochus aegrotos in sua paroecia, maxime vero morti proximos, adiuvare, eos sollicite Sacramentis reficiendo eorumque animas Deo commendando.**

**§ 2. Parocho aliive sacerdoti qui infirmis assistat, facultas est eis concedendi benedictionem apostolicam cum indulgentia plenaria in articulo mortis, secundum formam a probatis liturgicis libris traditam, quam benedictionem impertiri ne omittat.**

CAN. 469.

**Parochus diligenter advigilet ne quid contra fidem ac mores in sua paroecia, praesertim in scholis publicis et privatis, tradatur, et opera caritatis, fidei ac pietatis foveat aut instituat.**

CAN. 470.

§ 1. **Habeat parochus libros paroeciales, idest librum baptizatorum, confirmatorum, matrimoniorum, defunctorum; etiam librum de statu animarum accurate conficere pro viribus curet; et omnes hos libros, secundum usum ab Ecclesia probatum vel a proprio Ordinario praescriptum, conscribat ac diligenter asservet.**

§ 2. **In libro baptizatorum adnotetur quoque si baptizatus confirmationem receperit, matrimonium contraxerit, salvo praescripto can.** 1107, **aut sacrum subdiaconatus ordinem susceperit, vel professionem sollemnem emiserit, eaeque adnotationes in documenta accepti baptismatis semper referantur.**

§ 3. **In fine cuiuslibet anni parochus authenticum exemplar librorum paroecialium ad Curiam episcopalem transmittat, excepto libro de statu animarum.**

§ 4. **Paroeciali utatur sigillo habeatque tabularium, seu archivum, in quo memorati libri custodiantur una cum Episcoporum epistolis, aliisque documentis, necessitatis vel utilitatis causa servandis; quae omnia, ab Ordinario vel eius delegato visitationis vel** ALIO **opportuno tempore inspicienda, religiose caveat ne ad extraneorum manus perveniant.**

CAPUT X.

*De vicariis paroecialibus.*

CAN. 471.

§ 1. **Si paroecia pleno iure fuerit unita domui religiosae, ecclesiae capitulari vel alii personae morali, debet constitui vicarius, qui actualem curam gerat animarum, assignata eidem congrua fructuum portione, arbitrio Episcopi.**

§ 2. **Excepto casu tum legitimi privilegii aut consuetudinis, tum dotationis vicariae ab Episcopo factae, reservata sibi libera nominatione, vicarium praesentat Superior religiosus, Capitulum aliave persona moralis; loci autem Ordinarius eundem, si idoneum, servato praescripto can.** 459, **repererit, instituat.**

§ 3. **Vicarius si sit religiosus, est amovibilis sicut parochus religiosus de quo in can.** 454, § 5; **ceteri omnes vicarii ex parte praesentantis sunt perpetui, sed ab Ordinario possunt, ad instar parochorum, removeri, monito eo qui praesentavit.**

§ 4. **Ad vicarium exclusive pertinet tota animarum cura cum omnibus parochorum iuribus et obligationibus ad normam iuris communis et secundum probata statuta dioecesana vel laudabiles consuetudines.**

CAN. **472.**

**Vacante paroecia :**

**1.° Ordinarius loci in ea quamprimum constituat idoneum vicarium oeconomum, de consensu Superioris, si de religioso agatur, qui eam tempore vacationis regat, assignata eidem parte fructuum pro congrua sustentatione;**

**2.° Ante oeconomi constitutionem, paroeciae regimen, nisi aliter provisum fuerit, assumat interim vicarius cooperator; si plures vicarii sint, primus; si omnes aequales, munere antiquior; si vicarii desint, parochus vicinior; si tandem agatur de paroecia religiosis concredita, domus Superior; loci autem Ordinarius in Synodo vel extra Synodum tempestive determinet quaenam paroecia cuique paroeciae vicinior habenda sit;**

**3.° Qui paroeciae regimen ad normam n. 2 assumpsit, debet loci Ordinarium de paroeciae vacatione statim certiorem facere.**

CAN. **473.**

**§ 1. Vicarius oeconomus iisdem iuribus gaudet iisdemque officiis adstringitur, ac parochus, in iis quae animarum curam spectant; nihil tamen ipsi agere in paroecia licet, quod praeiudicium afferre possit iuribus parochi aut beneficii paroecialis.**

**§ 2. Oeconomus novo parocho vel oeconomo successori coram vicario foraneo vel alio sacerdote ab Ordinario designato tradat clavem archivi et inventarium librorum ac documentorum aliarumque rerum quae ad paroeciam pertinent, et rationem reddat accepti et expensi tempore administrationis.**

CAN. **474.**

**Vicarius substitutus qui constituitur ad normam can. 465, §§ 4, 5 et can. 1923, § 2, locum parochi tenet in omnibus quae ad curam animarum spectant, nisi Ordinarius loci vel parochus aliquid exceperint.**

CAN. **475.**

**§ 1. Si parochus ob senectutem, mentis vitium, imperitiam, caecitatem aliamve permanentem causam suis muniis rite obeundis impar evaserit, Ordinarius loci det vicarium adiutorem, praesentatum a Superiore, si de paroecia agatur religiosis concredita, qui suppleat eius vicem, assignata eidem congrua fructuum portione, nisi aliter provisum sit.**

**§ 2. Adiutori, si in omnibus suppleat parochi vicem, iura omnia et officia competunt parochorum propria, excepta Missae applicatione pro populo quae parochum gravat; si vero suppleat ex parte dumtaxat, eius iura et obligationes desumantur ex litteris deputationis.**

**§ 3. Si parochus sit sui compos, adiutor operam suam praestare debet sub eiusdem auctoritate secundum Ordinarii litteras.**

**§ 4. Quod si per vicarium adiutorem bono animarum provideri nequeat, locus est parochi amotioni ad normam can. 2147-2161.**

CAN. 476. -

**§ 1. Si parochus propter populi multitudinem aliasve causas nequeat, iudicio Ordinarii, solus convenientem curam gerere paroeciae, eidem detur unus vel plures vicarii cooperatores, quibus congrua remuneratio assignetur.**

**§ 2. Vicarii cooperatores constitui possunt sive pro universa paroecia, sive pro determinata paroeciae parte.**

**§ 3. Non ad parochum, sed ad loci Ordinarium, audito parocho, competit ius nominandi vicarios cooperatores e clero saeculari.**

**§ 4. Vicarios cooperatores religiosos Superior cui id ex constitutionibus competit, audito parocho, praesentat Ordinario, cuius est eosdem approbare.**

**§ 5. Vicarius cooperator obligatione tenetur in paroecia residendi secundum statuta dioecesana vel laudabiles consuetudines aut Episcopi praescriptum; imo prudenter curet Ordinarius, ad normam can. 134, ut in eadem paroeciali domo commoretur.**

**§ 6. Eius iura et obligationes ex statutis dioecesanis, ex litteris Ordinarii et ex ipsius parochi commissione desumantur; sed, nisi aliud expresse caveatur, ipse debet ratione officii parochi vicem supplere eumque adiuvare in universo paroeciali ministerio, excepta applicatione Missae pro populo.**

**§ 7. Subest parocho, qui eum paterne instruat ac dirigat in cura animarum, ei invigilet et saltem quotannis ad Ordinarium de eodem referat.**

**§ 8. Si nec per vicarios cooperatores spirituali fidelium bono consuli rite queat, Episcopus provideat ad normam can. 1427.**

CAN. 477.

**§ 1. Vicarii paroeciales de quibus in can. 472-476, si religiosi sint, amoveri possunt ad normam can. 454, § 5; secus ad nutum Episcopi vel Vicarii Capitularis, non autem Vicarii Generalis sine mandato speciali.**

**§ 2. Quod si vicaria sit beneficialis, vicarius cooperator removeri potest processu ad normam iuris, non solum ob causas propter quas alii parochi removeri possunt, sed etiam si graviter subiectioni defecerit parocho debitae in exercitio suarum functionum.**

CAN. 478.

**§ 1. Sicut parochus ecclesiae Cathedralis, ita vicarius paroecialis Ca^pituli cathedralis praecedit omnibus aliis dioecesis parochis aut vicariis; oeconomi vero ius praecedentiae regitur normis in can. 106 statutis.**

**§ 2. Vicarii substituti et adiutores praecedunt, dum in munere manent, vicariis cooperatoribus; hi aliis sacerdotibus ecclesiae paroeciali addictis.**

CAPUT **XI.**

## *De ecclesiarum rectoribus.*

CAN. **479.**

**§ 1. Nomine rectorum ecclesiarum hic veniunt sacerdotes, quibus cura demandatur alicuius ecclesiae, quae nec paroecialis sit nec capitularis, nec adnexa domui communitatis religiosae, quae in eadem officia celebret.** *

**§ 2. De cappellano religiosarum, sodalium virorum religionis laicalis, confraternitatis vel alius legitimae associationis, serventur particularium canonum praescripta.**

CAN. **480.**

**§ 1. Ecclesiarum rectores libere nominantur ab Ordinario loci, salvo iure eligendi aut praesentandi, si cui legitime competat; quo in casu Ordinarii est rectorem approbare.**

**§ 2. Licet ecclesia pertineat ad aliquam religionem exemptam, rector tamen a Superiore nominatus debet ab Ordinario loci approbari.**

**§ 3. Si ecclesia coniuncta sit cum Seminario aliove collegio quod a clericis regitur, Superior Seminarii vel collegii est simul ecclesiae rector, nisi aliter loci Ordinarius constituerit.**

CAN. **481.**

**In ecclesia sibi commissa rector functiones paroeciales peragere nequit.**

CAN. **482.**

**Ecclesiae rector potest divina officia etiam sollemnia ibidem celebrare, salvis legitimis fundationis legibus et dummodo non noceant ministerio paroeciali; in dubio autem utrum huiusmodi detrimentum contingat, necne, Ordinarii loci est rem dirimere et opportunas normas praescribere ad illud evitandum.**

CAN. **483.**

**Si ecclesia, Ordinarii loci iudicio, ita a paroeciali distet ut paroeciani non sine gravi incommodo possint paroecialem ecclesiam adire ibique divinis officiis interesse :**

**1.° Loci Ordinarius, gravibus quoque statutis poenis, potest rectori praecipere ut horis populo commodioribus officia celebret, fidelibus dies festos ac ieiunia denuntiet et catecheticam instructionem et Evangelii explicationem tradat;**

**2.° Parochus potest ex eadem sanctissimum Sacramentum, inibi ad normam can. 1265 forte asservatum, pro infirmis desumere.**

CAN. **484.**

**§ 1. Sine rectoris vel alius legitimi Superioris licentia saltem praesumpta, nemini licet in ecclesia Missam celebrare, Sacramenta mini-**

**strare aliasve functiones sacras peragere; haec vero licentia dari vel negari debet ad normam iuris.**

§ 2. **Quod attinet ad conciones in ecclesia habendas, serventur praescripta can.** 1337-1342.

CAN. 485.

**Rector ecclesiae, sub auctoritate Ordinarii loci servatisque legitimis statutis ac quaesitis iuribus, debet curare seu advigilare ut divina officia ad sacrorum canonum praescripta ordinate in ecclesia celebrentur, onera fideliter adimpleantur, bona rite administrentur, sacrae supellectilis atque aedium sacrarum conservationi et decori prospiciatur, et ne quidpiam fiat quod sanctitati loci ac reverentiae domo Dei debitae quoquo modo repugnet.**

CAN. 486.

**Rectorem ecclesiae, etsi ab aliis electum aut praesentatum, Ordinarius loci removere ad nutum potest ex qualibet iusta causa; quod si rector fuerit religiosus, servetur, circa eius remotionem, praescriptum «can.** 454, § 5.

# PARS SECUNDA

# DE RELIGIOSIS

CAN. 487.

**Status religiosus seu stabilis in communi vivendi modus, quo fideles, praeter communia praecepta, evangelica quoque consilia servanda per vota obedientiae, castitatis et paupertatis suscipiunt, ab omnibus in honore habendus est.**

CAN. 488.

**In canonibus qui sequuntur, veniunt nomine :**

1.° ***Religionis,*** **societas, a legitima ecclesiastica auctoritate approbata, in qua sodales, secundum proprias ipsius societatis leges, vota publica, perpetua vel temporaria, elapso tamen tempore renovanda, nuncupant, atque ita ad evangelicam perfectionem tendunt;**

**2.°** ***Ordinis,*** **religio in qua vota sollemnia nuncupantur;** ***Congregationis monasticae,*** **plurium monasteriorum sui iuris inter se coniunctio sub eodem Superiore;** ***religionis exemptae,*** **religio sive votorum sollemnium.sive simplicium, a iurisdictione Ordinarii loci subducta;** ***Congregationis religiosae*** **vel** ***Congregationis*** **simpliciter, religio in qua vota dumtaxat simplicia sive perpetua sive temporaria emittuntur;**

3.° ***Religionis iuris pontificii,*** **religio quae vel approbationem vel saltem laudis decretum ab Apostolica Sede est consecuta;** ***iuris dioecesani,*** **religio quae ab Ordinariis erecta, hoc laudis decretum nondum obtinuit;**

4.° ***Religionis clericalis,*** **religio cuius plerique sodales sacerdotio augentur; secus est** ***laicalis;***

**5.° *Domus religiosae,* domus alicuius religionis in genere; *domus regularis,* domus Ordinis; *domus formatae,* domus religiosa in qua sex saltem religiosi professi degunt, quorum, si agatur de religione clericali," quatuor saltem sint sacerdotes;**

**6.° *Provinciae,* plurium religiosarum domorum inter se coniunctio sub eodem Superiore, partem eiusdem religionis constituens;**

**7.° *Religiosorum,* qui vota nuncuparunt in aliqua religione; *religiosorum votorum simplicium,* quidn Congregatione religiosa; *regularium,* qui in Ordine; *sororum,* religiosae votorum simplicium; *monialium,* religiosae votorum sollemnium aut, nisi ex rei natura vel ex contextu sermonis aliud constet, religiosae quarum vota ex instituto sunt sollemnia, sed pro aliquibus locis ex Apostolicae Sedis praescripto sunt simplicia;**

**S.° *Superiorum maiorum,* Abbas Primas, Abbas Superior Congregationis monasticae, Abbas monasterii sui iuris, licet ad monasticam Congregationem pertinentis, supremus religionis Moderator, Superior provincialis, eorundem vicarii aliique ad instar provincialium potestatem habentes.**

CAN. **489.**

**Regulae et particulares constitutiones singularum religionum, canonibus huius Codicis non contrariae, vim suam servant; quae vero eisdem opponuntur, abrogatae sunt.**

CAN. **490.**

**Quae de religiosis statuuntur, etsi masculino vocabulo expressa, valent etiam pari iure de mulieribus, nisi ex contextu sermonis vel ex rei natura aliud constet.**

CAN. **491.**

**§ 1. Religiosi praecedunt laicis; religiones clericales, laicalibus; canonici regulares, monachis; monachi, ceteris regularibus; regulares, Congregationibus religiosis; Congregationes iuris pontificii, Congregationibus iuris dioecesani; in eadem specie servetur praescriptum can. 106, n. 5.**

**§ 2. At clerus saecularis praecedit tum laicis tum religiosis extra eorum ecclesias atque etiam in eorum ecclesiis, si agatur de religione laicali; Capitulum vero cathedrale vel collegiale eisdem praecedit ubique locorum.**

## TITULUS IX.

### De erectione et suppressione religionis, provinciae, domus.

CAN. **492.**

**§ 1. Episcopi, non autem Vicarius Capitularis vel Vicarius. Generalis, condere possunt Congregationes religiosas; sed eas ne condant neve condi sinant, inconsulta Sede Apostolica; quod si agatur de tertiariis in communi viventibus, requiritur praeterea ut a supremo Moderatore primi Ordinis suae religioni aggregentur.**

**§ 2. Congregatio iuris dioecesani, quamvis decursu temporis in plures dioeceses diffusa, usque tamen dum pontificiae approbationis aut**

**laudis testimonio caruerit, remanet dioecesana, Ordinariorum iurisdictioni ad normam iuris plane subiecta.**

§ 3. **Nec nomen nec habitus religionis iam constitutae assumi potest ab iis qui ad illam legitime non pertinent aut a nova religione.**

CAN. 493.

**Quaelibet religio etiam iuris dioecesani tantum, semel legitime condita, etiamsi unica domo constet, supprimi nequit nisi a Sancta Sede, cui etiam reservatur de bonis in casu statuere, semper tamen salva, offerentium voluntate.**

CAN. 494.

§ 1. **Religionem pontificii iuris in provincias dividere, constitutas iam provincias coniungere vel aliter circumscribere, novas condere conditasve supprimere, monasteria sui iuris a monastica Congregatione separare et alii unire, ad unam pertinet Sedem Apostolicam.**

§ 2. **Exstincta provincia, de eius bonis statuere, salvis IUSTITIAE legibus et fundatorum voluntate, spectat, nisi constitutiones aliud caveant, ad Capitulum generale vel, extra tempus Capituli, ad Moderatorem generalem cum suo Consilio.**

CAN. 495.

§ 1. **Congregatio religiosa iuris dioecesani in alia dioecesi domos constituere non potest, nisi consentiente utroque Ordinario, tum loci ubi est domus princeps, tum loci quo velit commigrare; Ordinarius autem loci unde excedit, consensum sine gravi causa ne deneget.**

§ 2. **Si ad dioeceses alias eam propagari accidat, nihil de ipsius legibus mutari liceat, nisi de consensu singulorum Ordinariorum quorum in dioecesibus aedes habeat, salvis iis quae, ad normam can.** 492, § 1, **Sedi Apostolicae fuere subiecta.**

CAN. 496.

**Nulla religiosa domus erigatur, nisi iudicari prudenter possit vel ex reditibus propriis vel ex consuetis eleemosynis vel alio modo congruae sodalium habitationi et sustentationi provisum iri.**

CAN. 497.

§ 1. **Ad erigendam domum religiosam exemptam, sive formatam sive non formatam, aut monasterium monialium, aut in locis Sacrae Congregationi de Prop. Fide subiectis quamlibet religiosam domum, requiritur beneplacitum Sedis Apostolicae et Ordinarii loci consensus in scriptis datus; secus, satis est Ordinarii venia.**

§ 2. **Constituendae novae domus permissio facultatem secumfert pro religionibus clericalibus habendi ecclesiam vel publicum oratorium domui adnexum, salvo praescripto can.** 1162, § 4, **et sacra ministeria peragendi, servatis de iure servandis; pro omnibus religionibus, pia opera exercendi religionis propria, salvis conditionibus in ipsa permissione appositis.**

§ 3. **Ut aedificentur et aperiantur schola, hospitium vel similis ra-**

**tionis aedes separata a domo etiam exempta, necessaria est et sufficit specialis Ordinarii scripta licentia.**

**§ 4. Ut constituta domus in alios usus convertatur, eaedem sollemnitates requiruntur de quibus in § 1, nisi agatur de conversione quae, salvis fundationis legibus, ad internum regimen et disciplinam religiosam dumtaxat referatur.**

CAN. **498.**

**Domus religiosa sive formata sive non formata, si ad religionem exemptam pertineat, supprimi nequit sine beneplacito apostolico; si ad Congregationem iuris pontificii non exemptam, supprimi potest a supremo Moderatore, consentiente Ordinario loci; si ad Congregationem iuris dioecesani, sola Ordinarii loci auctoritate, audito Congregationis Moderatore, salvo praescripto can. 493, si de unica domo agatur, salvoque iure recursus in suspensivo ad Sedem Apostolicam.**

## TITULUS X.

## De religionum regimine.

### CAPUT I.

### *De Superioribus et de Capitulis.*

CAN. **499.**

**§ 1. Religiosi omnes, tanquam supremo Superiori, subduntur Romano Pontifici cui obedire tenentur etiam vi voti obedientiae.**

**§ 2. Cardinalis Protector cuiuslibet religionis, nisi aliud expresse cautum fuerit in peculiaribus casibus, iurisdictione in religionem aut in singulos sodales non pollet, nec potest se interiori disciplinae et bonorum administrationi immiscere, sed eius est tantummodo bonum religionis consilio et patrocinio promovere.**

CAN. **500.**

**§ 1. Subduntur quoque religiosi Ordinario loci, iis exceptis qui a Sede Apostolica exemptionis privilegium consecuti sunt, salva semper potestate quam ius etiam in eos locorum Ordinariis concedit.**

**§ 2. Moniales quae sub iurisdictione Superiorum regularium ex praescripto constitutionum sunt, Ordinario loci subduntur tantum in casibus iure expressis.**

**§ 3. Nulla virorum religio sine speciali apostolico indulto potest sibi subditas habere religiosas Congregationes mulierum aut earum religiosarum curam et directionem retinere sibi specialiter commendatam.**

CAN. **501.**

**§ 1. Superiores et Capitula, ad normam constitutionum et iuris communis, potestatem habent dominativam in subditos; in religione autem clericali exempta, habent iurisdictionem ecclesiasticam tam pro foro interno, quam pro externo.**

**§ 2. Superioribus quibuslibet districte prohibetur quominus in causis ad S. Officium spectantibus se intromittant.**

**§ 3. Abbas Primas et Superior Congregationis monasticae non habent omnem potestatem et iurisdictionem quam ius commune tribuit Superioribus maioribus, sed eorum potestas et iurisdictio desumenda est ex propriis constitutionibus et ex peculiaribus Sanctae Sedis decretis, firmo praescripto can. 655, 1594, § 4.**

CAN. **502.**

**Supremus religionis Moderator potestatem obtinet in omnes provincias, domos, sodales religionis, exercendam secundum constitutiones; alii Superiores ea gaudent intra fines sui muneris.**

CAN. **503.**

**Superiores maiores in religionibus clericalibus exemptis possunt notarios constituere, sed tantum pro negotiis ecclesiasticis suae religionis.**

CAN. **504.**

**Firmis propriis cuiusvis religionis constitutionibus quae provectiorem aetatem aliaque potiora requisita exigant, ad munus Superioris maioris inhabiles sunt qui eandem religionem professi non sunt a decem saltem annis a prima professione computandis, non sunt ex legitimo matrimonio nati et annos quadraginta non expleverunt, si agatur de supremo religionis Moderatore aut de Antistita in monialium monasterio; annos triginta, si de aliis Superioribus maioribus.**

CAN. **505.**

**Superiores maiores sint temporarii, nisi aliter ferant constitutiones; Superiores autem minores locales ne constituantur ad tempus ultra triennium; quo exacto, possunt ad idem munus iterum assumi, si constitutiones ita ferant, sed non tertio immediate in eadem religiosa domo.**

CAN. **806.**

**§ 1. Antequam ad Superiorum maiorum electionem deveniatur in religionibus virorum, omnes et singuli e Capitulo iureiurando promittant se electuros quos secundum Deum eligendos esse existimaverint.**

**§ 2. In monasteriis monialium, comitiis eligendae Antistitae praesit, quin tamen clausuram ingrediatur, Ordinarius loci aut eius delegatus cum duobus sacerdotibus scrutatoribus, si moniales eidem subiectae sint; secus, Superior regularis; sed etiam hoc in casu Ordinarius tempestive moneri debet de die et hora electionis, cui potest una cum Superiore regulari per se ipse vel per alium assistere et, si assistat, praeesse.**

**§ 3. In scrutatores ne assumantur ipsarum monialium confessarii ordinarii.**

**§ 4. In mulierum Congregationibus electioni Antistitae generalis praesideat per se vel per alium Ordinarius loci, in quo electio peragitur; cui, si agatur de Congregationibus iuris dioecesani, peractam electionem confirmare vel rescindere integrum est pro conscientiae officio.**

CAN. 507.

**§ 1. In electionibus quae a Capitulis fiunt, servetur ius commune de quo in can. 160-182, praeter cuiusque religionis constitutiones eidem non contrarias.**

**§ 2. Caveant omnes a directa vel indirecta suffragiorum procuratione tam pro seipsis quam pro aliis.**

**§ 3. Postulatio admitti potest solum in casu extraordinario et dummodo in constitutionibus non prohibeatur.**

CAN. 508.

**In sua quisque domo Superiores commorentur nec ab eadem discedant, nisi ad normam constitutionum.**

CAN. 509.

**§ 1. Omnis Superior debet' notitiam ei exsecutionem decretorum Sanctae Sedis, quae religiosos respiciunt, suos inter subditos promovere.**

**§ 2. Curent Superiores locales :**

**1.° Ut saltem semel in anno, statis diebus, publice legantur propriae constitutiones, itemque decreta.quae publice legenda Sancta Sedes, praescribet;**

**2.° Ut saltem bis in mense, firmo praescripto can. 565, § 2, christianae catechesis habeatur instructio pro conversis et familiaribus, audientium conditioni accommodata, et, praesertim in religionibus laicalibus, pia ad omnes de familia exhortatio.**

CAN. 510.

**Abbas Primas, Superior Congregationis monasticae et cuiusvis religionis iuris pontificii Moderator supremus debet quinto quoque anno vel saepius, si ita ferant constitutiones, relationem de statu religionis ad Sanctam Sedem per documentum mittere, subsignatum a se cum suo Consilio* et, si agatur de Congregatione mulierum, etiam ab Ordinario loci in quo suprema Antistita cum suo Consilio residet.**

CAN. 511.

**Maiores religionum Superiores quos ad hoc munus constitutiones; designant, temporibus in eisdem definitis, omnes domos sibi subiectas visitent per se, vel per alios, si fuerint legitime impediti.**

CAN. 512.

**§ 1. Ordinarius loci per se vel per alium quinto quoque anno visitare debet :**

**1.° Singula monialium monasteria quae sibi vel Sedi Apostolicae immediate subiecta sunt;**

**2.° Singulas domos sive virorum sive mulierum Congregationis- iuris dioecesani.**

**§ 2. Visitare quoque eodem tempore debet :**

**1.° Monasteria monialium, quae regularibus subduntur, circa ea quae clausurae legem spectant; imo etiam circa alia omnia, si Superior regularis ea a quinque annis non visitaverit;**

**2.° Singulas domos Congregationis clericalis iuris pontificii etiam exemptae, in iis quae pertinent ad ecclesiam, sacrarium, oratorium publicum, sedem ad sacramentum poenitentiae;**

**3.° Singulas domos Congregationis laicalis iuris pontificii non solum in iis, de quibus in superiore numero, sed etiam in aliis, quae internam disciplinam spectant, ad normam tamen can. 618, § 2, n. 2.**

**§ 3. Quod ad bonorum administrationem attinet, serventur praescripta can. 533-535.**

CAN. **513.**

**§ 1. Visitator ius et officium habet interrogandi religiosos quos oportere iudicaverit et cognoscendi de iis quae ad visitationem spectant; omnes autem religiosi obligatione tenentur respondendi secundum veritatem, nec Superioribus f as est quoquo modo eos ab hac obligatione avertere aut visitationis scopum aliter impedire.**

**§ 2. A decretis Visitatoris recursus datur in devolutivo tantum, nisi Visitator ordine iudiciario processerit.**

CAN. **514.**

**§ 1. In omni religione clericali ius et officium Superioribus est per se vel per alium aegrotis professis, novitiis, aliisve in religiosa domo diu noctuque degentibus causa famulatus aut educationis aut hospitii aut infirmae valetudinis, Eucharisticum Viaticum et extremam unctionem ministrandi.**

**§ 2. In monialium domo idem ius et officium habet ordinarius confessarius vel qui eius vices gerit.**

**§ 3. In alia religione laicali hoc ius et officium spectat ad parochum loci vel ad cappellanum quem Ordinarius parocho suffecerit ad normam can. 464, § 2.**

**§ 4. In funeribus servetur praescriptum can. 1221, 1230, § 5.**

CAN. **515.**

**Prohibentur tituli dignitatum vel officiorum mere honorifici; soli, si id permittant constitutiones, tolerantur tituli officiorum maiorum, quibus religiosi in propria religione reapse functi sint.**

CAN. **516.**

**§ 1. Supremus religionis aut monasticae Congregationis Moderator, Superior provincialis et localis saltem formatae domus habeant suos consiliarios, quorum consensum aut consilium exquirant ad normam constitutionum et sacrorum canonum.**

**§ 2. Sint etiam pro administratione bonorum temporalium oeconomi : generalis qui religionis universae bona administret, provincialis qui pro-**

vinciae, localis qui singularum, domorum; qui omnes officio suo fungantur sub directione Superioris.

§ 3. Oeconomi generalis et provincialis munus gerere Superior ipse non potest; munus vero oeconomi localis, quamvis melius a munere Superioris distinguatur, componi tamen cum eo potest, si necessitas id exigat.

§ 4. Si de modo oeconomos eligendi constitutiones sileant, a Superiore maiore cum consensu sui Consilii eligantur.

CAN. 517.

§ 1. Quaevis virorum religio iuris pontificii procuratorem generalem habeat, qui, secundum constitutiones designatus, negotia propriae religionis apud Sanctam Sedem pertractet.

§ 2. Antequam praescriptum in constitutionibus tempus exspiret, ne amoveatur, inconsulta Sede Apostolica.

## CAPUT II.

### *De confessariis et cappellanis.*

CiN. 518.

§ 1. In singulis religionis clericalis domibus deputentur plures pro sodalium numero confessarii legitime approbati, cum potestate, si agatur de religione exempta, absolvendi etiam a casibus in religione reservatis.

§ 2. Superiores religiosi, potestatem audiendi confessiones habentes, possunt, servatis de iure servandis, confessiones audire subditorum, qui ab illis sponte sua ac motu proprio id petant, at sine gravi causa id per modum habitus ne agant.

§ 3. Caveant Superiores ne quem subditum aut ipsi per se aut per alium vi, metu, importunis suasionibus aliave ratione inducant ut peccata apud se confiteatur.

CAN. 519.

Firmis constitutionibus quae confessionem statis temporibus praecipiunt vel suadent apud determinatos confessarios peragendam, si religiosus, etiam exemptus, ad suae conscientiae quietem, confessarium adeat ab Ordinario loci approbatum, etsi inter designatos non recensitum, confessio, revocato quolibet contrario privilegio, valida et licita est; et confessarius potest religiosum absolvere etiam a peccatis et censuris in religione reservatis.

CAN. 520.

§ 1. Singulis religiosarum domibus unus dumtaxat detur confessarius ordinarius, qui sacramentales confessiones universae communitatis excipiat, nisi propter magnum ipsarum numerum vel aliam iustam causam sit opus altero vel pluribus.

§ 2. Si qua religiosa, ad animi sui quietem, et ad maiorem in via Dei progressum, aliquem specialem confessarium vel moderatorem spiri-

**tualem postulet, eum facile Ordinarius concedat; qui tamen invigilet ne ex hac concessione abusus irrepant; quod si irrepserint, eos caute et prudenter eliminet, salva conscientiae libertate.**

CAN. **521.**

**§ 1. Unicuique religiosarum communitati detur confessarius extraordinarius qui quater saltem in anno ad domum religiosam accedat et cui omnes religiosae se sistere debent, saltem benedictionem recepturae.**

**§ 2. Ordinarii locorum, in quibus religiosarum communitates exsistunt, aliquot sacerdotes pro singulis domibus designent, ad quos pro sacramento poenitentiae in casibus particularibus recurrere eae facile possint, quin necessarium sit ipsum Ordinarium toties quoties adire.**

**§ 3. Si qua religiosa aliquem ex iis confessariis expetat, nulli Antistitae liceat nec per se nec per alios, neque directe neque indirecte, petitionis rationem inquirere, petitioni verbis aut factis refragari, aut quavis ratione ostendere se id aegre ferre.**

CAN. **522.**

**Si, non obstante praescripto can. 520, 521, aliqua religiosa, ad suae conscientiae tranquillitatem, confessarium adeat ab Ordinario loci pro mulieribus approbatum, confessio in qualibet ecclesia vel oratorio etiam semi-publico peracta, valida et licita est, revocato quolibet contrario privilegio; neque Antistita id prohibere potest aut de ea re inquirere, ne indirecte quidem; et religiosae nihil Antistitae referre tenentur.**

CAN. **523.**

**Religiosae omnes, cum graviter aegrotant, licet mortis periculum absit, quemlibet sacerdotem ad mulierum confessiones excipiendas approbatum, etsi non destinatum religiosis, arcessere possunt eique, perdurante gravi infirmitate, quoties voluerint, confiteri, nec Antistita potest eas sive directe sive indirecte prohibere.**

CAN. **524.**

**§ 1. In munus confessarii religiosarum et ordinarii et extraordinarii deputentur sacerdotes, sive e clero saeculari, sive religiosi de Superiorum licentia, morum integritate ac prudentia praestantes; sint insuper annos nati quadraginta, nisi iusta causa, iudicio Ordinarii, aliud exigat, nullam potestatem in easdem religiosas in foro externo habentes.**

**§ 2. Confessarius ordinarius non potest renuntiari extraordinarius nec, praeter casus in can. 526 recensitos, rursus deputari ordinarius, in eadem communitate, nisi post annum ab expleto munere; extraordinarius vero immediate ut ordinarius renuntiari potest.**

**§ 3. Confessarii religiosarum tum ordinarii tum extraordinarii interno vel externo communitatis regimini nullo modo sese immisceant.**

CAN. **525.**

**Si religiosarum domus Sedi Apostolicae immediate subiecta sit vel Ordinario loci, hic eligit sacerdotes a confessionibus tum ordinarios tum**

**extraordinarios; si Superiori regulari, hic confessarios Ordinario praesentat, cuius est eosdem pro audiendis illarum monialium confessionibus approbare et Superioris negligentiam, si opus sit, supplere.**

CAN. **526.**

**Religiosarum confessarius ordinarius suum munus ne exerceat ultra triennium; Ordinarius tamen eum ad secundum, imo etiam ad tertium triennium confirmare potest, si vel ob sacerdotum ad hoc officium idoneorum penuriam aliter providere nequeat, vel maior religiosarum pars, earum quoque quae in aliis negotiis ius non habent ferendi suffragium, in eiusdem confessarii confirmationem, per secreta suffragia, convenerit; dissentientibus tamen, si velint, aliter providendum est.**

CAN. **527.**

**Loci Ordinarius, ad normam can. 880, potest, gravem ob causam, religiosarum confessarium tam ordinarium quam extraordinarium amovere, etiamsi monasterium regularibus subdatur et ipse sacerdos a confessionibus sit regularis, nec tenetur causam amotionis cuiquam significare, excepta Apostolica Sede, si ab ea requiratur; de amotione autem debet Superiorem regularem monere, si moniales regularibus subdantur.**

CAN. **528.**

**Etiam in laicalibus virorum religionibus deputetur, ad normam can. 874, § 1, 875, § 2, confessarius ordinarius et extraordinarius; et si religiosus aliquem specialem confessarium expostulet, illum Superior concedat, nullo modo petitioni^ rationem inquirens neque id aegre se ferre demonstrans.**

CAN. **529.**

**Si agatur de religionibus laicalibus non exemptis, Ordinarii loci est sacerdotem a sacris designare et a concionibus probare; si de exemptis, Superior regularis eosdem sacerdotes designat eiusque negligentiam supplet Ordinarius.**

CAN. **530.**

**§ 1. Omnes religiosi Superiores districte vetantur personas sibi subditas quoquo modo inducere ad conscientiae manifestationem sibi peragendam.**

**§ 2. Non tamen prohibentur subditi quominus libere ac ultro aperire animum suum Superioribus valeant; imo expedit ut ipsi filiali cum fiducia Superiores adeant, eis, si sint sacerdotes, dubia quoque et anxietates suae conscientiae exponentes.**

CAPUT **III.**

*De donis temporalibus eorumque administratione.*

CAN. **531.**

**Non modo religio, sed etiam provincia et domus sunt capaces acquirendi et possidendi bona temporalia cum reditibus stabilibus seu fundatis, nisi earum capacitas in regulis et constitutionibus excludatur aut coarctetur.**

CAN. **532.**

**§ 1. Bona tum religionis, tum provinciae domusque, administrentur ad normam constitutionum.**

**§ 2. Expensas et actus iuridicos ordinariae administrationis valide, praeter Superiores, faciunt, intra fines sui muneris, officiales quoque, qui in constitutionibus ad hoc designantur.**

CAN. **533.** . »

**§ 1. Pro pecuniae quoque collocatione servetur praescriptum can. 532, § 1; sed praevium consensum Ordinarii loci obtinere tenentur :**

**1.° Antistita monialium et religionis iuris dioecesani pro cuiusvis pecuniae collocatione; imo, si monialium monasterium sit Superiori regulari subiectum, ipsius quoque consensus est necessarius;**

**2.° Antistita in Congregatione religiosa iuris pontificii, si pecunia dotem professarum constituat, ad normam can. 549;**

**3.° Superior vel Antistita domus Congregationis religiosae, si qui fundi domui tributi legative sint ad Dei cultum beneficentiamye eo ipso loco impendendam;**

**4.° Religiosus quilibet, etsi Ordinis regularis alumnus, si pecunia data sit paroeciae vel missioni, aut religiosis intuitu paroeciae vel missionis.**

**§ 2. Haec item servanda sunt pro qualibet collocationis mutatione.**

CAN. **534.**

**§ 1. Firmo praescripto can. 1531, si agatur de alienandis rebus pretiosis aliisve bonis quorum valor superet summam triginta millium francorum seu libellarum, vel de contrahendis debitis et obligationibus ultra indicatam summam, contractus vi caret, nisi beneplacitum apostolicum antecesserit; secus, requiritur et sufficit licentia, in scriptis data, Superioris ad normam constitutionum cum consensu sui Capituli seu Consilii per secreta suffragia manifestato;_sed si agatur de monialibus aut sororibus iuris dioecesani, accedat necesse est consensus, in scriptis praestitus, Ordinarii loci, necnon Superioris regularis, si monialium monasterium eidem subiectum sit.**

**§ 2. In precibus pro obtinendo consensu ad contrahenda debita vel obligationes, exprimi debent alia debita vel obligationes, quibus ipsa persona moralis, religio vel provincia vel domus, ad eum diem gravatur; secus obtenta venia invalida est.**

CAN. **535.**

**§ 1. In quolibet monialium monasterio etiam exempto :**

**1.° Administrationis ratio, gratis exigenda, reddatur semel in anno, aut etiam saepius si id in constitutionibus praescribatur, ab Antistita Ordinario loci, itemque Superiori regulari, si monasterium sit eidem subiectum;**

**2.° Si ratio administrationis Ordinario non probetur, ipse potest opportuna remedia adhibere, etiam removendo, si res postulet, oecono-**

**mam aliosque administratores; quod si monasterium sit Superiori regulari subiectum, eum Ordinarius, uti prospiciat, moneat; quod si ille neglexerit, ipse per se consulat.**

**§ 2. In aliis mulierum religionibus, ratio administrationis bonorum quae dotes constituunt, Ordinario loci reddatur occasione visitationis et etiam saepius, si Ordinarius id necessarium duxerit.**

**§ 3. Loci Ordinario ius insuper esto cognoscendi :**

**1.° De rationibus oeconomicis domus religiosae iuris dioecesani;**

**2.° De administratione fundorum legatorumque de quibus in can. 533, § 1, nn. 3, 4.**

CAN. **536.**

**§ 1. Si persona moralis (sive religio, sive provincia, sive domus) debita et obligationes contraxerit etiam cum Superiorum licentia, ipsa tenetur de eisdem respondere.**

**§ 2. Si contraxerit regularis cum licentia Superiorum, respondere debet persona moralis, cuius Superior licentiam dedit; si religiosus votorum simplicium, ipse respondere debet, nisi de Superioris licentia negotium religionis gesserit.**

**§ 3. Si contraxerit religiosus sine ulla Superiorum licentia, ipsemet respondere debet, non autem religio vel provincia vel domus.**

**§ 4. Firmum tamen semper esto, contra eum, in cuius rem aliquid ex inito contractu versum est, semper posse actionem institui.**

**§ 5. Caveant Superiores religiosi ne debita contrahenda permittant, nisi certo constet ex consuetis reditibus posse debiti foenus solvi et intra tempus non nimis longum per legitimam *amortizationem* reddi summam capitalem.**

CAN. **537.**

**Largitiones ex bonis domus, provinciae, religionis non permittuntur, nisi ratione eleemosynae vel alia iusta de causa, de venia Superioris et ad normam constitutionum.**

## TITULUS XI.

## De admissione in religionem.

CAN. **538.**

**In religionem admitti potest quilibet catholicus qui nullo legitimo detineatur impedimento rectaque intentione moveatur, et ad religionis onera ferenda sit idoneus.**

### CAPUT I.

### *De postulatu.*

CAN. **539.**

**§ 1. In religionibus a votis perpetuis mulieres omnes et, si agatur de religione virorum, conversi, antequam ád novitiatum admittantur, postulatum ad sex saltem integros menses peragant; in religionibus vero a**

**votis temporariis, ad necessitatem et tempus postulatus quod attinet, standum constitutionibus.**

**§ 2. Superior maior praescriptum postulatus tempus potest prorogare, non tamen ultra aliud semestre.** /

CAN. **540.**

**§ 1. Postulatus peragi debet vel in domo novitiatus vel in alia religionis domo in qua disciplina secundum constitutiones accurate servetur sub speciali cura probati religiosi.**

**§ 2. Postulantes vestem induant modestam ac diversam a veste novitiorum.**

**§ 3. In monasteriis monialium adspirantes, dum postulatum peragunt, lege clausurae tenentur.**

CAN. **541.**

**Postulantes, antequam novitiatum incipiant, exercitiis spiritualibus vacent per octo saltem integros dies; et, iuxta prudens confessarii iudicium, praemittant generalem anteactae vitae confessionem.**

CAPUT II.

## *De novitiatu.*

### ART. I. — *De requisitis ut quis in novitiatum admittatur.*

CAN. **542.**

**Firmo praescripto can. 539-541, aliisque in propriis cuiusque religionis constitutionibus,**

**1.° Invalide ad novitiatum admittuntur :**

**Qui sectae acatholicae adhaeserunt;**

**Qui aetatem ad novitiatum requisitam non habent;**

**Qui religionem ingrediuntur vi, metu gravi aut dolo inducti, vel quos Superior eodem modo inductus recipit;**

**Coniux, durante matrimonio;**

**Qui obstringuntur vel obstricti fuerunt vinculo professionis religiosae;**

**Hi quibus imminet poena ob grave delictum commissum de quo accusati sunt vel accusari possunt;**

**Episcopus sive residentialis sive titularis, licet a Romano Pontifice sit tantum designatus;**

**Clerici qui ex instituto Sanctae Sedis iureiurando tenentur operam suam navare in bonum suae dioecesis vel missionum, pro eo tempore quo iurisiurandi obligatio perdurat.**

**2.° Illicite, sed valide admittuntur :**

**Clerici in sacris constituti, inconsulto loci Ordinario aut eodem contradicente ex eo quod eorum discessus in grave animarum detrimentum cedat, quod aliter vitari minime possit;**

**Aere alieno gravati qui solvendo pares non sint;**

**Reddendae rationi obnoxii aut aliis saecularibus negotiis implicati, ex quibus lites et molestias religio timere possit;**

**Filii qui parentibus, idest patri vel matri, avo vel aviae, in gravi necessitate constitutis, opitulari debent, et parentes quorum opera sit ad liberos alendos vel educandos necessaria;**

**Ad sacerdotium in religione destinati, a quo tamen removeantur irregularitate aliove canonico impedimento;**

**Orientales in latinis religionibus sine venia scripto data Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali.**

CAN. **543.**

**Ius admittendi ad novitiatum et subsequentem professionem religiosam tam temporariam quam perpetuam pertinet ad Superiores maiores cum suffragio Consilii seu Capituli, secundum peculiares cuiusque religionis constitutiones.**

CAN. **544.**

**§ 1. In quavis religione omnes adspirantes, antequam admittantur, exhibere debent testimonium recepti baptismatis et confirmationis.**

**§ 2. Adspirantes viri debent praeterea testimoniales litteras exhibere Ordinarii originis ac cuiusque loci in quo, post expletum decimum quartum aetatis annum, morati sint ultra annum moraliter continuum, sublato quolibet contrario privilegio.**

**§ 3. Si agatur de admittendis illis qui in Seminario, collegio vel alius religionis novitiatu fuerunt, requiruntur praeterea litterae testimoniales, datae pro diversis casibus a rectore Seminarii vel collegii, audito Ordinario loci, aut a maiori religionis Superiore.**

**§ 4. Pro clericis admittendis, praeter testimonium ordinationis, sufficiunt litterae testimoniales Ordinariorum in quorum dioecesibus post ordinationem ultra annum moraliter continuum sint commorati, salvo praescripto § 3.**

**§ 5. Religioso professo, ad aliam religionem ex apostolico indulto transeunti, satis est testimonium Superioris maioris prioris religionis.**

**§ 6. Praeter haec testimonia a iure requisita, possunt Superiores, quibus ius est adspirantes in religionem cooptandi, alia quoque exigere, quae ipsis ad hunc finem necessaria aut opportuna videantur.**

**§ 7. Mulieres denique ne recipiantur, nisi praemissis accuratis investigationibus circa earum indolem et mores, firmo praescripto § 3.**

CAN, **545.**

**§ 1. Qui litteras testimoniales ex praescripto iuris dare debent, eas non ipsis adspirantibus, sed Superioribus religiosis dent gratuito intra trimestre spatium ab earum requisitione, sigillo clausas et, si agatur de illis qui in Seminario, collegio vel alius religionis postulatu aut novitiatu fuerint, a Superiore iuramento firmatas.**

**§ 2. Si ob graves rationes iudicaverint se eis respondere non posse, causas Apostolicae Sedi intra idem tempus exponant.**

**§ 3. Si reposuerint adspirantem satis non esse sibi cognitum, per**

**aliam accuratam investigationem ac fide dignam relationem Superior religiosus suppleat; si vero nil reposuerint, Superior requirens de non recepta responsione Sanctam Sedem certiorem reddat.**

**§ 4. In suis litteris testimonialibus, postquam diligentem investigationem, etiam per secretas notitias, instituerint, referre debent, graviter eorum conscientia onerata super veritate expositorum, de adspirantis natalibus, moribus, ingenio, vita, fama, conditione, scientia; sitne inquisitus, aliqua censura, irregularitate aut alio canonico impedimento irretitus, num propria familia eius auxilio indigeat, et tandem, si agatur de illis qui in Seminario, collegio, aut alius religionis postulatu aut novitiatu fuerint, quanam de causa dimissi sint vel sponte discesserint.**

CAN. **546.**

**Omnes qui praedictas informationes receperint, stricta obligatione tenentur secreti servandi circa notitias habitas et personas quae illas tradiderunt.**

CAN. **547.**

**§ 1. In monasteriis monialium postulans afferat dotem in constitutionibus statutam aut legitima consuetudine determinatam.**

**§ 2. Haec dos ante susceptionem habitus monasterio tradatur aut saltem eius traditio tuta reddatur forma iure civili valida.**

**§ 3. In religionibus votorum simplicium, quod ad religiosarum dotem pertinet, standum constitutionibus.**

**§ 4. Dos praescripta condonari ex toto vel ex parte nequit sine indulto Sanctae Sedis, si agatur de religione iuris pontificii; sine venia Ordinarii loci, si de religione iuris dioecesani.**

CAN. **548.**

**Dos monasterio seu religioni irrevocabiliter acquiritur per obitum religiosae, licet haec nonnisi vota temporaria nuncupaverit.**

CAN. **549.**

**Post primam religiosae professionem dos in tutis, licitis ac fructiferis nominibus collocetur ab Antistita cum suo Consilio, de consensu Ordinarii loci et Superioris regularis, si domus ab hoc dependeat; omnino autem prohibetur eam quoquo modo ante religiosae obitum impendi, ne ad aedificandam quidem domum aut ad aes alienum exstinguendum.**

CAN. **550.**

**§ 1. Dotes caute et integre administrentur apud monasterium vel domum habitualis residentiae supremae Moderatricis aut Antistitae provincialis.**

**§ 2. Ordinarii locorum conservandis religiosarum dotibus sedulo invigilent; et praesertim in sacra visitatione de eisdem rationem exigant.**

CAN. **551.**

**§ 1. Dos religiosae professae sive votorum sollemnium sive votorum simplicium quavis de causa discedenti integra restituenda est sine fructibus iam maturis.**

**§ 2. Si vero religiosa professa ad aliam religionem ex apostolico indulto transeat, durante novitiatu, fructus, salvo praescripto can. 570, § 1; emissa vero nova professione, dos ipsa huic religioni debentur; si ad aliud eiusdem Ordinis monasterium, huic debetur ipsa dos a die transitus.**

CAN. **552.**

**§ 1. Religiosarum etiam exemptarum Antistita debet Ordinarium loci, duobus saltem mensibus ante, certiorem facere de proxima admissione ad novitiatum et ad professionem tum temporariam tum perpetuam sive sollemnem sive simplicem.**

**§ 2. Ordinarius loci vel, eo absente aut impedito, sacerdos ab eodem deputatus, adspirantis voluntatem, saltem triginta diebus ante novitiatum et ante professionem, ut supra, diligenter et gratuito exploret, non tamen clausuram ingrediens, num ea coacta seductave sit, an sciat quid agat; et, si de pia eius ac libera voluntate plane constiterit, tunc adspirans poterit ad novitiatum vel novitia ad professionem admitti.**

ART. **II. —** ***De novitiorum institutione.***

CAN. **553.**

**Novitiatus incipit susceptione habitus, vel alio modo in constitutionibus praescripto.**

CAN. **554.**

**§ 1. Erigatur domus novitiatus ad normam constitutionum; si vero agatur de religione iuris pontificii, ad eam erigendam necessaria est licentia Sedis Apostolicae.**

**§ 2. Plures in eadem provincia novitiatus domus, si religio in provincias divisa sit, designari nequeunt, nisi gravi de causa et cum speciali apostolico indulto.**

**§ 3. Superiores in novitiatus ac studiorum domo ne collocent, nisi religiosos qui sint ad exemplum regularis observantiae studio.**

CAN. **555.**

**§ 1. Praeter alia quae in can. 542 ad novitiatus validitatem enumerantur, novitiatus ut valeat, peragi debet :**

**1.° Post completum decimum quintum saltem aetatis annum;**

**2.° Per annum integrum et continuum;**

**3.° In domo novitiatus.**

**§ 2. Si longius tempus in constitutionibus pro novitiatu praescribatur, illud ad validitatem professionis non requiritur, nisi in eisdem constitutionibus aliud expresse dicatur.**

CAN. **556.**

**§ 1. Novitiatus interrumpitur, ita ut denuo incipiendus ac perficiendus sit, si novitius, a Superiore dimissus, e domo exierit, aut domum sine illius licentia non reversurus deseruerit, aut extra domum, etsi re-**

**versurus, ultra triginta dies sive continuos sive non continuos permanserit quacunque ex causa, etiam de Superiorum licentia.**

**§ 2. Si novitius ultra quindecim, sed non ultra triginta dies etiam non continuos, de Superiorum licentia vel vi coactus extra domus septa permanserit sub Superioris obedientia, ad validitatem novitiatus necesse et satis est dies hoc modo transactos supplere; si non ultra quindecim dies, supplementum potest a Superioribus praescribi, sed non est ad validitatem necessarium.**

**§ 3. Superiores licentiam manendi extra septa novitiatus, nisi iusta et gravi de causa, ne impertiant.**

**§ 4. Si novitius a Superioribus in aliam novitiatus domum eiusdem religionis transferatur, novitiatus non interrumpitur.**

CAN. **557.**

**Integer novitiatus peragatur in habitu quem constitutiones pro novitiis praescribunt, nisi speciales locorum circumstantiae aliud exigant.**

CAN. **558.**

**In religionibus in quibus duae sunt sodalium classes, novitiatus pro altera classe peractus, pro altera non valet.**

CAN. **559.**

**§ 1. Novitiorum institutioni praeficiendo est Magister," qui sit annos natus quinque saltem ac triginta, decem saltem ab annis a prima professione professus, prudentia, caritate, pietate, religionis observantia conspicuus et, si de clericali religione agatur, in sacerdotio constitutus.**

**- i IfÄv.-Si ob novitiorum numerum vel aliam iustam causam expedire visumif«erit, Magistro novitiorum adiungatur socius, eidem immediate subiectus in iis quae ad novitiatus regimen spectant, annos natus saltem •*ip!$$tjB>*, iquinque saltem ab annis a prima professione professus, cum -ceSäsdotibus necessariis et opportunis.**

[illegible] **gipterque ab omnibus officiis oneribusque vacare debet, quae no-** [illegible] **foùram>*et* regimen impedire valeant.**

[illegible] **t*.,** • . CAN. **560.**

[illegible] **g?^9yi'i orum eiusque socius eligantur ad normam constitu-** [illegible] **sl^uoeL *In* his tempus ad durationem muneris praescriptum** [illegible] **^ *t* ^ *m* ^ ^ . siûe iusta navigue causa; sed iidem** [illegible] **possunt** [illegible] **||;"7** *' CAN. **561.**

[illegible] **J#ro ius est.et officium consulendi novitiorum institu-** [illegible] **f # W ^ U m novit ^ tus «Simen spectat, ita ut nemini liceat** [illegible] **^^regmmiscere, exceptis Superioribus quibus id a** [illegible] **^mittitur ac visitatoribus; ad disciplinam vero uni-** [illegible] **t l l - et' agiSter' Perinde ac novitii, Superiori est**

[illegible] **pestati Magistri ac Superiorum religionis subest** [illegible] **tur.**

CAN. **562.**

**Gravi obligatione tenetur Magister novitiorum omnem adhibendi diligentiam ut sui alumni in religiosa disciplina, secundum constitutiones, sedulo exerceantur, ad normam can. 565.**

CAN. **563.**

**Intra annum novitiatus Magister, ad normam constitutionum, de agendi ratione singulorum alumnorum relationem Capitulo vel Superiori maiori exhibeat.**

CAN. **564.**

**§ 1. Novitiatus ab ea parte domus, in qua degunt professi, sit, quantum fieri potest, segregatus ita ut, sine speciali causa ac Superioris vel Magistri licentia, novitii nullam habeant communicationem cum professis, neque hi cum novitiis.**

**§ 2. Conversis autem novitiis locus separatus adsignetur.**

CAN. **565.**

**§ 1. Annus novitiatus debet sub disciplina Magistri hoc habere propositum, ut informetur alumni animus studio regulae et constitutionum, piis meditationibus assiduaque prece, iis perdiscendis quae ad vota et ad virtutes pertinent, exercitationibus opportunis ad vitiorum semina radicitus exstirpanda, ad compescendos animi motus, ad virtutes acquirendas.**

**§ 2. Conversi praeterea diligenter in christiana doctrina instituantur, speciali collatione ad eos habita semel saltem in hebdomada.**

**§ 3. Anno novitiatus ne destinentur novitii concionibus habendis aut audiendis confessionibus aut exterioribus religionis muniis, neve dedita opera studiis vacent litterarum, scientiarum aut artium; conversi autem in ipsa religiosa domo eatenus tantum fungi possunt officiis fratrum conversorum (non tamen uti primarii officiales), quatenus ab exercitiis novitiatus pro ipsis constitutis non praepediantur.**

CAN. **566.**

**§ 1. Circa sacerdotem a confessionibus in mulierum novitiatibus serventur praescripta can. 520-527.**

**§ 2. In religionibus virorum, salvo praescripto can. 519 :**

**1.° Pro novitiorum numero unus vel plures habeantur ordinarii confessarii, salvo praescripto can. 891;**

**2.° Confessarii ordinarii, si agatur de religione clericali, in ipsa novitiatus domo commorentur; si de laicali, saltem frequenter ad domum novitiatus accedant, novitiorum confessiones audituri;**

**3.° Praeter confessarios ordinarios, designentur aliqui confessarii, quos novitii in casibus particularibus adire libere possint, nec Magister aegre id se ferre demonstret;**

**4.° Quater saltem in anno detur novitiis confessarius extraordinarius, ad quem omnes accedant saltem benedictionem recepturi.**

CAN. 567.

**§ 1. Novitii privilegiis omnibus ac spiritualibus gratiis religioni concessis gaudent; et si morte praeveniantur, ad eadem suffragia ius habent, quae pro professis praescripta sunt.**

**§ 2. Ad ordines, durante novitiatu, ne promoveantur.**

CAN. 568.

**In novitiatus decursu, si suis beneficiis vel bonis quovis modo novitius renuntiaverit eademve obligaverit, renuntiatio vel obligatio non solum illicita, sed ipso iure irrita est.**

CAN. 569.

**§ 1. Ante professionem votorum simplicium sive temporariorum sive perpetuorum novitius debet, ad totum tempus quo simplicibus votis adstringetur, bonorum suorum administrationem cedere cui maluerit et, nisi constitutiones aliud ferant, de eorundem usu et usufructu libere disponere.**

**§ 2. Ea cessio ac dispositio, si praetermissa fuerit ob defectum bonorum et haec postea supervenerint, aut si facta fuerit et postea alia bona quovis titulo obvenerint, fiat aut iteretur secundum normas § 1 statutas, non obstante simplici professione emissa.**

**§ 3. Novitius in Congregatione religiosa ante professionem votorum temporariorum testamentum de bonis praesentibus vel forte obventuris libere condat.**

CAN. 570.

**§ 1. Nisi pro alimentis et habitu religioso in constitutionibus vel expressa conventione aliquid in postulatu vel novitiatu ineundo solvendum caveatur, nihil pro impensis postulatus vel novitiatus exigi potest.**

**§ 2. Quae adspirans attulerit et usu consumpta non fuerint, si e religione, non emissa professione, egrediatur, ei restituantur.**

CAN. 571.

**§ 1. Novitius potest religionem libere deserere, aut a Superioribus vel a Capitulo, secundum constitutiones, quavis iusta de causa dimitti, quin Superior vel Capitulum teneantur dimissionis causam dimisso patefacere.**

**§ 2. Exacto novitiatu, si iudicetur idoneus, novitius ad professionem admittatur, secus dimittatur; si dubium supersit sitne Idoneus, potest a Superioribus maioribus probationis tempus, non tamen ultra sex menses, prorogari.**

**§ 3. Votis nuncupandis spiritualia exercitia novitius praemittat per octo saltem solidos dies.**

CAPUT III.

## *De professione religiosa.*

### CAN. 572.

**§ 1. Ad validitatem cuiusvis religiosae professionis requiritur ut :**

**1.° Qui eam emissurus est, legitimam aetatem habeat ad normam can. 573;**

**2.° Eum ad professionem admittat legitimus Superior secundum constitutiones;**

**3.° Novitiatus validus ad normam can. 555 praecesserit;**

**4.° Professio sine vi aut metu gravi aut dolo emittatur;**

**5.° Sit expressa;**

**6.° A legitimo Superiore secundum constitutiones per se vel per alium recipiatur.**

**§ 2. Ad validitatem vero professionis perpetuae sive sollemnis sive simplicis, requiritur insuper ut praecesserit professio simplex temporaria ad normam can. 574.**

### CAN. 573.

**Quilibet professionem religiosam emissurus oportet ut decimum sextum aetatis annum expleverit, si de temporaria professione agatur; vicesimum primum, si de perpetua sive sollemni, sive simplici.**

### CAN. 574.

**§ 1. In quolibet Ordine tam virorum quam mulierum et in qualibet Congregatione quae vota perpetua habeat, novitius post expletum novitiatum, in ipsa novitiatus domo debet votis perpetuis, sive sollemnibus sive simplicibus, praemittere, salvo praescripto can. 634, votorum simplicium professionem ad triennium valituram, vel ad longius tempus, si aetas ad perpetuam professionem requisita longius distet, nisi constitutiones exigant annuales professiones.**

**§ 2. Hoc tempus legitimus Superior potest, renovata a religioso temporaria professione, prorogare, non tamen ultra aliud triennium.**

### CAN. 575.

**§ 1. Exacto professionis temporariae tempore, religiosus, ad normam can. 637, vel emittat perpetuam professionem, sollemnem vel simplicem secundum constitutiones, vel ad saeculum redeat; sed etiam, durante tempore professionis temporariae, potest, si dignus non habeatur qui vota perpetua nuncupet, dimitti a legitimo Superiore ad normam can. 647.**

**§ 2. Suffragium Consilii seu Capituli pro prima professione temporaria est deliberativum; pro subsequente professione perpetua, sollemni vel simplici, est consultivum tantum.**

### CAN. 576.

**§ 1. In emittenda professione religiosa servetur praescriptus in constitutionibus ritus.**

**§ 2. Documentum emissae professionis, ab ipso professo et saltem ab eo coram quo professio emissa est, subscriptum, servetur in tabulario religionis; et insuper, si agatur de professione sollemni, Superior eam excipiens debet profitentis parochum baptismi de eadem certiorem reddere, ad normam can. 470, § 2 .**

CAN. **577.**

**§ 1. Elapso tempore ad quod vota sunt nuncupata, renovationi votorum nulla est interponenda mora.**

**§ 2. Superioribus tamen facultas est ex iusta causa permittendi ut renovatio votorum temporariorum per aliquod tempus, non tamen ultra mensem, anticipetur.**

CAN. **578.**

**Professi a votis temporariis, de quibus in can. 574 :**

**1.° Fruuntur iisdem indulgentiis, privilegiis et spiritualibus gratiis, quibus gaudent professi a votis sollemnibus aut professi a votis simplicibus perpetuis; et si morte praeveniantur, ad eadem suffragia ius habent;**

**2,° Eadem obligatione tenentur observandi regulas et constitutio nes, sed, ubi viget chori obligatio, divini officii privatim recitandi lege non obstringuntur, nisi sint in sacris constituti aut aliud constitutiones expresse praescribant;**

**3.° Voce activa et passiva carent, nisi aliud in constitutionibus expresse caveatur; tempus autem praescriptum ad fruendum voce activa et passiva, silentibus constitutionibus, computetur a prima professione.**

CAN. **579.**

**Simplex professio, temporaria sit vel perpetua, actus votis contrarios reddit illicitos, sed non inválidos, nisi aliud expresse cautum fuerit; professio autem sollemnis, si sint irritabiles, etiam inválidos.**

CAN. **580.**

**§ 1. Quilibet professus a votis simplicibus, sive perpetuis sive temporariis, nisi aliud in constitutionibus cautum sit, conservat proprietatem bonorum suorum et capacitatem alia bona acquirendi, salvis quae in can. 569 praescripta sunt.**

**§ 2. Quidquid autem industria sua vel intuitu religionis acquirit, religioni acquirit.**

**§ 3. Cessionem vel dispositionem de qua in can. 569, § 2, professus mutare potest non quidem proprio arbitrio, nisi constitutiones id sinant, sed de supremi Moderatoris licentia, aut, si de monialibus agatur, de licentia Ordinarii loci et, si monasterium regularibus obnoxium sit, Superioris regularis, dummodo mutatio, saltem de notabili bonorum parte, non fiat in favorem religionis; per discessum autem a religione eiusmodi cessio ac dispositio habere vim desinit.**

CAN. **581.**

**§ 1. Professus a votis simplicibus antea nequit valide, sed intra sexaginta dies ante professionem sollemnem, salvis peculiaribus indultis a Sancta Sede concessis, debet omnibus bonis quae actu habet, cui maluerit, sub conditione secuturae professionis, renuntiare.**

**§ 2. Secuta professione, ea omnia statim fiant, quae necessaria sunt ut renuntiatio etiam iure civili effectum consequatur.**

CAN. **582.**

**Post sollemnem professionem, salvis pariter peculiaribus Apostolicae Sedis indultis, omnia bona quae quovis modo obveniunt regulari :**

**1.° In Ordine capaci possidendi, cedunt Ordini vel provinciae vel domui secundum constitutiones;**

**2.° In Ordine incapaci, acquiruntur Sanctae Sedi in proprietatem.**

CAN. **583.**

**Professis a votis simplicibus in Congregationibus religiosis non licet :**

**1.° Per actum inter vivos dominium bonorum suorum titulo gratioso abdicare;**

**2.° Testamentum conditum ad normam can. 569, § 3, mutare sine licentia Sanctae Sedis, vel, si res urgeat nec tempus suppetat *dà* eam recurrendi, sine licentia Superioris maioris aut, si nec ille adiri possit, localis.**

CAN. **584.**

**Post annum ab emissa qualibet professione religiosa, vacant beneficia paroecialia; post triennium cetera.**

CAN. **585.**

**Professus a votis perpetuis sive sollemnibus sive simplicibus amittit ipso iure propriam quam in saeculo habebat dioecesim.**

CAN. **586.**

**§ 1. Professio religiosa irrita ob impedimentum externum non convalescit per subsequentes actus, sed opus est ut a Sede Apostolica sanetur, vel denuo, cognita nullitate et^impedimento sublato, legitime emittatur.**

**§ 2. Si autem irrita fuerit ob consensus defectum mere internum, hoc praestito, convalescit, dummodo ex parte religionis consensus non fuerit revocatus.**

**§ 3. Si contra validitatem professionis religiosae gravia sint argumenta et religiosus renuat ad cautelam sive professionem renovare sive eiusdem sanationem petere, res ad Sedem Apostolicam deferatur.**

## TITULUS XII.

### Detrattone studiorum in religionibus clericalibus.

CAN. 587.

§ 1. Quaelibet clericalis religio habeat studiorum sedes a Capitulo generali vel a Superioribus approbatas, firmo praescripto can. 554, § 3.

§ 2. In studiorum domo vigeat perfecta vita communis; secus studentes ad ordines promoveri nequeunt.

§ 3. Si religio aut provincia studiorum domos rite instructas habere nequeat, aut si quas habet, adire, Superiorum iudicio, difficile sit, religiosi alumni mittantur vel ad recte ordinatam studiorum sedem alius provinciae aut religionis, vel ad scholas Seminarii episcopalis, vel ad publicum catholicum athenaeum.

§ 4. Religiosis, qui studiorum causa longe a propria domo mittuntur, non licet in privatis domibus habitare, sed opus est ut in aliquam suae religionis domum se recipiant, vel, si id fieri non possit, apud religiosum aliquod institutum virorum, vel Seminarium aliamve piam domum, cui sacri ordinis viri praesint, quaeque ab ecclesiastica auctoritate approbata sit.

CAN. 588.

§ 1. Toto studiorum curriculo religiosi committantur speciali curae Praefecti seu Magistri spiritus qui eorum animos ad vitam religiosam informet opportunis monitis, instructionibus atque exhortationibus.

*§ 2.* Praefectus vel Magister spiritus iis qualitatibus praeditus sit oportet, quae in Magistro novitiorum requiruntur ad normam can. 559.

§ 3. Superiores vero sedulo invigilent ut ea quae can. 595 pro omnibus religiosis praescribuntur, in studiorum domo perfectissime observentur.

CAN. 589.

§ 1. Religiosi in inferioribus disciplinis rite instructi, in philosophiae studia saltem per biennium et sacrae theologiae saltem per quadriennium, doctrinae D. Thomae inhaerentes ad normam can. 1366, § 2, diligenter incumbant, secundum instructiones Apostolicae Sedis.

§ 2. Studiorum tempore magistris et alumnis officia ne imponantur quae a studio eos avocent vel scholam quoquo modo impediant; supremus autem Moderator et in casibus particularibus alii quoque Superiores possunt pro sua prudentia eos a nonnullis communitatis actibus, etiam a choro, praesertim nocturnis horis, eximere, quoties id studiis excolendis necessarium videatur.

CAN. 590.

Religiosi sacerdotes, iis tantum exceptis qui a Superioribus maioribus gravem ob causam fuerint exempti, aut qui vel sacram theologiam, vel ius canonicum vel philosophiam scholasticam doceant, post absolutum

**studiorum curriculum, quotannis, saltem per quinquennium, a doctis gravibusque patribus examinentur in variis doctrinae sacrae disciplinis antea opportune designatis.**

CAN. **591.**

**In qualibet saltem formata domo, minimum semel in mense, habeatur solutio casus moralis et liturgici, cui, si Superior opportunum existimaverit, addi potest sermo de re dogmatica coñiunctisve doctrinis; et omnes clerici professi qui studio sacrae theologiae operam navant aut illud expleverunt et in domo degunt, assistere tenentur, nisi aliud in constitutionibus caveatur.**

## TITULUS XIII.

## De obligationibus et privilegiis religiosorum.

### CAPUT I.

### *De obligationibus.*

CAN. **592.**

**Obligationibus communibus clericorum, de quibus in can. 124-142, etiam religiosi omnes tenentur, nisi ex contextu sermonis vel ex rei natura aliud constet.**

CAN. **593.**

**Omnes et singuli religiosi, Superiores aeque ac subditi, debent, non solum quae nuncuparunt vota fideliter integreque servare, sed etiam secundum regulas et constitutiones propriae religionis vitam componere atque ita ad perfectionem sui status contendere.**

CAN. **594.**

**§ 1. In quavis religione vita communis accurate ab omnibus servetur etiam in iis quae ad victum, ad vestitum et ad supellectilem pertinent.**

**§ 2. Quidquid a religiosis, etiam a Superioribus, acquiritur ad normam can. 580, § 2, et can. 582, n. 1, bonis domus, provinciae vel religionis admisceatur, et pecunia quaelibet omnesque *tituli* in capsa communi deponantur.**

**§ 3. Religiosorum supellex paupertati conveniat quam professi sunt.**

CAN. **595.**

**§ 1. Curent Superiores ut omnes religiosi :**

**1.° Quotannis spiritualibus exercitiis vacent;**

**2.° Legitime non impediti quotidie Sacro intersint, orationi mentali vacent, et in alia pietatis officia,, quae a regulis et constitutionibus praescripta sint, sedulo-incumbant;**

**3.° Ad poenitentiae sacramentum semel saltem in hebdomada accedant.**

**§ 2, Superiores suos inter subditos promoveant frequentem, etiam**

**quotidianam, sanctissimi Corporis Christi receptionem; frequens autem, imo etiam quotidianus accessus ad sanctissimam Eucharistiam religiosis rite dispositis libere pateat.**

**§ 3. Si autem post ultimam sacramentalem confessionem religiosus communitati gravi scandalo fuerit aut gravem et externam culpam patraverit, donec ad poenitentiae sacramentum denuo accesserit, Superior potest eum, ne ad sacram communionem accedat, prohibere.**

**§ 4. Si quae sint religiones votorum sive sollemnium sive simplicium, quarum in regulis aut constitutionibus vel etiam calendariis communiones aliquibus diebus añixae aut iussae reperiantur, hae normae vim dumtaxat directivam habent.**

CAN. 596.

**Religiosi omnes proprium suae religionis habitum deferant tum intra tum extra domum, nisi' gravis causa excuset, iudicio Superioris maioris aut, urgente necessitate, etiam localis.**

CAN. 597.

**§ 1. In domibus regularium sive virorum sive mulierum canonice constitutis, etiam non formatis, servetur clausura papalis.**

**§ 2. Lege clausurae papalis afficitur tota domus quam communitas regularis inhabitat, cum hortis et viridariis accessui religiosorum reservatis; excluso, praeter publicum templum cum continente sacrario, etiam hospitio pro advenis, si adsit, et collocutorio, quod, quantum fieri potest, prope ianuam domus constitui debet.**

**§ 3. Partes clausurae legi obnoxiae patenter indicentur; Superioris vero maioris vel Capituli generalis secundum constitutiones, aut, si agatur de monasterio monialium, Episcopi erit clausurae fines accurate praescribere aut legitimis de causis mutare.**

CAN. 598.

**§ 1. Intra regularium virorum clausuram ne admittantur mulieres cuiusvis aetatis, generis aut conditionis sub quovis praetextu.**

**§ 2. Eximuntur ab hac lege uxores eorum qui supremum actu tenent populorum principatum, cum comitatu.**

CAN. 599.

**§ 1. Si domus regularium virorum adnexum habeat convictum pro alumnis internis vel alia opera religionis propria, separata saltem aedis pars, si fieri possit, religiosorum habitationi reservetur, clausurae legi subiecta.**

**§ 2. Etiam in loca extra clausuram alumnis externis aut internis vel operibus religionis propriis reservata, personae alterius sexus, nisi aequa de causa et de Superioris licentia, ne admittantur.**

CAN. 600.

**Intra monialium clausuram nemo, cuiusvis generis, conditionis, sexus, aetatis admittatur sine Sanctae Sedis licentia, exceptis personis quae sequuntur :**

**1.° Ordinario loci aut Superiori regulari, monasterium monialium visitantibus ad normam can. 512, vel aliis Visitatoribus ab ipsis delegatis licet clausuram ingredi dumtaxat inspectionis causa, cautoque ut unus saltem clericus vel religiosus vir maturae aetatis eos comitetur;**

**2.° Confessarius vel qui eius vices gerit potest, cum debitis cautelis, ingredi clausuram ad ministranda Sacramenta infirmis aut ad assistendum morientibus;**

**3.° Possunt clausuram ingredi qui supremum actu tenent populorum principatum eorumque uxores cum comitatu; itemque S. R. E. Cardinales;**

**4.° Antistitae est, adhibitis debitis cautelis, ingressum permittere medicis, chirurgis, aliisque quorum opera sit necessaria, impetrata prius saltem habituali approbatione ab Ordinario loci; si vero necessitas urgeat nec tempus suppetat approbationem petendi, haec iure praesumitur.**

CAN. **601.**

**§ 1. Nemini monialium liceat post professionem exire e monasterio, etiam ad breve tempus, quovis praetextu, sine speciali Sanctae Sedis indulto, excepto casu imminentis periculi mortis vel alius gravissimi mali.**

**§ 2. Hoc periculum, si tempus suppetat, scripto recognoscendum est a loci Ordinario.**

CAN. **602.**

**Clausura monasterii monialium ita circumsepta esse debet ut, quoad fieri potest, nullus sit in eam vel ab ea prospectus externarum personarum.**

CAN. **603.**

**§ 1. Clausura monialium, etsi regularibus subiectarum, sub vigilantia est Ordinarii loci, qui potest delinquentes, regularibus viris non exceptis, poenis quoque ac censuris corrigere et coercere.**

**§ 2. Etiam Superiori regulari custodia clausurae monialium sibi subiectarum commissa est, qui moniales aut alios suos subditos, si quid hac in re deliquerint, poenis quoque punire potest.**

CAN. **604. .**

**§ 1. In domibus etiam Congregationum religiosarum sive pontificii sive dioecesani iuris clausura servetur, in quam nemo alterius sexus admittatur, nisi ii de quibus in can. 59S, § 2 et can. 600, aliique quos ex iustis ac rationabilibus causis Superiores admitti posse censuerint.**

**§ 2. Praescriptum can. 599 etiam domibus Congregationum religiosarum sive virorum sive mulierum applicetur.**

**§ 3. Episcopus in adiunctis peculiaribus, gravibusque intercedentibus causis, potest hanc clausuram, nisi agatur de religione clericali exempta, censuris munire; semper autem curet ut eadem rite servetur et quidquid in eam irrepat vitii corrigatur.**

CAN. 605.

**Omnes quibus est clausurae custodia, sedulo advigilent ne, alienis invisentibus, inutili collocutione disciplina perturbetur et spiritus religiosus detrimentum patiatur.**

CAN. 606.

**§ 1. Curent Superiores religiosi ut accurate observentur quae sive circa egressum subditorum e claustris, sive circa excipiendos vel adeundos extraneos, in propriis constitutionibus praescripta sunt.**

**§ 2. Superioribus fas non est, salvis praescriptis in can. 621-624, permittere ut subditi extra domum propriae religionis degant, nisi gravi et iusta de causa atque ad tempus quo fieri potest brevius secundum constitutiones; pro absentia vero quae sex menses excedat, nisi causa studiorum intercedat, semper Apostolicae Sedis venia requiritur.**

CAN. 607.

**Antistitae et Ordinarii locorum serio advigilent ne religiosae, citra casum necessitatis, singulae extra domum pergant.**

CAN. 608.

**§ 1. Curent Superiores ut religiosi subditi, a se designati, -praesertim in dioecesi in qua degunt, cum a locorum Ordinariis vel parochis eorum ministerium requiritur ad consulendum populi necessitati, tum intra tum extra proprias ecclesias aut oratoria publica, illud, salva religiosa disciplina, libenter praestent.**

**§ 2. Vicissim locorum Ordinarii ac parochi libenter utantur opera religiosorum, praesertim in dioecesi degentium, in sacro ministerio et maxime in administrando sacramento poenitentiae.**

CAN. 609.

**§ 1. Si ecclesia, apud quam residet communitas religiosa, sit simul paroecialis, servetur, congrua congruis referendo, praescriptum can. 415.**

**§ 2. In ecclesia religiosarum a votis sive sollemnibus sive simplicibus paroecia erigi nequit.**

**§ 3. Advigilent Superiores ne divinorum officiorum in propriis ecclesiis celebratio catecheticae, instructioni aut Evangelii explanationi in ecclesia paroeciali tradendae nocumentum afferat; iudicium autem utrum nocumentum afferat, necne, ad loci Ordinarium pertinet.**

CAN. 610.

**§ 1. In religionibus sive virorum sive mulierum, quibus est chori obligatio, in singulis domibus ubi" quatuor saltem sint religiosi choro obligati et actu legitime non impediti, et etiam pauciores, si ita ferant constitutiones, debet ad normam constitutionum quotidie divinum officium communiter persolvi.**

**§ 2. Missa quoque officio diei respondens secundum rubricas quotidie celebrari debet in religionibus virorum et etiam, quoad fieri possit> in religionibus mulierum.**

**§ 3. In eisdem religionibus sive virorum sive mulierum, sollemniter professi qui a choro abfuerunt, debent, exceptis conversis, horas canonicas privatim recitare.**

CAN. 611.

**- Omnes religiosi sive viri sive mulieres, libere possunt mittere litteras, nulli obnoxias inspectioni, ad Sanctam Sedem eiusque in natione Legatum, ad Cardinalem Protectorem, ad proprios Superiores maiores, ad Superiorem domus forte absentem, ad Ordinarium loci cui subiecti sint et, si agatur de monialibus quae sub regularium iurisdictione sunt, etiam ad Superiores maiores Ordinis; et ab istis omnibus praedicti religiosi, viri aut mulieres, litteras item nemini inspiciendas recipere.**

CAN. 612.

**Praeter praescriptum can.** 1345, **si loci Ordinarius ob causam publicam sonitum campanarum, ' preces aliquas vel sacra sollemnia indicat, religiosi omnes, etiam exempti, obedire debent, salvis constitutionibus et privilegiis suae cuiusque religionis.**

CAPUT **II.**

## *De privilegiis.*

CAN. 613.

§ 1. **Quaelibet religio iis tantum privilegiis gaudet, quae vel hoc in Codice continentur, vel a Sede Apostolica directe eidem concessa fuerint, exclusa in posterum qualibet communicatione.**

§ 2. **Privilegia quibus gaudet Ordo regularis, competunt quoque monialibus eiusdem Ordinis, quatenus eorum sint capaces.**

CAN. 614.

**Religiosi, etiam laici ac novitii, fruuntur clericorum privilegiis de quibus in can.** 119-123.

CAN. 615.

**Regulares, novitiis non exclusis, sive viri sive mulieres, cum eorum domibus et ecclesiis, exceptis iis monialibus quae Superioribus regularibus non subsunt, ab Ordinarii loci iurisdictione exempti sunt, praeterquam in casibus a iure expressis.**

CAN. 616.

§ 1. **Regulares extra domum illegitime degentes, etiam sub praetextu accedendi ad Superiores, exemptionis privilegio non gaudent.**

§ 2. **Si extra domum delictum commiserint nec a proprio Superiore praemonito puniantur, a loci Ordinario puniri possunt, etsi e domo legitime exierint et domum reversi fuerint.**

CAN. 617.

§ 1. **Si in regularium aliorumve religiosorum exemptorum domibus eorumve ecclesiis abusus irrepserint, et Superior monitus prospicere ne**

**glexerit, Ordinarius loci obligatione tenetur rem ad Sedem Apostolicam statim deferendi.**

§ 2. **Domus autem non formata manet sub peculiari vigilantia Ordinarii loci, qui, si abusus irrepserint et fidelibus scandalo fuerint, ipse per se potest interim providere.**

CAN. 618.

§ 1. **Religiones votorum simplicium exemptionis privilegio non gaudent, nisi specialiter eisdem fuerit concessum.**

§ 2. **In religionibus tamen iuris pontificii Ordinario loci non licet :**

1.° **Constitutiones ullatenus immutare aut de re oeconomica cognoscere, salvo praescripto can.** 533-535;

2.° **Sese ingerere in regimen internum ac disciplinam, exceptis casibus in iure expressis; nihilominus in religionibus laicalibus ipse potest ac debet inquirere num disciplina ad constitutionum normam vigeat, num quid sana doctrina morumve probitas detrimenti ceperit, num contra clausuram peccatum sit, num Sacramenta aequa stataque frequentia suscipiantur; et, si Superiores de gravibus forte abusibus admoniti opportune non providerint, ipse per se consulat; si qua tamen maioris momenti occurrant, quae moram non patiantur, decernat statim; decretum vero ad Sanctam Sedem deferat.**

CAN. 619.

**In omnibus in quibus religiosi subsunt Ordinario loci, possunt ab eodem etiam poenis coerceri.**

CAN. 620.

**Per indultum ab Ordinario loci legitime concessum, obligatio legis communis cessat quoque pro religiosis omnibus in dioecesi commorantibus, salvis votis et constitutionibus propriis cuiusvis religionis.**

CAN. 621.

§ 1. **Regulares, qui ex instituto mendicantes vocantur et sunt, eleemosynas in dioecesi, ubi eorum religiosa domus est constituta, quaerere valent de sola Superiorum suorum licentia; extra dioecesim vero indigent praeterea licentia scripto data ab Ordinario loci in quo eleemosynas colligere cupiunt.**

§ 2. **Hanc licentiam Ordinarii locorum, praecipue dioecesium finitimarum, nisi gravibus et urgentibus de causis, ne denegent neve revocent, si religiosa domus ex mendicatione in sola dioecesi, in qua est constituta, vivere nullo modo possit.**

CAN. 622.

§ 1. **Alii omnes religiosi Congregationum iuris pontificii, sine peculiari Sanctae Sedis privilegio, stipem petere prohibentur; quibus, si hoc privilegium impetraverint, opus erit praeterea licentia scripto data ab Ordinario loci, nisi aliter in ipso privilegio cautum fuerit.**

§ 2. **Religiosi Congregationum iuris dioecesani stipem quaeritare**

**nequaquam possunt sine licentia scripto data tum ab Ordinario loci in quo sita est eorum domus, tum ab Ordinario loci in quo stipem quaerere cupiunt.**

**§ 3. Religiosis, de quibus in §§ 1 et 2 huius canonis, Ordinarii locorum licentiam quaeritandae stipis ne concedant, praesertim ubi sunt conventus regularium nomine et re mendicantium, nisi sibi constet de vera domus vel pii operis necessitate, cui alio -modo occurri nequeat; quod si necessitati provideri possit stipe quaerenda intra locum seu districtum vel dioecesim in qua iidem commorantur, ampliorem licentiam ne largiantur.**

**§ 4. Sine authentico et recenti rescripto Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali, Ordinarii latini nec sinant orientalem ullum cuiusvis ordinis et dignitatis in proprio territorio pecuniam colligere, nec suum subditum in orientales dioeceses ad eundem finem mittant.**

CAN. **623.**

**Non licet Superioribus stipem colligendam committere, nisi professis aetate animoque maturis, maxime si de mulieribus agatur, nunquam autem iis qui in studia adhuc incumbunt.**

CAN. **624.**

**Quod vero attinet ad modum in quaeritanda stipe servandum et ad disciplinam a quaestuantibus custodiendam, religiosi utriusque sexus stare debent instructionibus a Sede Apostolica hac de re datis.**

CAN. **625.**

**Abbates regulares de regimine, legitime electi, debent intra tres menses ab electione benedictionem accipere ab Episcopo dioecesis in qua monasterium situm est; postquam vero benedictionem receperint, praeterquam potestate conferendi ordines ad normam can. 964, n. 1, fruuntur privilegiis de quibus in can. 325, excepto pileolo violaceo.**

## CAPUT III.

## *De obligationibus et privilegiis religiosi ad ecclesiasticam dignitatem promoti vel paroeciam regentis.*

CAN. **626.**

**§ 1. Religiosus nequit, sine Sedis Apostolicae auctoritate, ad dignitates, officia aut beneficia promoveri, quae cum statu religioso componi non possint.**

**§ 2. Legitime ab aliquo collegio electus, nequit electioni assentiri sine licentia Superioris.**

**§ 3. Si voto teneatur non acceptandi dignitates, specialis Romani Pontificis dispensatio est necessaria.**

CAN. **627.**

**§ i. Religiosus, renuntiatus Cardinalis aut Episcopus sive residentialis sive titularis, manet religiosus, particeps privilegiorum suae reli-**

**gionis, votis ceterisque suae professionis obligationibus adstrictus, exceptis iis quas cum sua dignitate ipse prudenter iudicet componi non posse, salvo praescripto can. 628.**

**§ 2. Eximitur tamen a potestate Superiorum et, vi voti obedientiae, uni Romano Pontifici manet obnoxius.**

CAN. **628.**

**Religiosus ad dignitatem episcopalem vel aliam extra propriam religionem evectus :**

**1.° Si per professionem dominium bonorum amiserit, bonorum quae ipsi obveniunt, habet usum, usumfructum et administrationem; proprietatem vero Episcopus residentialis, Vicarius Apostolicus, Praefectus Apostolicus, acquirit dioecesi, vicariatui, praefecturae; ceteri, Ordini regulari, ad normam can. 582, salvo praescripto can. 239, § 1, n. 19;**

**2.° Si per professionem dominium bonorum non amiserit, bonorum quae habebat, recuperat usum, usumfructum et administrationem; quae postea ipsi obveniant, sibi plene acquirit;**

**3.° In utroque autem casu de bonis, quae ipsi obveniunt non intuitu personae, debet disponere secundum offerentium voluntatem.**

CAN. **629.**

**§ 1. Dimisso cardinalatu vel episcopatu vel expleto munere extra religionem sibi a Sede Apostolica commisso, religiosus ad religionem redire tenetur.**

**§ 2. Potest tamen Cardinalis et Episcopus religiosus quamlibet suae religionis domum eligere in qua degat; sed caret voce activa et passiva.**

CAN. **630.**

**§ 1. Religiosus, qui paroeciam regit sive titulo parochi sive titulo vicarii, manet adstrictus ad observationem votorum et constitutionum, quatenus haec observatio potest cum muneris sui officiis consistere.**

**§ 2. Quare, in iis quae ad religiosam disciplinam attinent, subest Superiori, cuius proinde est, et quidem privative respectu Ordinarii loci, in eius agendi rationem circa haec omnia inquirere eumque, si casus ferat, corrigere.**

**§ 3. Bona quae ipsi obveniunt intuitu paroeciae cui praeficitur, ipsi paroeciae acquirit; cetera acquirit ad instar aliorum religiosorum.**

**§ 4. Non obstante voto paupertatis, eidem licet eleemosynas in bonum paroecianorum, vel pro scholis catholicis aut locis piis paroeciae coniunctis, quovis modo oblatas accipere aut colligere, et acceptas sive collectas administrare, itemque, servata offerentium voluntate, pro prudenti suo arbitrio, erogare, salva semper vigilantia sui Superioris; sed eleemosynas pro ecclesia paroeciali aedificanda, conservanda, instauranda, exornanda accipere, apud se retinere, colligere aut administrare pertinet ad Superiores, si ecclesia sit communitatis religiosae; secus ad loci Ordinarium.**

CAN. **631.**

**§ 1. Idem parochus vel vicarius religiosus, licet ministerium exerceat in domo seu loco ubi maiores Superiores religiosi ordinariam sedem habent, subest immediate omnimodae iurisdictioni, visitationi et correctioni Ordinarii loci, non secus ac parochi saeculares, regulari obser-' vantia unice excepta.**

**§ 2. Ordinarius loci, ubi eum suo muneri defecisse compererit, opportuna decreta condere ac meritas in eum poenas statuere potest; in quo nihilominus Ordinarii facultates minime privativae sunt, sed Superior ius cumulativum cum ipso habet, ita tamen ut, si aliter a Superiore, aliter ab Ordinario decerni contingat, decretum Ordinarii praevalere debeat.**

**§ 3. Quod attinet ad parochi vel vicarii religiosi remotionem e paroecia, servetur praescriptum can. 454, § 5; et quod ad bona temporalia, praescriptum can. 533, § 1, n. 4, et can. 535, § 3, n. 2.**

## TITULUS XIV.

### De transitu ad aliam religionem.

CAN. **632.**

**Religiosus nequit ad aliam religionem, etiam strictiorem, vel e monasterio sui iuris ad aliud transire sine auctoritate Apostolicae Sedis.**

CAN. **633.**

**§ 1. Transiens ad aliam religionem novitiatum peragere debet; quo durante, manentibus votis, iura et obligationes particulares, quas in religione derelicta habuit, suspensa manent, et ipse obligatione tenetur Superioribus novae religionis et ipsi novitiorum Magistro parendi etiam ratione voti obedientiae. /**

**§ 2. Si in religione ad quam transiit, professionem non edat, ad pristinam religionem redire debet, nisi interim votorum tempus exspiraverit.**

**§ 3. Transiens ad aliud monasterium eiusdem Ordinis nec novitiatum peragit nec novam emittit professionem.**

CAN. **634.**

**Sollemniter professus aut professus a votis simplicibus perpetuis, si transierit ad aliam religionem cum votis sollemnibus vel simplicibus perpetuis, post novitiatum, praetermissa professione temporaria, de qua in can. 574, vel admittatur ad professionem sollemnem aut simplicem perpetuam vel ad pristinam redeat religionem; ius tamen est Superiori eum probandi diutius, sed non ultra annum ab expleto novitiatu.**

CAN. **635.**

**Transeuntes ad aliud monasterium eiusdem religionis a die transitus, ad aliam vero religionem ab edita nova professione :**

**1.° Amittunt omnia iura et obligationes prioris religionis vel monasterii et alterius iura et officia suscipiunt;**

**2.° Eeligio vel monasterium *a quo* bona servat, quae ipsius religiosi ratione iam ei quaesita fuerunt; quod spectat ad dotem eiusve fructus et alia bona personalia, si qua habeat religiosus, servandum praescriptum can. 551, § 2; demum nova religio ius habet pro novitiatus tempore ad iustam retributionem, si eidem locus sit ad normam can. 570, § 1.**

CAN. **636.**

**Sollemnitas votorum in eo qui legitime secundum superiores canones vota simplicia in Congregatione religiosa nuncupat, eo ipso exstinguitur, nisi aliud in apostolico indulto expresse caveatur.**

## TITULUS XV.

### De egressu e religione.

CAN. **637.**

**Professus a votis temporariis, expleto votorum tempore, libere potest religionem deserere; pariter religio ob iustas ac rationabiles causas eundem potest a renovandis votis temporariis vel ab emittenda professione perpetua excludere, non tamen ratione infirmitatis, nisi certo probetur eam ante professionem fuisse dolose reticitam aut dissimulatam.**

CAN. **638.**

**Indultum manendi extra claustra, sive temporarium, idest indultum *exclaustrationis,* sive perpetuum, idest indultum *saecularizationis,* sola Sedes Apostolica in religionibus iuris pontificii dare potest; in religionibus iuris dioecesani etiam loci Ordinarius.**

CAN. **639.**

**Qui indultum exclaustrationis ab Apostolica Sede impetravit, votis ceterisque suae professionis obligationibus, quae cum suo statu componi possunt, manet obstrictus; exteriorem tamen debet habitus religiosi formam deponere; perdurante tempore indulti caret voce activa et passiva, sed gaudet privilegiis mere spiritualibus suae religionis, et Ordinario territorii ubi commoratur, loco Superiorum propriae religionis, subditur etiam ratione voti obedientiae.**

CAN. **640.**

**§ 1. Qui, impetrato saecularizationis indulto, religionem relinquit :**

**1.° A sua religione separatur, habitus eiusdem exteriorem formam debet deponere, et in Missa et horis canonicis, in usu et dispensatione Sacramentorum saecularibus assimilatur;**

**2.° A votis liberatus manet, firmis oneribus ordini maiori adnexis, si in sacris fuerit; non tenetur obligatione horas canonicas vi professionis recitandi nec aliis regulis et constitutionibus adstringitur.**

**§ 2. Si ex apostolico indulto in religionem rursus recipiatur, novitiatum ac professionem instaurat et locum inter professos obtinet a die novae professionis.**

CAN. **641.**

**§ 1. Si religiosus in sacris constitutus propriam dioecesim ad normam can. 585 non amiserit, debet, non renovatis votis, vel obtento saecularizationis indulto, ad propriam redire dioecesim et a proprio Ordinario recipi; si amiserit, nequit extra religionem sacros ordines exercere, donec Episcopum benevolum receptorem invenerit, aut Sedes Apostolica aliter providerit.**

**§ 2. Episcopus religiosum recipere potest sive pure et simpliciter, sive pro experimento ad triennium : in priore casu religiosus eo ipso est dioecesi incardinatus; in altero, Episcopus potest probationis tempus prorogare, non ultra tamen aliud triennium; quo etiam transacto, religiosus, nisi antea dimissus fuerit, ipso facto dioecesi incardinatus manet.**

CAN. **642.**

**§ 1. Quilibet professus, ad saeculum regressus, licet valeat, ad normam can. 641, sacros ordines exercere, prohibetur tamen sine novo et speciali Sanctae Sedis indulto :**

**1.° Quolibet beneficio in basilicis maioribus vel minoribus, et in ecclesiis cathedralibus;**

**2.° Quolibet magisterio et officio in Seminariis maioribus et minoribus seu collegiis, in quibus clerici educantur, itemque in Universitatibus et Institutis, quae privilegio apostolico gaudent conferendi gradus academicos;**

**3.° Quocunque officio vel munere in Curiis episcopalibus et in religiosis domibus sive virorum sive mulierum, etiamsi agatur de Congregationibus dioecesanis.**

**§ 2. Haec valent quoque de iis qui vota temporaria, vel iuramentum perseverantiae, vel peculiares quasdam promissiones ad normam suarum constitutionum ediderunt et ab eisdem dispensati fuerunt, si per sex integros annos eisdem ligati fuerint.**

CAN. **643.**

**§ 1. Qui e religione, expleto votorum temporariorum tempore aut obtento saecularizationis indulto, egrediantur vel ex eadem fuerint dimissi, nihil possunt repetere ob quamlibet operam religioni praestitam.**

**§ 2. Si tamen religiosa sine dote recepta fuerit nec ex propriis bonis sibimet providere valeat, religio ex caritate eidem dare debet ea quae requiruntur ut modo tuto ac convenienti domum redeat, ac providere ut, naturali aequitate servata, per aliquod tempus, mutuo consensu vel in casu dissensus ab Ordinario loci determinandum, honeste vivere possit.**

CAN. **644.**

**§ 1. Apostata a religione dicitur professus a votis perpetuis sive sollemnibus sive simplicibus qui e domo religiosa illegitime egreditur**

**cum animo non redeundi, vel qui, etsi legitime egressus, non redit eo animo ut religiosae obedientiae sese subtrahat.**

**§ 2. Malitiosus animus, de quo in §' 1, iure praesumitur, si religiosus intra mensem nec reversus fuerit nec Superiori animum redeundi manifestaverit.**

**§ 3. Fugitivus est qui, sine Superiorum licentia, domum religiosam deserit cum animo ad religionem redeundi.**

CAN. 645.

**§ 1. Apostata et fugitivus ab obligatione regulae et votorum minime solvuntur et debent sine mora ad religionem redire.**

**§ 2. Superiores debent eos sollicite requirere, et ipsos, sr vera poenitentia acti redeant, suscipere; reditum vero monialis apostatae vel fugitivae caute curet loci Ordinarius, et, si agatur de monasterio exempto, etiam Superior regularis.**

## TITULUS XVI.

## De dimissione religiosorum.

CAN. 646.

**§ 1. Ipso facto habendi sunt tanquam legitime dimissi religiosi :**

**•1.° Publici apostatae a fide catholica;**

**2.° Religiosus, qui fugam arripuerit cum muliere; aut religiosa quae cum viro;**

**3." Attentantes aut contrahentes matrimonium aut etiam vinculum, ut aiunt, civile.**

**§ 2. In his casibus sufficit ut Superior maior cum su/) Capitulo vel Consilio ad normam constitutionum emittat declarationem facti; curet autem probationes facti collectas in domus regestis asservare.**

### CAPUT I.

### *De dimissione religiosorum qui vota temporaria nuncuparunt.*

CAN. 647.

**§ 1. Professum a votis temporariis sive in Ordinibus sive in Congregationibus iuris pontificii dimittere potest supremus religionis Moderator vel Abbas monasterii sui iuris cum consensu sui cuiusque Consilii per secreta suffragia manifestato, vel, si agatur de monialibus, Ordinarius loci et, si monasterium sit regularibus obnoxium, Superior regularis, postquam monasterii Antistita cum suo Consilio fidem de causis scripto fecerit; in Congregationibus vero iuris dioecesani, Ordinarius loci in quo religiosa domus sita est, qui tamen iure suo ne utatur Moderatoribus insciis vel iuste dissentientibus.**

**§ 2. Ii omnes, graviter eorum onerata conscientia, religiosum dimittere nequeunt, nisi servatis quae sequuntur :**

**1.° Causae dimissionis debent esse graves;**

**2.° Possunt se habere sive ex parte religionis sive ex parte religiosi. Defectus spiritus religiosi qui aliis scandalo sit, est sufficiens dimissionis**

**causa, si repetita monitio una cum salutari poenitentia incassum cesserit, non vero infirma valetudo, nisi certo constet eam ante professionem fuisse dolose reticitam aut dissimulatami**

**3.° Licet Superiori dimittenti certo innotescere debeant, non est tamen necesse ut formali iudicio comprobentur. At religioso semper manifestari debent, data eidem plena respondendi licentia; eiusque responsiones Superiori dimittenti fideliter subiiciantur:**

**4.° Contra' dimissionis decretum est religioso facultas recurrendi ad Sedem Apostolicam; et pendente recursu, dimissio nullum habet iuridicum effectum;**

**5.° Si de mulieribus agatur, servari debet praescriptum can. 643,1 2.**

CAN. **648.**

**Religiosus dimissus ad normam can. 647 ipso facto solvitur ab omnibus votis religiosis, salvis oneribus ordini maiori adnexis, si sit in sacris, et firmo praescripto can. 641, § 1, 642; clericus autem in minoribus ordinibus constitutus eo ipso redactus est in statum laicalem.**

## CAPUT II.

***De dimissione religiosorum qui vota perpetua nuncuparunt in religione clericali non exempta vel in religione laicali.***

CAN. **649.**

**In virorum religionibus clericalibus non exemptis et laicalibus, ut professus a votis perpetuis dimitti possit, praecedant necesse est tria delicta cum duplici monitione ac defectu emendationis ad normam can. 656-662.**

CAN. **650.**

**§ 1. Haec si constiterint, supremus religionis Moderator cum suo Consilio, perpensis omnibus facti adiunctis, deliberet num locus sit dimissioni.**

**§ 2. Si maior suffragiorum numerus pro dimissione steterit :**

**1.° In religione iuris dioecesani res tota deferatur ad Ordinarium loci in quo religiosa professi domus sita est, cuius est dimissionem pro suo prudenti arbitrio decernere ad normam can. 647;**

**2.° In religione iuris pontificii ipse supremus religionis Moderator dimissionis decretum ferat; quod tamen ut suum sortiatur effectum, debet a Sede Apostolica confirmari.**

**§ 3. Religioso ius est suas rationes libere exponendi; eiusque responsiones in actis fideliter referendae sunt.**

CAN. **651.**

**§ 1. Etiam ad dimittendas religiosas professas a votis perpetuis sive sollemnibus sive simplicibus exiguntur graves causae exteriores una cum incorrigibilitate, experimento prius habito ita ut spes resipiscentiae evanuerit, iudicio Antistitae.**

**§ 2. Praescriptum can. 650, § 3 etiam in religiosarum dimissione servandum est.**

CAN. **652.**

**§ 1. Si agatur de religiosis iuris dioecesani, Ordinarii loci in quo sita est sororis professae domus, est causas dimissionis expendere et decretum dimissionis ferre..**

**§ 2. Si de monialibus, Ordinarius loci omnia acta et documenta transmittat ad Sacram Congregationem cum suo et Superioris regularis voto, si monasterium regularibus sit subiectum.**

**§ 3. Si de aliis religiosis iuris pontificii, suprema religionis Moderatrix rem totam ad Sacram Congregationem pariter deferat cum omnibus actis et documentis; Sacra autem Congregatio tum in hoc tum in praecedenti casu quod magis expedire censuerit, decernet, firmo praescripto can. 643, § 2.**

CAN. **653.**

**In casu gravis scandali exterioris vel gravissimi nocumenti communi ta ti imminentis, religiosus statim potest a Superiore maiore cum consensu sui Consilii vel etiam, si periculum sit in mora et tempus non adsit adeundi Superiorem maiorem, a Superiore locali cum consensu sui Consilii et Ordinarii loci, ad saeculum remitti, habitu religioso illico deposito, ita tamen ut res per ipsum Ordinarium aut per Superiorem maiorem, si adsit, Sanctae Sedis iudicio sine mora subiiciatur.**

CAPUT **III.**

*De processu iudiciali in dimissione religiosorum qui vota perpetua sive sollemnia, sive simplicia nuncuparunt in religione clericali exempta.*

CAN. **654.**

**Vir professus a votis sollemnibus aut a votis simplicibus perpetuis in religione clericali exempta ne dimittatur, nisi processu instituto, salvo praescripto can. 646, 668, et revocato quolibet contrario privilegio.**

CAN. **655.**

**§ 1. Ad sententiam dimissionis ferendam competens est supremus religionis vel monasticae Congregationis Moderator cum suo Consilio seu Capitulo, quod quatuor saltem religiosis constet; si qui deficiant, eorum loco totidem religiosos eligat praeses de consensu aliorum qui cum ipso tribunal collegiale constituant.**

**§ 2. Praeses de aliorum consensu promotorem iustitiae nominet ad normam can. 1589, § 2.**

CAN. **656.**

**Ad processum instruendum deveniri nequit nisi praecesserint :**

**1.° Gravia delicta externa sive contra ius commune sive contra speciale religiosorum ius;**

**2.° Monitiones;**

**3.' Defectus emendationis.**

CAN. **657.**

**Delicta debent esse saltem tria eiusdem speciei, vel, si diversae, talia ut simul sumpta manifestent perversam voluntatem in malo pervicacem, aut unum tantum permanens, quod ex repetitis monitionibus virtualiter triplex fiat.**

CAN. **658.**

**§ 1. Ad monitionem faciendam necesse est ut aut delictum sit notorium aut de eodem constet ex rei confessione extraiudiciali vel ex aliis sufficientibus probationibus quas praevia inquisitio suppeditaverit.**

**§ 2. In inquisitione peragenda serventur, congrua congruis referendo, praescripta can. 1939 seqq.**

CAN. **659.**

**Monitio fieri debet ab immediato Superiore maiori per se vel per alium de eius mandato; sed Superior mandatum ne detonisi praevia informatione facti ad normam can. 658, § 1; datum vero mandatum pro prima monitione valeat etiam pro altera.**

CAN. **660.**

**Duae debent esse monitiones, scilicet singulae pro singulis duobus primis delictis; in delictis autem continuatis seu permanentibus intercedat necesse est inter primam et alteram monitionem saltem trium dierum integrum spatium.**

CAN. **661.**

**§ 1. Monitionibus Superior addat opportunas exhortationes et correptiones, praescriptis insuper poenitentiis aliisque remediis poenalibus, quae apta censeantur ad emendationem rei et scandali reparationem.**

**§ 2. Praeterea tenetur Superior reum ab occasionibus relabendi removere etiam per translationem, si opus fuerit, ad aliam domum, ubi facilior sit vigilantia et remotior delinquendi occasio.**

**§ 3. Singulis monitionibus adiiciatur dimissionis comminatio.**

CAN. **662.**

**Religiosus censetur se non emendasse, si post secundam monitionem novum delictum commiserit vel in eodem permanenter perstiterit; post ultimam monitionem sex saltem dies erit expectandum, antequam ad ulteriora progressus fiat.**

CAN. **663.**

**Immediatus Superior maior, postquam monitiones et correctiones incassum cesserint, omnia acta et documenta diligenter colligat et ad supremum Moderatorem transmittat; hic autem ea tradere debet promotori iustitiae, qui ea examinet et suas conclusiones proponat.**

CAN. **664.**

**§ 1. Si promotor iustitiae, cui fas est etiam ulteriores inquisitiones quas opportunas iudicaverit peragere, accusationem proponat, instruatur**

**processus, servatis praescriptis canonum in Parte Prima Libri Quarti, congrua congruis referendo.**

**§ 2. Ex'processu constare debet de delictis patratis, de praemissa duplici monitione et de defectu emendationis.**

CAN. **665.**

**Tribunal, diligenter perpensis allegationibus tum promotoris iustitiae tum rei, si quidem iudicaverit satis probata esse ea de quibus in can. 664, § 2, sententiam dimissionis pronuntiet.**

CAN. **666.**

**Sententia exsecutioni mandari nequit, nisi fuerit a Sacra Congregatione confirmata; ad quam tribunalis praeses et sententiam et omnia acta processus quamprimum transmittere curabit.**

CAN. **667.**

**Pro dissitis regionibus etiam in casibus ordinariis supremi Moderatores cum consensu sui Consilii seu Capituli possunt dimittendi facultatem demandare probis ac prudentibus religiosis, qui saltem tres esse debent, firmo praescripto can. 663-666.**

CAN. **668.**

**In casu, de quo in can. 653, religiosus statim potest a Superiore maiore, vel si periculum sit in mora et tempus non adsit recurrendi ad Superiorem maiorem, a Superiore quoque locali, cum consensu sui Consilii, ad saeculum remitti, habitu religioso illico deposito; religioso autem dimisso, statim processus, si nondum fuerit institutus, instituatur ad normam canonum qui praecedunt.**

## CAPUT IV.

### *De religiosis dimissis qui vota perpetua nuncuparunt.*

CAN. **669.**

**§ 1. Professus qui vota perpetua emisit, a religione dimissus, votis religiosis manet adstrictus, salvis constitutionibus aut Sedis Apostolicae indultis quae aliud ferant.**

**§ 2. Si clericus est in minoribus ordinibus constitutus, eo ipso reducitur ad statum laicalem.**

CAN. **670.**

**Clericus in sacris qui aliquod delictum commisit de quo in can. 646, aut dimissus est ob delictum quod iure communi punitur infamia iuris vel depositione vel degradatone, perpetuo prohibetur deferre habitum ecclesiasticum.**

CAN. **671.**

**Si vero dimittatur ob delicta minora iis de quibus in can. 670 :**

**1.° Ipso facto suspensus manet, donec a Sancta Sede absolutionem obtinuerit;**

2.° Sacra Congregatio, si id expedire indicaverit, dimisso praecipiat ut, habitu cleri saecularis indutus, commoretur in certa dioecesi, indicatis Ordinario causis ob quas dimissus fuit;

3.° Si dimissus praecepto de quo n. 2, non paruerit, religio ad nihil tenetur, et dimissus eo ipso privatus est iure deferendi habitum ecclesiasticum;

4.° Ordinarius dioecesis pro eius commoratione designatae, religiosum in domum poenitentiae mittat, vel eum committat curae et vigilantiae pii ac prudentis sacerdotis; et si religiosus non paruerit, servetur praescriptum n. 3;

5.° Religio, per manus Ordinarii loci commorationis, caritativum subsidium dimisso suppeditet pro necessariis ad vitae sustentationem, nisi ipse aliunde sibimet providere valeat;

6.° Si dimissus vitae rationem ecclesiastico viro dignaiñ non agat, transacto anno aut etiam prius, iudicio Ordinarii, privetur caritativo subsidio, eiiciatur e domo poenitentiae eique auferatur ius deferendi habitum ecclesiasticum ab ipso Ordinario, qui statim mittere curet opportunam relationem tum ad Sedem Apostolicam tum ad religionem;

7.° Si vero dimissus praedicto tempore tam laudabiliter se gesserit ut merito haberi possit vere emendatus, Ordinarius eius preces apud Sanctam Sedem commendavit pro absolutione a censura suspensionis, et, ea obtenta, eidem in sua dioecesi permittat, adhibitis opportunis cautelis et limitationibus, Missae celebrationem et etiam, pro suo arbitrio et prudentia, aliud sacrum ministerium, unde honeste vivere queat; quo in casu religio caritativum subsidium intermittere potest. Quod si agatur de diacono aut subdiacono, res ad Sanctam Sedem deferatur.

CAN. 672.

§ 1. Dimissus, votis in religione emissis non solutus, tenetur ad claustra redire; et si argumenta plenae emendationis per triennium dederit, religio tenetur eum recipere; quod si graves obstent rationes sive ex parte religionis sive ex parte religiosi, res iudicio Sedis Apostolicae subiiciatur.

§ 2. Quoties vero vota in religione emissa cessaverint, si dimissus Episcopum benevolum receptorem invenerit, sub eius iurisdictione et speciali vigilantia maneat, servato praescripto can. 642; secus res ad Sanctam Sedem deferatur.

## TITULUS XVII,

### De societatibus sive virorum sive mulierum in communi viventium sine votis.

CAN. 673.

§ 1. Societas sive virorum sive mulierum, in qua sodales vivendi rationem religiosorum imitantur in communi degentes sub regimine Superiorum secundum probatas constitutiones, sed tribus consuetis votis publicis non obstringuntur, non est proprie religio, nec eius sodales nomine religiosorum proprie designantur.

**§ 2. Huiusmodi societas est clericalis vel laicalis, iuris pontificii vel dioecesani ad normam can. 488, nn. 3, 4.**

### CAN 674.

**Circa erectionem et suppressionem societatis eiusque provinciarum vel domorum, eadem valent quae de Congregationibus religiosis constituta sunt.**

### CAN. 675.

**Regimen determinatur in uniuscuiusque societatis constitutionibus; sed in omnibus serventur, congrua congruis referendo, can. 499-530.**

### CAN. 676.

**§ 1. Societas eiusque provinciae et domus capaces sunt acquirendi et possidendi bona temporalia.**

**§ 2. Administratio bonorum regitur praescripto can. 532-537.**

**§ 3. Quidquid sodalibus obvenit intuitu societatis, eidem acquiritur; cetera bona sodales secundum constitutiones retinent, acquirunt et administrant.**

### CAN. 677.

**In admittendis candidatis serventur constitutiones, salvo praescripto can. 542.**

### CAN. 678.

**In iis quae ad studiorum rationem et ad suscipiendos ordines pertinent, sodales iisdem legibus tenentur ac saeculares clerici, salvis peculiaribus praescriptionibus a Sancta Sede datis.**

### CAN. 679.

**§ 1. Sodales societatis, praeter obligationes quibus, uti sodales, obnoxii sunt secundum constitutiones, tenentur communibus clericorum obligationibus, nisi ex natura rei vel ex sermonis contextu aliud constet, pariterque stare debent praescriptis can. 595-612, nisi constitutiones aliud ferant.**

**§ 2. Clausuram servent ad normam constitutionum sub Ordinarii loci vigilantia.**

### CAN. 680.

**Iidem, etiam laici, gaudent clericorum privilegiis, de quibus in can. 119-123, aliisque societati directe concessis, non autem privilegiis religiosorum sine speciali indulto.**

### CAN. 681.

**Praeter proprias cuiusque societatis constitutiones, circa transitum ad aliam societatem vel ad aliquam religionem aut circa sodalium exitum a societate etiam iuris pontificii, serventur praescripta can. 632-635, 645; circa eorum dimissionem, praescripta can. 646-672.**

# PARS TERTIA
# DE LAICIS

CAN. **682.**

**Laici ius habent recipiendi a clero, ad normam ecclesiasticae disciplinae, spiritualia bona et potissimum adiumenta ad salutem necessaria.**

CAN. **683.**

**Non licet laicis habitum clericalem deferre, nisi agatur vel de Seminariorum alumnis aliisque adspirantibus ad ordines de quibus in can. 972, § 2, vel de laicis, servitio ecclesiae legitime addictis, dum intra eandem ecclesiam sunt aut extra ipsam in aliquo ministerio ecclesiastico partem habent.**

## TITULUS XVIII.

### De fidelium associationibus in genere.

CAN. **684.**

**Fideles laude digni sunt, si sua dent nomina associationibus ab Ecclesia erectis vel saltem commendatis; caveant autem ab associationibus secretis, damnatis, seditiosis, suspectis aut quae studeant sese a legitima Ecclesiae vigilantia subducere.**

CAN. **685.**

**Associationes distinctae a religionibus vel societatibus de quibus in can. 487-681, ab Ecclesia constitui possunt vel ad perfectiorem vitam christianam inter socios promovendam, vel ad aliqua pietatis aut caritatis opera exercenda, vel denique ad incrementum publici cultus.**

CAN. **686.**

**§ 1. Nulla in Ecclesia recognoscitur associatio quae a legitima auctoritate ecclesiastica erecta vel saltem approbata non fuerit.**

**§ 2. Associationes erigere vel approbare pertinet, praeter Romanum Pontificem, ad loci Ordinarium, exceptis illis quarum insiituendarum ius, apostolico ex privilegio, aliis reservatum est.**

**§ 3. Licet privilegium concessum probetur, semper tamen, nisi aliud in ipso privilegiò cautum sit, requiritur ad validitatem erectionis consensus Ordinarii loci scripto datus; consensus tamen ab Ordinario praestitus pro erectione domus religiosae valet etiam pro erigenda in eadem domo vel ecclesia ei adnexa associatione, quae non sit constituta ad modum organici corporis et illius religionis sit propria.**

**§ 4. Vicarius Generalis ex solo mandato generali, et Vicarius Capitularis nequeunt associationes erigere aut consensum praebere pro earum erectione aut aggregatone.**

§ 5. **Erectionis litterae ab iis qui ex privilegio apostolico associationem erigunt, gratis concedantur, sola excepta taxa pro expensis necessariis.**

CAN. 687.

**Ad normam can.** 100, **tunc tantum fidelium associationes iuridicam in Ecclesia personam acquirunt, cum a legitimo Superiore ecclesiastico formale obtinuerunt erectionis decretum.**

CAN. 688.

**Associatio titulum seu nomen ne assumat quod levitatem aut absonam novitatem sapiat, vel speciem devotionis a Sede Apostolica non probatam exprimat.**

CAN. 689.

§ 1. **Quaelibet associatio sua statuta habeat, a Sede Apostolica vel ab Ordinario loci examinata et approbata.**

§ 2. **Statuta quae non sint confirmata a Sede Apostolica, moderationi et correctioni Ordinarii loci semper subiecta manent.**

CAN. 690.

§ 1. **Omnes associationes, etiam ab Apostolica Sede erectae, nisi speciale obstet privilegium, iurisdictioni subsunt et vigilantiae Ordinarii loci, qui ad normas sacrorum canonum eas invisendi ius habet et munus.**

§ 2. **Associationes tamen, quae vi privilegii apostolici a religiosis exemptis in suis ecclesiis institutae sunt, Ordinariis locorum fas non est visitare quod attinet ad ea quae internam disciplinam seu spiritualem associationis directionem spectant.**

CAN. 691.

§ 1. **Associatio legitime erecta, nisi aliud expresse cautum sit, bona temporalia possidere et administrare potest sub auctoritate Ordinarii loci, cui rationem administrationis saltem quotannis reddere debet, ad normam can.** 1525, **minime vero parochi, licet in eius territorio erecta sit, nisi aliud Ordinarius ipse statuerit.**

§ 2. **Potest, ad normam statutorum, oblationes recipere, et receptas erogare ad pios ipsius associationis usus, salva semper offerentium voluntate.**

**§ 3. Nulli associationi eleemosynas colligere licet, nisi id aut statuta permittant, aut necessitas postulet, et loci Ordinarii consensus accedat ac servetur forma ab eodem praescripta.**

**§ 4. Ad eleemosynas extra territorium colligendas uniuscuiusque Ordinarii venia, scripto data, requiritur.**

§ 5. **Oblationum quoque ac eleemosynarum fidelis erogationis rationem associatio reddat Ordinario loci.**

CAN. 692.

**Ad fruendum associationis iuribus, privilegiis, indulgentiis, aliisque gratiis spiritualibus, necesse est et sufficit ut quis in eam valide receptus**

**sit, secundum propria associationis statuta et ab ea legitime non expulsus.**

CAN. **693.**

**§ 1. Acatholici et damnatae sectae adscripti aut censura notorie irretiti et in genere publici peccatores valide recipi nequeunt.**

**§ 2. Eadem persona potest adscribi pluribus associationibus, salvo praescripto can. 705.**

**§ 3. Absentes ne adscribantur associationibus ad modum organici corporis constitutis; praesentes autem, nonnisi scientes ac volentes adscribi possunt.**

**§ 4. Salvo praescripto can. 704, religiosi possunt piis associationibus nomen dare, exceptis iis quarum leges, Superiorum iudicio, cum^observantia regulae et constitutionum conciliari nequeant.**

CAN. **694.**

**§ 1. Receptio fiat ad normam iuris ac statutorum uniuscuiusque associationis.**

**§ 2. Ut autem de receptione constet, inscriptio in albo associationis fieri omnino debet; imo haec inscriptio, si associatio in personam moralem erecta fuerit, est ad validitatem necessaria.**

CAN. **695.**

**Occasione receptionis in associationem nihil directe vel indirecte exigatur, praeter id quod in statutis legitime approbatis designatum sit, aut ab Ordinario loci, ratione specialium circumstantiarum, expresse permissum in associationis favorem.**

CAN. **696.**

**§ 1. Nemo, legitime adscriptus, ab associatione dimittatur, nisi iusta de causa ad normam statutorum.**

**§ 2. Qui in casum inciderint, de quo in can. 693, § 1, expungantur, praemissa monitione, servatis propriis statutis et salvo iure recursus ad Ordinarium.**

**§ 3. Etiamsi in statutis nihil expresse caveatur, etiam loci Ordinarius quod ad omnes associationes, et Superior religiosus quod ad associationes ex apostolico indulto a religiosis erectas attinet, possunt socios dimittere.**

CAN. **697.**

**§ 1. Associationes legitime erectae ius habent, ad normam statutorum et sacrorum canonum, celebrandi comitia, edendi peculiares normas quae ipsum sodalitium respiciant, eligendi administratores bonorum, officiales et ministros, firmo praescripto can. 715, § 1.**

**§ 2. In iis quae convocationem ad comitia et electiones respiciunt, serventur ius commune, quod prostat in can. 161-182 et statuta iuri communi non contraria.**

CAN. 698.

§ 1. **Nisi privilegium apostolicum aliud expresse caveat, nominatio moderatoris et cappellani pertinet ad loci Ordinarium in associationibus ab ipso vel ab Apostolica Sede erectis aut approbatis, et in associationibus a religiosis vi apostolici privilegii- erectis extra proprias ecclesias; in associationibus vero erectis a religiosis in propriis ecclesiis requiritur tantum Ordinarii loci consensus, si a Superiore moderator et cappellanus e clero saeculari eligantur.**

§ 2. **Moderator et cappellanus possunt, durante munere, benedicere associationis habitum seu insignia, scapularia, etc., eaque adscribendis imponere; quod vero ad conciones attinet, serventur praescripta can.** 1337-1342.

§ 3. **Moderatorem et cappellanum revocare ex iusta causa possunt qui illos nominaverunt eorumque successores vel Superiores.**

§ 4. **Item potest esse moderator et cappellanus.**

CAN. 699.

§ 1. **Ob graves causas et salvo iure recursus ad Apostolicam Sedem, •potest loci Ordinarius supprimere non solum associationem a se vel a decessoribus suis erectam, sed etiam associationem ex apostolico indulto a religiosis erectam de consensu Ordinarii loci.**

§ 2. **Associationes vero ab ipsa Apostolica Sede erectae nonnisi ab eadem supprimi possunt.**

## TITULUS XIX.

### De fidelium associationibus in specie.

CAN. 700.

**Triplex distinguitur in Ecclesia associationum species :** ***tertii Ordines saeculares, confraternitates, piae uniones.***

CAN. 701.

§ 1. **Inter pias laicorum associationes, ordo praecedentiae est qui sequitur, firmo praescripto can.** 106, **nn.** 5, 6 :

1.° **Tertii Ordines;**

2.° **Archiconfraternitates;**

3.° **Confraternitates;**

4.° **Piae uniones primariae;**

5.° **Aliae piae uniones.**

§ 2. **Confraternitas sanctissimi Sacramenti, si agatur de processione in qua defertur sanctissimum Sacramentum, praecedit ipsis archiconfraternitatibus.**

§ 3. **Omnes autem tunc solummodo ius praecedentiae habent, cum collegialiter incedunt sub propria cruce vel vexillo et cum habitu seu insignibus associationis.**

## CAPUT I.

## *De tertiis Ordinibus saecularibus.*

### CAN. 702.

**§ 1. Tertiarii saeculares sunt qui in saeculo, sub moderatione alicuius Ordinis[1], secundum eiusdem spiritum, ad christianam perfectionem contendere nituntur, modo saeculari vitae consentaneo, secundum regulas ab Apostolica Sede pro ipsis approbatas.**

**§ 2. Si tertius saecularis Ordo in plures associationes dividatur, harum quaelibet legitime constituta dicitur *sodalitas tertiariorum.***

### CAN. 703.

**§ 1. Firmo privilegio nonnullis Ordinibus concesso, nulla religio potest tertium Ordinem sibi adiungere.**

**§ 2. Dato etiam apostolico privilegio, Superiores religiosi possunt quidem personas particulares tertio Ordini adscribere, sed nequeunt sodalitatem tertiariorum valide erigere sine consensu Ordinarii loci, ad normam can. 686, § 3.**

**§ 3. Nec sodalitatibus a se erectis possunt concedere usum particularium vestium, in publicis sacris functionibus deferendarum, sine speciali eiusdem Ordinarii licentia.**

### CAN. 704.

**§ 1. Qui vota nuncupavit vel in perpetuum vel ad tempus in aliqua religione, nequit simul ad ullum tertium Ordinem pertinere, etsi eidem antea fuerit adscriptus.**

**§ 2. Si solutus a votis ad saeculum redierit, antiqua adscriptio reviviscit.**

### CAN. 705.

**Nulla tertiariorum sodalitas, sine apostolico indulto, adscribere potest sodales alius tertii Ordinis in eodem remanentes; singulis tamen sodalibus licet iusta de causa transire sive ab alio ad alium tertium Ordinem, sive ab alia ad aliam sodalitatem eiusdem tertii Ordinis.**

### CAN. 706.

**Publicis processionibus, funeribus aliisque ecclesiasticis functionibus tertiarii possunt, sed non tenentur collegialiter interesse; at si intersint, cum suis insignibus sub cruce propria incedant necesse est.**

## CAPUT II.

## *De confraternitatibus et piis unionibus.*

### CAN. 707.

**§ 1. Associationes fidelium quae ad exercitium alicuius operis pietatis aut caritatis erectae sunt, nomine veniunt *piarum unionum;* quae, si ad modum organici corporis sint constitutae, *sodalitia* audiunt.**

§ 2. **Sodalitia vero in incrementum quoque publici cultus erecta, speciali nomine *confraternitates* appellantur.**

CAN. 708.

**Confraternitates nonnisi per formale erectionis decretum constitui possunt; pro piis autem unionibus sufficit Ordinarii approbatio, qua obtenta, ipsae, licet morales personae non sint, capaces tamen sunt obtinendi gratias spirituales ac praesertim indulgentias.**

CAN. 709.

§ 1. **Confratres nequeunt sacris functionibus operam praestare, nisi confraternitatis habitum seu insignia deferant.**

§ 2. **Mulieres confraternitatibus adscribi tantum possunt ad lucrandas indulgentias et gratias spirituales confratribus concessas.**

CAN. 710.

**Titulus seu nomen confraternitatis vel piae unionis desumatur vel a Dei attributis, vel a christianae religionis mysteriis, vel a festis Çomini et Beatae Virginis Mariae, vel a Sanctis, vel a pio opere ipsius sodalitii.**

CAN. 711.

§ 1. **Plures confraternitates vel piae uniones eiusdem tituli ac instituti, nisi id eis specialiter concessum sit aut iure cautum, ne erigantur neve approbentur in eodem loco; si vero agatur de magnis civitatibus, id licet, dummodo inter ipsas intercedat conveniens, iudicio Ordinarii loci, distantia.**

§ 2. **Curent locorum Ordinarii ut in qualibet paroecia instituantur confraternitates sanctissimi Sacramenti, ac doctrinae christianae; quae, legitime erectae, ipso iure aggregatae sunt eisdem Archiconfraternitatibus in Urbe a Cardinali Urbis Vicario erectis.**

CAN. 712.

§ 1. **Confraternitates vel piae uniones ne erigantur, nisi in ecclesia aut oratorio publico vel saltem semi-publico.**

§ 2. **Ne instituantur, sine Capituli consensu, in ecclesia cathedrali aut collegiali.**

§ 3. **In ecclesiis vel oratoriis religiosarum Ordinarius loci permittere potest erectionem associationis mulierum tantum, aut piae unionis quae nonnisi precationibus incumbat et gratiarum dumtaxat spiritualium communicatione gaudeat.**

CAN. 713.

§ 1. **Religiosi cum confraternitatibus piisve unionibus a se erectis possunt et debent communicare omnes et solas gratias spirituales, quae in facultatibus a Sede Apostolica receptis specifice et nominatim communicabiles declarentur, eaeque in actu erectionis manifestandae sunt singulis, servato praescripto can.** 919.

§ 2. **Confraternitatibus, ab iisdem erectis, non licet vestem propriam**

**seu insignia, quae in publicis processionibus aliisque sacris functionibus deferenda sunt, assumere sine speciali Ordinarii loci licentia.**

CAN. 714.

**Confraternitas proprium habitum vel insignia, sine licentia Ordinarii loci, ne dimittat neve immutet.**

CAN. 715.

§ 1. **Comitiis confraternitatum, etsi in regularium ecclesiis et oratoriis celebrandis, per se vel per delegatum praeesse sine iure tamen suffragii, dignos et idoneos officiales et ministros electos confirmare, indignos vel non idoneos respuere aut removere, statuta aliasve normas, nisi a Sede Apostolica approbatae fuerint, corrigere et approbare, pertinet ad loci Ordinarium.**

**§ 2. De comitiorum extraordinariorum celebratione confraternitas Ordinarium loci eiusve delegatum tempestive praemoneat; secus Ordinario ius est comitia impediendi vel eorum decreta penitus infirmandi.**

CAN. 716.

**§ 1. Confraternitates et piae uniones, in propriis ecclesiis erectae, functiones non paroeciales, servatis servandis, independenter a parocho exercere possunt, dummodo ministerio paroeciali in paroeciali ecclesia non noceant.**

**§ 2. Idem servetur etiam in casu quo paroecia erecta sit in ipsa confraternitatis ecclesia.**

**§ 3. In dubio utrum f unctiones confraternitatis vel piae unionis noceant, necne, ministerio paroeciali, ad Ordinarium loci spectat ius decidendi, itemque statuendi practicas normas servandas.**

CAN. 717.

§ 1. **Si in ecclesiis non suis erectae sint, proprias functiones ecclesiasticas in sacello tantum vel altari, in quo sunt erectae, peragere possunt ad normam can.** 716 **et peculiarium statutorum.**

**§ 2. Patrimonium confraternitatis et piae unionis, quae erecta sit in ecclesia non sua, aut cuius ecclesia sit simul ecclesia paroecialis, debet esse separatum a bonis fabricae vel communitatis.**

CAN. 718.

**Confraternitates processionibus consuetis et aliis, quas Ordinarius loci indixerit, tenentur collegialiter cum propriis insignibus et sub proprio vexillo interesse, nisi Ordinarius aliud praescripserit.**

CAN. 719.

§ 1. **De Ordinarii loci consensu confraternitas vel pia unio de alia ad aliam sedem transferri potest, nisi iure aut statutis a Sede Apostolica probatis translatio prohibeatur.**

**§ 2. Quoties agatur de transferenda confraternitate vel pia unione alicui religioni reservata, Superioris consensus est requirendus.**

CAPUT III.

## *De archiconfraternitatibus et primariis unionibus.*

CAN. 720.

**Sodalitia quae iure pollent alias eiusdem speciei associationes sibi aggregandi, *archisodalitia,* vel *archiconfraternitates,* vel piae uniones, congregationes, societates *primariae* appellantur.**

CAN. 721.

**§ 1. Nulla associatio potest sine apostolico indulto alias sibi valide aggregare.**

**§ 2. Archiconfraternitati vel primaria unio eas tantum potest confraternitates vel pias uniones sibi aggregare, quae sint eiusdem tituli ac finis, nisi indultum apostolicum aliud ferat.**

CAN. 722.

**§ 1. Per aggregationem communicantur omnes indulgentiae, privilegia et aliae gratiae spirituales communicabiles quae associationi aggreganti directe et nominatim a Sede Apostolica concessae fuerint vel in posterum concedantur, nisi aliud in indulto apostolico caveatur.**

**§ 2. Ex hac communicatione nullum ius associatio aggregans acquirit supra aggregatam.**

CAN. 723.

**Ad aggregationis validitatem requiritur ut :**

**1.° Associatio iam fuerit canonice erecta nec alii archiconfraternitati vel primariae unioni aggregata;**

**2.° Fiat de consensu Ordinarii loci scriptis dato una cum eius litteris testimonialibus;**

**3.° Indulgentiae, privilegia et aliae gratiae spirituales quae per aggregationem communicantur, enumerentur in elencho, ab Ordinario loci in quo archiconfraternitas sita est, recognito et societati aggregatae tradendo;**

**4.° Aggregatio fiat formula in statutis praescripta et in perpetuum;**

**5.° Litterae aggregationis expediantur gratis omnino et nulla prorsus mercede etiam sponte oblata, exceptis necessariis expensis.**

CAN. 724.

**Archiconfraternitas vel primaria unio de alia ad aliam sedem nonnisi ab Apostolica Sede transferri potest.**

CAN. 725.

**Titulus *archisodalitii* vel *archiconfraternitatis* vel *unionis primariae,* etiam honoris tantum causa, potest associationi ab una Sede Apostolica concedi.**

# LIBER TERTIUS

# DE REBUS

CAN. **726.**

**Res de quibus in hoc libro agitur quaeque totidem media sunt ad Ecclesiae finem consequendum, aliae sunt spirituales, aliae temporales, aliae mixtae,**

CAN. **727.**

**§ 1. Studiosa voluntas emendi vel vendendi pro pretio temporali rem intrinsece spiritualem, ex. gr., Sacramenta, ecclesiasticam iurisdictionem, consecrationem, indulgentias, etc., vel rem temporalem rei spirituali adnexam ita ut res temporalis sine spirituali nullo modo esse possit, ex. gr., beneficium ecclesiasticum, etc., aut res spiritualis sit obiectum, etsi partiale, contractus, ex. gr., consecratio in calicis consecrati venditione, est simonia iuris divini.**

**§ 2. Dare vero res temporales spirituali adnexas pro temporalibus spirituali adnexis, vel res spirituales pro spiritualibus, vel etiam temporales pro temporalibus, si id ob periculum irreverentiae erga res spirituales ab Ecclesia prohibeatur, est simonia iuris ecclesiastici.**

CAN. **728.**

**Cum de simonia agitur, emptio-venditio, permutatio, etc., late accipiendae sunt pro qualibet conventione, licet ad effectum non deducta, etiam tacita, in qua scilicet animus simoniacus expresse non manifestetur, sed ex circumstantiis colligatur.**

CAN. **729.**

**Firmis poenis in simoniacos iure statutis, contractus ipse simoniacus et, si simonia committatur circa beneficia, officia, dignitates, subsequens provisio omni vi caret, licet simonia a tertia persona commissa fuerit, etiam inscio proviso, dummodo hoc non fiat in fraudem eiusdem provisi aut eo contradicente. Quare :**

**1.° Ante quamlibet iudicis sententiam res simoniace data et accepta, si restitutionis sit capax nec obstet reverentia rei spirituali debita, restitui debet, et beneficium, officium, dignitas dimitti;**

**2.° Simoniace provisus non facit fructus suos; quod si eos bona fide perceperit, prudentiae iudicis vel Ordinarii permittitur fructus percepì os ex toto vel ex parte eidem condonare.**

CAN. **730.**

**Non habetur simonia, cum temporale datur non pro re spirituali, sed eius occasione ex iusto titulo a sacris canonibus vel a legitima con-**

**suetudine recognito; item cum datur res temporalis pro re temporali, quae tanquam subiectum habeat adnexum aliquid spirituale, ex. gr., calix consecratus, dummodo pretium non augeatur propter adnexam rem spiritualem.**

# PARS PRIMA

# DE SACRAMENTIS

CAN. 731.

§ 1. **Cum omnia Sacramenta Novae Legis, a Christo Domino Nostro instituta, sint praecipua sanctificationis et salutis media, summa in iis opportune riteque administrandis ac suscipiendis diligentia et reverentia adhibenda est.**

§ 2. **Vetitum est Sacramenta Ecclesiae ministrare haereticis aut schismaticis, etiam bona fide errantibus eaque petentibus, nisi prius, erroribus reiectis, Ecclesiae reconciliati fuerint.**

CAN. 732.

§ 1. **Sacramenta baptismi, confirmationis et ordinis, quae characterem imprimunt, iterari nequeunt.**

§ 2. **Si vero prudens dubium exsistat num revera vel num valide collata fuerint, sub conditione iterum conferantur.,**

CAN. 733.

§ 1. **In Sacramentis conficiendis, administrandis ac suscipiendis accurate serventur ritus et caereinoniae quae in libris ritualibus ab Ecclesia probatis praecipiuntur.**

§ 2. **Unusquisque autem ritum suum sequatur, salvo praescripto can.** 851, § 2, 866.

CAN. 734.

§ 1. **Sacra olea quae quibusdam Sacramentis administrandis inserviunt, debent esse ab Episcopo benedicta feria V.m *Coena Domini* pro-, xime superiore; neque adhibeantur vetera, nisi necessitas urgeat.**

§ 2. **Mox deficienti oleo benedicto aliud oleum de olivis non benedictum adiiciatur, etiam iterato, minore tamen copia.**

CAN. 735.

**Parochus olea sacra a suo Ordinario petere debet et in ecclesia in tuta ac decenti custodia sub clavi diligenter asservare; nec ea domi retineat, nisi propter necessitatem aliamve rationabilem causam, accedente Ordinarii licentia.**

CAN. 736.

**Pro administratione Sacramentorum minister nihil quavis de causa vel occasione sive directe sive indirecte exigat aut petat, praeter oblationes de quibus in can.** 1507.

## TITULUS I.

## De baptismo.

CAN. 737.

§ 1. **Baptismus, Sacramentorum ianua ac fundamentum, omnibus in re vel saltem in voto necessarius ad salutem, valide non confertur, nisi per ablutionem aquae verae et naturalis cum praescripta verborum forma.**

§ 2. **Cum ministratur servatis omnibus ritibus et caeremoniis quae in ritualibus libris praecipiuntur, appellatum *sollemnis;* secus, *non sollemnis* seu *privatus.***

### CAPUT I.-

### De *ministro baptismi.*

CAN. 738.

§ 1. **Minister ordinarius baptismi sollemnis est sacerdos; sed eius collatio reservatur parocho vel alii sacerdoti de eiusdem parochi vel Ordinarii loci licentia, quae in casu necessitatis legitime praesumitur.**

§ 2. **Etiam peregrinus a parocho proprio in sua paroecia sollemniter baptizetur, si id facile et sine mora fieri potest; secus peregrinum quilibet parochus in suo territorio potest sollemniter baptizare.**

CAN. 739.

**In alieno territorio nemini licet, sine debita licentia, baptismum sollemnem conferre ne sui quidem loci incolis.**

CAN. 740.

**Ubi paroeciae aut quasi-paroeciae nondum sunt constitutae, statutorum peculiarium et receptarum consuetudinum ratio habenda est, ut constet cuinam sacerdoti, praeter Ordinarium, in universo territorio vel in eius parte ius insit baptizandi.**

CAN. 741.

**Extraordinarius baptismi sollemnis minister est diaconus; qui tamen sua potestate ne utatur sine loci Ordinarii vel parochi licentia, iusta de causa concedenda, quae, ubi necessitas urgeat, legitime praesumitur.**

CAN. 742.

§ 1. **Baptismus non sollemnis, de quo in can.** 759, § 1, **potest a quovis ministrari, servata debita materia, forma et intentione; quatenus vero fieri potest, adhibeantur duo testes vel saltem unus, quibus baptismi collatio probari possit.**

§ 2. **Si tamen adsit sacerdos, diacono praeferatur, diaconus subdiacono, clericus laico et vir feminae, nisi pudoris gratia deceat feminam potius quam virum baptizare, vel nisi femina noverit melius formam et modum baptizandi.**

**§ 3. Patri aut matri suam prolem baptizare non licet, praeterquam in mortis periculo, quando alius praesto non est, qui baptizet.**

CAN. **743.**

**Curet parochus ut fideles, praesertim obstetrices, medici et chirurgi, rectum baptizandi modum pro casu necessitatis probe ediscant.**

CAN. **744.**

**Adultorum baptismus, ubi commode fieri possit, ad loci Ordinarium deferatur, ut, si voluerit, ab eo vel ab eius delegato sollemnius conferatur.**

## CAPUT II.

## *De baptismi subiecto.*

CAN. **745.**

**§ 1. Subiectum capax baptismi est omnis et solus homo viator, nondum baptizatus.**

**§ 2. Cum agitur de baptismo :**

**1.° Parvulorum seu infantium nomine veniunt, ad normam can. 88, § 3, qui nondum rationis usum adepti sunt, eisdemque accensentur amentes ab infantia, in quavis aetate constituti;**

**2.° Adulti autem censentur, qui rationis usu fruuntur; idque satis est ut suo quisque animi motu baptismum petat et ad illum admittatur.**

CAN. **746.**

**§ 1. Nemo in utero matris clausus baptizetur, donec probabilis spes sit ut rite editus baptizari possit.**

**§ 2. Si infans caput emiserit et periculum mortis immineat, baptizetur in capite; nec postea, si vivus evaserit, est iterum sub conditione baptizandus,**

**§ 3. Si aliud membrum emiserit, in illo, si periculum immineat, baptizetur sub conditione; at tunc, si natus vixerit, est rursus sub conditione baptizandus.**

**§ 4. Si mater praegnans mortua fuerit, fetus ab iis ad quos spectat extractus, si certo vivat, baptizetur absolute; si. dubie, sub conditione.**

**§ 5. Fetus, in utero baptizatus, post ortum denuo sub conditione baptizari debet.**

- CAN. **747.**

**Curandum ut omnes fetus abortivi, quovis tempore editi, si certo vivant, baptizentur absolute; si dubie, sub conditione.**

CAN. **748.**

**Monstra et ostenta semper baptizentur saltem sub conditione; in dubio autem unusne an plures sint homines, unus absolute baptizetur, ceteri sub conditione.**

CAN. **749.**

**Infantes expositi et inventi nisi, re diligenter investigata, de eorum baptismo constet, sub conditione baptizentur.**

CAN. **750.**

**§ 1. Infans infidelium, etiam invitis parentibus, licite baptizatur, cum in eo versatur vitae discrimine, ut prudenter praevideatur moriturus, antequam usum rationis attingat.**

**§ 2. Extra mortis periculum, dummodo catholicae eius educationi cautum sit, licite baptizatur :**

**1.° Si parentes vel tutores, aut saltem unus eorum, consentiant;**

**2.° Si parentes, idest pater, mater, avus, avia, vel tutores desint, aut ius in eum amiserint, vel illud exercere nullo pacto queant.**

CAN. **751.**

**Circa baptismum infantium duorum haereticorum aut schismaticorum, aut duorum catholicorum qui in apostasiam vel haeresim vel schisma prolapsi sint, generatim serventur normae in superiore canone constitutae.**

CAN. **752.**

**§ 1. Adultus, nisi sciens et volens probeque instructus, ne baptizetur; insuper admonendus ut de peccatis suis doleat.**

**§ 2. In mortis autem periculo, si nequeat in praecipuis fidei mysteriis diligentius instrui, satis est, ad baptismum conferendum, ut aliquo modo ostendat se eisdem assentire serioque promittat se Christianae religionis mandata servaturum.**

**§ 3. Quod si baptismum ne petere quidem queat, sed vel antea vel in praesenti statu manifestaverit aliquo probabili modo intentionem illum suscipiendi, baptizandus est sub conditione; si deinde convaluerit et dubium de valore baptismi collati permaneat, sub conditione baptismus rursus conferatur.**

CAN. **753.**

**§ 1. Tam sacerdotem qui adultos baptizaturus est, quam ipsos adultos qui sani sint, decet esse ieiunos.**

**§ 2. Msi graves urgentesque causae obsint, adultus baptizatus statim Missae sacrificio assistat et sacram communionem percipiat.**

CAN. **754.**

**§ 1. Amentes et furiosi ne baptizentur, nisi tales a nativitate vel ante adeptum rationis usum fuerint; et tunc baptizandi sunt ut infantes.**

**§ 2. Si autem dilucida habeant intervalla, dum mentis compotes sunt, baptizentur, si velint.**

**§ 3. Baptizentur quoque, imminente periculo mortis, si, antequam insanirent, suscipiendi baptismi desiderium ostenderint.**

**§ 4. Qui lethargo aut phrenesi laborat, vigilans tantum et volens baptizetur; at si periculum mortis impendeat, servetur praescriptum § 3.**

CAPUT III.

## *De ritibus et caeremoniis baptismi.*

CAN. 755.

**§ 1. Baptismus sollemniter conferatur, salvo praescripto can. 759.**

**§ 2. Loci Ordinarius potest gravi et rationabili de causa indulgere ut caeremoniae praescriptae pro baptismo infantium adhibeantur in baptismo adultorum.**

CAN. 756.

**§ 1. Proles ritu parentum baptizari debet.**

**§ 2. Si alter parentum pertineat ad ritum latinum, alter ad orientalem, proles ritu patris baptizetur, nisi aliud iure speciali cautum sit.**

**§ 3. Si unus tantum sit catholicus, proles huius ritu baptizanda est.**

CAN. 757.

**§ 1. In baptismo sollemni adhibenda est aqua ad hoc benedicta.**

**§ 2. Si aqua benedicta in baptisterio adeo sit imminuta, ut minus videatur sufficere, alia non benedicta admisceatur, etiam iterato, minore tamen copia.**

**§ 3. Si vero corrupta fuerit, aut effluxerit, aut quovis modo defecerit, parochus in fontem, bene mundatum ac nitidum, recentem aquam infundat ac proprio ritu in suis liturgicis libris praescripto benedicat.**

CAN. 758.

**Licet baptismus conferri valide possit aut per infusionem, aut per immersionem, aut per aspersionem, primus tamen vel secundus modus, aut mixtus ex utroque, qui magis sit in usu, retineatur, secundum probatos diversarum Ecclesiarum rituales libros.**

CAN. 759.

**§ 1. In mortis periculo baptismum privatim conferre licet; et, si conferatur a ministro qui nec sacerdos sit nec diaconus, ea tantum ponantur, quae sunt ad baptismi validitatem necessaria; si a sacerdote vel diacono, serventur quoque, si tempus adsit, caeremoniae quae baptismum sequuntur.**

**§ 2. Extra mortis periculum baptismum privatum loci Ordinarius permittere nequit, nisi agatur de haereticis qui in adulta aetate sub conditione baptizentur.**

**§ 3. Caeremoniae autem quae in baptismi collatione^praetermissae quavis ratione fuerint, quamprimum in ecclesia suppleantur; nisi in casu de quo in § 2.**

CAN. 760.

**Cum baptismus sub conditione iteratur, caeremoniae, si quidem in priore baptismo omissae fuerunt, suppleantur, salvo praescripto can. 759,**

**§ 3; sin autem in priore baptismo adhibitae sunt, repeti in altero aut omitti possunt.**

CAN. 761.

**Curent parochi ut ei qui baptizatur, christianum imponatur nomen; quod si id consequi non poterunt, nomini a parentibus imposito addant nomen alicuius Sancti et in libro baptizatorum utrumque nomen perscribant.**

## CAPUT IV.

## *De patrinis.*

CAN. 762.

§ 1. **Ex vetustissimo Ecclesiae more nemo sollemniter baptizetur, nisi suum habeat, quatenus fieri possit, patrinum.**

§ 2. **Etiam in baptismo privato patrinus, si facile haberi queat? adhibeatur; si non interfuerit, adhibeatur in supplendis baptismi caeremoniis, sed hoc in casu nullam contrahit spiritualem cognationem.**

CAN. 763.

§ 1. **Cum baptismus iteratur sub conditione, idem patrinus, quatenus fieri possit, adhibeatur, qui in priore baptismo forte adfuit; extra hunc casum in baptismo conditionato patrinus non est necessarius.**

§ 2. **Iterato baptismo sub conditione, neque patrinus qui priori baptismo adfuit,* neque qui posteriori, cognationem spiritualem contrahit, nisi idem patrinus in utroque baptismo adhibitus fuerit.**

CAN. 764.

**Patrinus unus tantum, licet diversi sexus a baptizando, vel ad summum unus et una adhibeantur.**

CAN. 765.

**Ut quis sit patrinus, oportet :**

1.° **Sit baptizatus, rationis usum assecutus et intentionem habeat id munus gerendi;**

2.° **Ad nullam pertineat haereticam aut schismaticam sectam, nec sententia condemnatoria vel declaratoria sit excommunicatus aut infamis infamia iuris aut exclusus ab actibus legitimis, nec sit clericus de*positus vel degradatus;**

3.° **Nec sit pater vel mater vel coniux baptizandi;**

4.° **Ab ipso baptizando eiusve parentibus vel tutoribus aut, his deficientibus, a ministro sit designatus;**

5.° **Baptizandum in actu baptismi per se vel per procuratorem physice teneat aut tangat vel statim levet seu suscipiat de sacro fonte aut de manibus baptizantis.**

CAN. 766.

**Ut autem quis licite patrinus admittatur, oportet :**

1.° **Decimum quartum suae aetatis annum attigerit, nisi aliud iusta de causa ministro videatur;**

2.° **Non sit propter notorium delictum excommunicatus vel exclusus ab actibus legitimis vel infamis infamia iuris, quin tamen sententia intercesserit, nec sit interdictus aut alias publice criminosus vel infamis infamia facti;**

3.° **Fidei rudimenta noverit;**

4.° **In nulla religione sit novitius vel professus, nisi necessitas urgeat et expressa habeatur venia Superioris saltem localis;**

**5.° In sacris ordinibus non sit constitutus, nisi accedat expressa Ordinarii proprii licentia.**

CAN. 767.

**In dubio utrum quis valide vel licite admitti possit, necne, ad patrini munus, parochus, si tempus suppetat, consulat Ordinarium.**

CAN. 768.

**Ex baptismo spiritualem cognationem contrahunt tantum cum baptizato baptizans et patrinus.**

CAN. 769.

**Patrinorum est, ex suscepto munere, spiritualem filium perpetuo sibi commendatum habere, atque in iis quae ad christianae vitae institutionem spectant, curare diligenter ut ille talem in tota vita se praebeat, qualem futurum èsse sollemni caeremonia spoponderunt.**

CAPUT V.

*De tempore et loco baptismi conferendi.*

CAN. 770.

**Infantes quamprimum baptizentur; et parochi ac concionatores frequenter fideles de hac gravi eorum obligatione commoneant.**

CAN. 771.

**Baptismus privatus, urgente necessitate, quovis tempore et loco administrandus est.**

CAN. 772.

**Etiam sollemnis baptismus qualibet die administrari potest; decet tamen adultorum baptismum, secundum antiquissimum Ecclesiae ritum, conferri, si fieri commode queat, in pervigilio Paschatis et Pentecostes, praecipue in metropolitanis aut cathedralibus ecclesiis.**

• CAN. 773.

**Proprius baptismi sollemnis administrandi locus est baptisterium in ecclesia vel oratorio publico.**

CAN. 774.

§ 1. **Quaelibet paroecialis ecclesia, revocato ac reprobato quovis contrario statuto vel privilegio vel consuetudine, baptismalem habeat fontem, salvo legitimo iure cumulativo aliis ecclesiis iam quaesito.**

**§ 2. Loci Ordinarius potest pro fidelium commoditate permittere vel iubere ut fons baptismalis ponatur etiam in alia ecclesia vel publico oratorio intra paroeciae fines.**

CAN. 775.

**Si ad ecclesiam paroecialem, aut ad aliam quae iure fontis gaudeat, baptizandus, propter locorum distantiam aliave adiuncta, sine gravi incommodo aut periculo, accedere aut transferri nequeat, baptismus sollemnis a parocho conferri potest et debet in proxima ecclesia aut oratorio publico intra paroeciae fines, licet haec baptismali fonte careant.**

CAN. 776.

**§ 1. In domibus autem privatis baptismus sollemnis administrari non debet, nisi hisce in adiunctis :**

**1.° Si baptizandi sint filii aut nepotes eorum qui supremum actu tenent populorum principatum vel ius habent succedendi in thronum, quoties isti id rite poposcerint;**

**2.° Si loci Ordinarius, pro suo prudenti arbitrio et conscientia, iusta ac rationabili de causa, in casu aliquo extraordinario id concedendum censuerit.**

**§ 2. In memoratis casibus baptismus conferendus est in sacello domus aut saltem in alio decenti loco, et aqua baptismali de more benedicta.**

## CAPUT VI.

### *De collati baptismi adnotatione et prolatione.*

CAN. 777.

**§ 1. Parochi debent nomina baptizatorum, mentione facta de ministro, parentibus ac patrinis, de loco ac die collati baptismi, in baptismali libro sedulo et sine ulla mora referre.**

**§ 2. Ubi vero de illegitimis filiis agatur, matris nomen est inserendum, si publice eius maternitas constet, vel ipsa sponte sua scripto vel coram duobus testibus id petat; item nomen patris, dummodo ipse sponte sua a parocho vel scripto vel coram duobus testibus id requirat, vel ex publico authentico documento sit* notus; in ceteris casibus inscribatur natus tanquam filius patris ignoti vel ignotorum parentum.**

CAN. 778.

**Si baptismus nec a proprio parocho nec eo praesente administratus fuerit, minister de ipso collato quamprimum proprium ratione domicilii parochum baptizati certiorem reddat.**

CAN. 779.

**Ad collatum baptismum comprobandum, si nemini fiat praeiudicium, satis est unus testis omni exceptione maior, vel ipsius baptizati iusiurandum, si ipse in adulta aetate baptismum receperit.**

## TITULUS II.

## De confirmatione.

CAN. **780.**

**Sacramentum confirmationis conferri debet per manus impositionem cum unctione chrismatis in fronte et per verba in pontificalibus libris ab Ecclesia probatis praescripta.**

CAN. **781.**

**§ 1. Chrisma, in sacramento confirmationis adhibendum, debet esse ab Episcopo consecratum, etiamsi sacramentum a presbytero, ex iure vel ex apostolico indulto, ministretur.**

**§ 2. Unctio autem ne fiat aliquo instrumento, sed ipsa ministri manu capiti confirmandi rite imposita.**

### CAPUT I.

### *De ministro confirmationis.*

' ' . CAN. **782.** "

**§ 1. Ordinarius confirmationis minister est solus Episcopus.**

**§ 2. Extraordinarius minister est presbyter, cui vel iure communi vel peculiari Sedis Apostolicae indulto ea facultas concessa sit.**

**§ 3. Hac facultate ipso iure gaudent, praeter S. R. E. Cardinales ad normam can. 239, § 1, n. 23, Abbas vel Praelatus *nullius,* Vicarius et Praefectus Apostolicus, qui tamen ea valide uti nequeunt, nisi intra fines sui territorii et durante munere tantum.**

**§ 4. Presbyter latini ritus cui, vi indulti, haec facultas competat, confirmationem valide confert solis fidelibus sui ritus, nisi in indulto aliud expresse cautum fuerit.**

**§ 5. Nefas est presbyteris ritus orientalis, qui facultate vel privilegio gaudent confirmationem una cum baptismo.infantibus sui ritus conferendi, eandem ministrare infantibus latini ritus.**

CAN. **783.**

**§ 1. Episcopus in sua dioecesi hoc sacramentum etiam extraneis legitime ministrat, nisi obstet expressa proprii eorum Ordinarii prohibitio.**

**§ 2. In aliena dioecesi indiget licentia Ordinarii loci saltem rationabiliter praesumpta, nisi agatur de propriis subditis quibus confirmationem conferat privatim ac sine baculo et mitra.**

CAN. **784.**

**Presbytero quoque licet, si apostolico locali privilegio sit munitus, in designato sibi territorio confirmare etiam extraneos, nisi id ipsorum Ordinarii expresse vetuerint.**

CAN. 785.

§ 1. **Episcopus obligatione tenetur sacramentum hoc subditis rite et rationabiliter petentibus conferendi, praesertim tempore visitationis dioecesis.**

§ 2. **Eadem obligatione tenetur presbyter, privilegio apostolico donatus, erga illos quorum in favorem est concessa facultas.**

**§ 3. Ordinarius, legitima causa impeditus aut potestate confirmandi carens, debet, quoad fieri possit, saltem intra quodlibet quinquennium providere ut suis subditis hoc sacramentum administretur.**

§ 4. **Si graviter neglexerit sacramentum confirmationis suis subditis per se vel per alium ministrare, servetur praescriptum can.** 274, **n.** 4.

CAPUT **II.**

## *De subiecto confirmationis.*

CAN. 786.

**Aquis baptismi non ablutus valide confirmari nequit; praeterea, ut quis licite et fructuose confirmetur, debet esse in statu gratiae constitutus et, si usu rationis polleat,. sufficienter instructus.**

CAN. 787.

**Quanquam hoc sacramentum non est de necessitate medii ad salutem, nemini tamen licet, oblata occasione, illud negligere; imo parochi curent ut fideles ad illud opportuno tempore accedant.**

CAN. 788.

**Licet sacramenti confirmationis administratio convenienter in Ecclesia Latina differatur ad septimum circiter aetatis annum, nihilominus etiam antea conferri potest, si infans in mortis periculo sit constitutus, vel ministro id expedire ob iustas et graves causas videatur.**

CAN. 789.

**Confirmandi, si plures sint, adsint primae manuum impositioni seu extensioni, nec nisi expleto ritu discedant.**

CAPUT **III.**

## *De tempore et loco confirmationis conferendae.*

CAN. 790.

**Hoc sacramentum quovis tempore conferri potest; maxime autem decet illud administrari in hebdomada Pentecostes.**

CAN. 791.

**Licet proprius confirmationis administrandae locus ecclesia sit, ex causa tamen quam minister iustam ac rationabilem iudicaverit, potest hoc sacramentum in quolibet alio decenti loco conferri.**

CAN. **792.**

**Episcopo ius est intra fines suae dioecesis confirmationem administrandi in locis quoque exemptis.**

CAPUT **IV.**

## *De patrinis.*

CAN. **793.**

**Ex vetustissimo Ecclesiae more, ut in baptismo, ita etiam in confirmatione adhibendus est patrinus, si haberi possit.**

CAN. **794.**

**§ 1. Patrinus unum tantum confirmandum aut duos praesentet, nisi aliud iusta de causa ministro videatur.**

**§ 2. Unus quoque pro singulis confirmandis sit patrinus.**

CAN. **795.**

**Ut quis sit patrinus, oportet :**

**1.° Sit ipse quoque confirmatus, rationis'usum assecutus et intentionem habeat id munus gerendi;**

**2.° Nulli haereticae aut schismaticae sectae sit adscriptus, nec ulla ex poenis de quibus in can. 765, n. 2 per sententiam declaratoriam aut condemnatoriam notatus;**

**3.° Non sit pater, mater, coniux confirmandi;**

**4.° A confirmando eiusve parentibus vel tutoribus vel, hi si desint aut renuant, a ministro vel a parocho sit designatus;**

**5.° Confirmandum in ipso confirmationis actu per se vel per procuratorem physice tangat.**

CAN. **796.**

**Ut quis licite ad patrini munus admittatur, oportet :**

**1.° Sit alius a patrino baptismi, nisi rationabilis causa, iudicio ministri, aliud suadeat, aut statim post baptismum legitime confirmatio conferatur;**

**2.? Sit eiusdem sexus ac confirmandus, nisi aliud ministro in casibus particularibus ex rationabili causa videatur;**

**3.° Serventur praeterea praescripta can. 766.**

CAN. **797.**

**Etiam ex valida confirmatione oritur inter confirmatum et patrinum cognatio spiritualis, ex qua patrinus obligatione tenetur confirmatum perpetuo sibi commendatum habendi eiusque christianam educationem curandi.**

CAPUT V.

*De collatae confirmationis adnotatione et probatione.*

CAN. **798.**

**Nomina ministri, confirmatorum, parentum et patrinorum, diem ac locum confirmationis parochus inscribat in peculiari libro, praeter adnotationem in libro baptizatorum de qua in can. 470, § 2.**

CAN. **799.**

**Si proprius continuati parochus praesens non fuerit, de collata confirmatione minister vel per se ipse vel per alium quamprimum eundem certiorem faciat.**

CAN. **800.**

**Ad collatam confirmationem probandam, modo nemini fiat praeiudicium, satis est unus testis omni exceptione maior, vel ipsius confirmati iusiurandum, nisi confirmatus fuerit in infantili aetate.**

**TITULUS III.**

**De sanctissima Eucharistia.**

CAN. **801.**

**In sanctissima Eucharistia sub speciebus panis et vini ipsemet Christus Dominus continetur, offertur, sumitur.**

CAPUT I.

*De sacrosancto Missae sacrificio.*

ART. **I.** — *De sacerdote Missae sacrificium celebrante.*

CAN. **802.**

**Potestatem offerendi Missae sacrificium habent soli sacerdotes.**

CAN. **803.**

**Non licet pluribus sacerdotibus concelebrare, praeterquam in Missa ordinationis presbyterorum et in Missa consecrationis Episcoporum secundum Pontificale Romanum.**

CAN. **804.**

**§ 1. Sacerdos extraneus ecclesiae in qua celebrare postulat, exhibens authenticas et adhuc validas litteras commendatitias sui Ordinarii, si sit saecularis, vel sui Superioris, si religiosus, vel Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali, si sit ritus orientalis, ad Missae celebrationem admittatur, nisi interim aliquid eum commisisse constet, cur a Missae celebratione repelli debeat.**

**§ 2. Si iis litteris careat, sed rectori ecclesiae de eius probitate apprime constet, poterit admitti; si vero rectori sit ignotus, admitti adhuc potest semel vel bis, dummodo, ecclesiastica veste indutus," nihil ex celebratione ab ecclesia in qua litat, quovis titulo, percipiat, et nomen, officium suamque dioecesim in peculiari libro signet.**

**§ 3. Peculiares hac de re normae, salvis huius canonis praescriptis, ab Ordinario loci datae, servandae sunt ab omnibus, etiam religiosis exemptis, nisi agatur de admittendis ad celebrandum religiosis in ecclesia suae religionis.**

CAN. **805.**

**Sacerdotes omnes obligatione tenentur Sacrum litandi pluries per annum;, curet autem Episcopus vel Superior religiosus ut iidem saltem singulis diebus dominicis aliisque festis de praecepto divinis operentur.**

CAN. **806.**

**§ 1. Excepto die Nativitatis Domini et die Commemorationis omnium fidelium defunctorum, quibus facultas est ter offerendi Eucharisticum Sacrificium, non licet sacerdoti plures in die celebrare Missas, nisi ex apostolico indulto aut potestate facta a loci Ordinario.**

**§ 2. Hanc tamen facultatem impertiri nequit Ordinarius, nisi cum, prudenti ipsius iudicio, propter penuriam sacerdotum die festo de praecepto notabilis fidelium pars Missae adstare non possit; non est autem in eius potestate plures quam duas Missas eidem sacerdoti permittere.**

CAN. **807.**

**Sacerdos sibi conscius peccati mortalis, quantumvis se contritum existimet, sine praemissa sacramentali confessione Missam celebrare ne audeat; quod si, deficiente copia confessarii et urgente necessitate, elicito tamen perfectae contritionis actu, celebraverit, quamprimum confiteatur.**

CAN. **808.**

**Sacerdoti celebrare ne liceat, nisi ieiunio naturali a media nocte servato.**

CAN. **809.**

**Integrum est Missam applicare pro quibusvis tum vivis, tum etiam defunctis purgatorio igne admissa expiantibus, salvo praescripto can. 2262, § 2, n. 2.**

CAN. **810.**

**Sacerdos ne omittat ad Eucharistici Sacrificii oblationem sese piis precibus disponere, eoque expleto, gratias Deo pro tanto beneficio agere.**

CAN. 811.

**§ 1. Sacerdos, Missam celebraturus, deferat vestem convenientem quae ad talos pertingat et sacra ornamenta a rubricis sui ritus praescripta.**

§ 2. **Abstineat autem a pileolo et annulo, nisi sit S. R. E. Cardinalis, Episcopus vel Abbas benedictus, aut nisi apostolicum indultum eorundem usum in Missa celebranda eidem permittat.**

CAN. 812.

**Nulli sacerdoti celebranti, praeter Episcopos aliosque praelatos usu pontificalium fruentes, licet, sola honoris aut sollemnitatis causa, habere presbyterum assistentem.**

CAN. 813.

§ 1. **Sacerdos Missam ne celebret sine ministro qui eidem inserviat et respondeat.**

§ 2. **Minister Missae inserviens ne sit mulier, nisi, deficiente viro, iusta de causa, eaque lege ut mulier ex longinquo respondeat nec ullo pacto ad altare accedat.**

ART. II. — ***De Missae ritibus et caeremoniis.***

CAN. 814.

**Sacrosanctum Missae sacrificium offerri debet ex pane et vino, cui modicissima aqua miscenda est.**

CAN. 815.

**§ 1. Panis debet esse mere triticeus et recenter confectus ita ut nullum sit periculum corruptionis.**

§ 2. **Vinum debet esse naturale de genimine vitis et non corruptum.**

CAN. 816.

**In Missae celebratione sacerdos, secundum proprium ritum, debet panem azymum vel fermentatum adhibere ubicunque sacrum litet.**

CAN. 817.

**Nefas est, urgente etiam extrema necessitate, alteram materiam sine altera, aut etiam utramque, extra Missae celebrationem, consecrare.**

CAN. 8.18.

**Reprobata quavis contraria consuetudine, sacerdos celebrans accurate ac devote servet rubricas suorum ritualium librorum, caveat que ne alias caeremonias aut preces proprio arbitrio adiungat.**

CAN. 819

**Missae sacrificium celebrandum est lingua liturgica sui cuiusque ritus ab Ecclesia probati. ***

ART. III. — ***De tempore et loco Missae celebrandae.***

CAN. 820.

**Missae sacrificium omnibus diebus celebrari potest, exceptis iis qui proprio sacerdotis ritu excluduntur.**

CAN. 821.

**§ 1. Missae celebrandae initium ne fiat citius quam una hora ante auroram vel serius quam una hora post meridiem.**

§ 2. **In nocte Nativitatis Domini inchoari media nocte potest sola Missa conventualis vel paroecialis, non autem alia sine apostolico indulto.**

§ 3. **In omnibus tamen religiosis seu piis domibus oratorium habentibus cum facultate sanctissimam Eucharistiam habitualiter asservandi, nocte Nativitatis Domini, unus sacerdos tres rituales Missas vel, servatis servandis, unam tantum quae adstantibus omnibus ad praecepti quoque satisfactionem valeat, celebrare potest et sacram communionem petentibus ministrare.**

CAN. 822.

**§ 1. Missa celebranda est super altare consecratum et in ecclesia vel oratorio consecrato aut benedicto ad normam iuris.**

§ 2. **Privilegium** ***altaris portatilis*** **vel iure vel indulto Sedis tantum Apostolicae conceditur.**

§ 3. **Hoc privilegium ita intelligendum est, ut secumferat faculia tem ubique celebrandi, honesto tamen ac decenti loco et super petram sacram, non autem in mari.**

§ 4. **Loci Ordinarius aut, si agatur de domo religionis exemptae, Superior maior, licentiam celebrandi extra ecclesiam et oratorium super petram sacram et decenti loco, nunquam autem in cubiculo, concedere potest iusta tantum ac rationabili de causa, in aliquo extraordinario casu et per modum actus.**

CAN. 823.

§ 1. **Non licet Missam celebrare in templo haereticorum vel schismaticorum, etsi olim rite consecrato aut benedicto.**

§ 2. **Deficiente altari proprii ritus, sacerdoti fas est ritu proprio celebrare in altari consecrato alius ritus catholici, non autem super Graecorum** ***antimensiis.***

§ 3. **In altaribus papalibus nemo celebret sine apostolico indulto.**

ART. IV. — ***De Missarum eleemosynis seu stipendiis.***

CAN. 824.

**§ 1. Secundum receptum et probatum Ecclesiae morem atque institutum, sacerdoti cuilibet Missam celebranti et applicanti licet eleemosynam seu stipendium recipere.**

§ 2. **Quoties autem pluries in die celebrat, si unam Missam ex titulo iustitiae applicet, sacerdos, praeterquam in die Nativitatis Domini, pro alia eleemosynam recipere nequit, excepta aliqua retributione ex titulo extrinseco.**

CAN. 825.

**Nunquam licet :**

1.° **Missam applicare ad intentionem illius qui applicationem, oblata eleemosyna, petiturus est, sed nondum petiit, et eleemosynam postea datam retinere pro Missa antea applicata;**

2.° **Eleemosynam recipere pro Missa quae alio titulo debetur et applicatur;**

3.° **Duplicem eleemosynam pro eiusdem Missae applicatione accipere;**

**4.° Alteram recipere eleemosynam pro sola celebratione, alteram pro applicatione eiusdem Missae, nisi certo constet unam stipem oblatam esse pro celebratione sine applicatione.**

CAN. 826.

§ 1. **Stipendia quae a fidelibus pro Missis offeruntur sive ex propria devotione, veluti ad manum, sive ex obligatione etiam perpetua a testatore propriis heredibus facta, *manualia* dicuntur.**

§ 2. ***Ad instar manualium* vocantur stipendia Missarum fundatarum, quae applicari non possunt in proprio loco, aut ab iis qui eas applir care deberent secundum tabulas fundationis, et ideo de iure aut Sanctae Sedis indulto aliis sacerdotibus tradendae sunt ut iisdem satisfiat.**

§ 3. **Alia stipendia quae ex fundationum reditibus percipiuntur, appellantur *fundata* seu *Missae fundatae.***

CAN. 827.

**A stipe Missarum quaelibet etiam species negotiationis vel mercaturae omnino arceatur.**

CAN. 828.

**Tot celebrandae et applicandae sunt Missae, quot stipendia etiam exigua data et accepta fuerint.**

CAN. 829.

**Licet sine culpa illius qui onere celebrandi gravatur, Missarum eleemosynae iam perceptae perierint, obligatio non cessat.**

CAN. 830.

**Si quis pecuniae summam obtulerit pro Missarum applicatione, non indicans earundem numerum, hic,supputetur secundum eleemosynam loci in quo oblator morabatur, nisi aliam fuisse eius intentionem legitime praesumi debeat.**

CAN. 831.

§ 1. **Ordinarii loci est manualem Missarum stipem in sua dioecesi definire per decretum, quantum fieri potest, in dioecesana Synodo latum; nec sacerdoti licet ea maiorem exigere.**

§ 2. **Ubi desit Ordinarii decretum, servetur consuetudo dioecesis.**

**§ 3. Etiam religiosi, licet exempti, circa stipem manualem stare debent decreto Ordinarii loci aut dioecesis consuetudini.**

CAN. **832.**

**Sacerdoti fas est oblatam ultro maiorem stipem pro Missae applicatione accipere; et, nisi loci Ordinarius prohibuerit, etiam minorem.**

CAN. **833.**

**Praesumitur oblatorem petiisse solam Missae applicationem; si tamen oblator expresse aliquas circumstantias in Missae celebratione servandas determinaverit, sacerdos, eleemosynam acceptans, eius voluntati stare debet.**

CAN. **834.**

**§ 1. Missae pro quibus celebrandis tempus ab oblatore expresse praescriptum est, eo omnino tempore sunt celebrandae.**

**§ 2. Si oblator nullum tempus pro Missarum manualium celebratione expresse praescripserit :**

**1.° Missae pro urgenti causa oblatae quamprimum tempore utili sunt celebrandae;**

**2.° Iii aliis casibus Missae sunt celebrandae intra modicum tempus pro maiore vel minore Missarum numero.**

**§ 3. Quod si oblator arbitrio sacerdotis tempus celebrationis expresse reliquerit, sacerdos poterit tempore quo sibi magis placuerit, eas celebrare, firmo praescripto can. 835. <**

CAN. **835.**

**Nemini licet tot Missarum onera per se celebrandarum recipere quibus intra annum satisfacere nequeat.**

CAN. **836.**

**In ecclesiis in quibus ob fidelium peculiarem devotionem Missarum eleemosynae ita affluunt, ut omnes Missae celebrari ibidem debito tempore nequeant, moneantur fideles, per tabellam in loco patenti et obvio positam, Missas oblatas celebratum iri vel ibidem, cum commode poterit, vel alibi.**

CAN. **837.**

**Qui Missas per alios celebrandas habet, eas quamprimum distribuat, firmo praescripto can. 841; sed tempus legitimum pro earundem celebratione incipit a die quo sacerdos celebraturus easdem receperit, nisi aliud constet.**

CAN. **838.**

**Qui habent Missarum numerum de quibus sibi liceat libere disponere, possunt eas tribuere sacerdotibus sibi acceptis, dummodo probe sibi constet eos esse omni exceptione maiores vel testimonio proprii Ordinarii commendatos.**

CAN. 839.

**Qui Missas a fidelibus receptas aut quoquo modo suae fidei commissas aliis celebrandas tradiderint, obligatione tenentur usque dum acceptatae ab eisdem obligationis et recepti stipendii testimonium obtinuerint.**

CAN. 840.

§ 1. **Qui Missarum stipes manuales ad alios transmittit, debet acceptas integre transmittere, nisi aut oblator expresse permittat aliquid retinere, aut certo constet excessum supra taxam dioecesanam datum fuisse intuitu personae.**

§ 2. **In Missis ad instar manualium, nisi obstet mens fundatoris, legitime retinetur excessus et satis est remittere solam eleemosynam manualem dioecesis in qua-Missa celebratur, si pinguis eleemosyna locum pro parte teneat dotis beneficii aut causae piae.**

CAN. 841.

§ 1. **Omnes et singuli administratores causarum piarum aut quoquo modo ad Missarum onera implenda obligati, sive ecclesiastici sive laici, sub exitum cuiuslibet anni, Missarum onera quibus nondum fuerit satisfactum, suis Ordinariis tradant secundum modum ab his definiendum.**

§ 2. **Hoc autem tempus ita est accipiendum ut in Missis ad instar manualium obligatio eas deponendi decurrat a fine illius anni intra quem onera impleri debuissent; in manualibus vero, post annum a die suscepti oneris, salva diversa offerentium voluntate.**

CAN. 842.

**Ius et officium advigilandi ut onera Missarum adimpleantur, in ecclesiis saecularium pertinet ad loci Ordinarium; in religiosorum ecclesiis, ad eorum Superiores.**

CAN. 843.

§ 1. **Rectores ecclesiarum aliorumque piorum locorum sive saecularium sive religiosorum in quibus eleemosynae Missarum recipi solent, peculiarem habeant librum in quo accurate notent Missarum receptarum numerum, intentionem, eleemosynam, celebrationem.**

§ 2. **Ordinarii tenentur obligatione singulis saltem annis huiusmodi libros sive per se ipsi sive per alios recognoscendi.**

CAN. 844.

§ 1. **Ordinarii quoque locorum et Superiores religiosi qui propriis subditis aliisve Missas celebrandas committunt, quas acceperint Missas cum suis eleemosynis cito in librum per ordinem referant curentque pro viribus ut quamprimum celebrentur.**

§ 2. **Imo omnes sacerdotes sive saeculares sive religiosi debent accurate adnotare quas quisque Missarum intentiones receperit, quibusve satisfecerit. .**

CAPUT II.

## *De sanctissimo Eucharistiae sacramento.*

### ART. I. — *De ministro sacrae communionis.*

CAN. 845.

§ 1. **Minister ordinarius sacrae communionis est solus sacerdos.**

**§ 2. Extraordinarius est diaconus, de Ordinarii loci vel parochi licentia, gravi de causa concedenda, quae in casu necessitatis legitime praesumitur.**

CAN. 846.

§ 1. **Quilibet sacerdos intra Missam et, si privatim celebrat, etiam proxime ante et statim post, sacram communionem ministrare potest,, salvo praescripto can.** 869.

**§ 2. Etiam extra Missam quilibet sacerdos eadem facultate pollet ex licentia saltem praesumpta rectoris ecclesiae, si sit extraneus.**

CAN. 847.

**Ad infirmos publice sacra communio deferatur, nisi iusta et rationabilis causa aliud suadeat.**

CAN. 848.

§ 1. **Ius et officium sacram communionem publice ad infirmos etiam non paroecianos extra ecclesiam deferendi, pertinet ad parochum intra suum territorium.** *

**§ 2. Ceteri sacerdotes id possunt in casu tantum necessitatis aut de licentia saltem praesumpta eiusdem parochi vel Ordinarii.**

CAN. 849.

§ 1. **Communionem privatim ad infirmos quilibet sacerdos deferre potest, de venia saltem praesumpta sacerdotis, cui custodia sanctissimi Sacramenti commissa est.**

**§ 2. Quando privatim sacra communio infirmis ministratur, reverentiae ac decentiae tanto sacramento debitae sedulo consulatur, servatis a Sede Apostolica praescriptis normis.**

CAN. 850.

**Sacram communionem per modum Viatici sive publice sive privatim ad infirmos deferre, pertinet ad parochum ad normam can.** 848, **salvo praescripto can.** 397, **n.** 3 **et can.** 514.

CAN. 851.

§ 1. **Sacerdos sacram communionem distribuat azymo pane vel fermentato, secundum proprium ritum.**

**§ 2. Ubi vero necessitas urgeat nec sacerdos diversi ritus adsit, licet sacerdoti orientali qui fermentato utitur, ministrare Eucharistiam in**

**azymo, vicissim latino aut orientali qui utitur azymo, ministrare in fermentato; at suum quisque ritum ministrandi servare debet.**

CAN. **852.**

**Sanctissima Eucharistia sub sola specie panis praebeatur.**

ART. **II. —** ***De subiecto sacrae communionis.***

CAN. **853.**

**Quilibet baptizatus qui iure non prohibetur, admitti potest et debet ad sacram communionem.**

CAN. **854.**

**§ 1. Pueris, qui propter aetatis imbecillitatem nondum huius sacramenti cognitionem et gustum habent, Eucharistia ne ministretur.**

**§ 2. In periculo mortis, ut sanctissima Eucharistia pueris ministrari possit ac debeat, satis est ut sciant Corpus Christi a communi cibo discernere illudque reverenter adorare.**

**§ 3. Extra mortis periculum plenior cognitio doctrinae christianae et accuratior praeparatio merito exigitur, ea scilicet, qua ipsi fidei saltem mysteria necessaria necessitate medii ad salutem pro suo captu percipiant, et devote pro suae aetatis modulo ad sanctissimam Eucharistiam accedant.**

**§ 4. De sufficienti puerorum dispositione ad primam communionem iudicium esto sacerdoti a confessionibus eorumque parentibus aut iis qui loco parentum sunt.**

**§ 5. Parocho autem est officium advigilandi, etiam per examen, si opportunum prudenter iudicaverit, ne pueri ad sacram Synaxim accedant ante adeptum usum rationis vel sine sufficienti dispositione; itemque curandi ut usum rationis assecuti et sufficienter dispositi quamprimum hoc divino cibo reficiantur.**

CAN. **855.**

**§ 1. Arcendi sunt ab Eucharistia publice indigni, quales sunt excommunicati, interdicti manifestoque infames, nisi de eorum poenitentia et emendatione constet et publico scandalo prius satisfecerint.**

**§ 2. Occultos vero peccatores, si occulte petant et eos non emendatos- agnoverit, minister repellat; non autem, si publice petant et sine scandalo* ipsos praeterire nequeat.**

CAN. **856.**

**Nemo quem conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritum existimet, sine praemissa sacramentali confessione ad sacram communionem accedat; quod si urgeat necessitas ac copia confessarii illi desit, actum perfectae contritionis prius eliciat.**

CAN. **857.**

**Nemini liceat sanctissimam Eucharistiam recipere , qui eam eadem, die iam receperit, nisi in casibus de quibus in can. 858, § 1.**

CAN. 858.

**§ 1. Qui a media nocte ieiunium naturale non servaverit, nequit ad sanctissimam Eucharistiam admitti, nisi mortis urgeat periculum, aut necessitas impediendi irreverentiam in sacramentum.**

**§ 2. Infirmi tamen qui iam a mense decumbunt sine certa spe ut cito convalescant, de prudenti confessarii consilio sanctissimam Eucharistiam sumere possunt semel aut bis in hebdomada, etsi aliquam medicinam vel aliquid per modum potus antea sumpserint.**

CAN. 859.

**§ 1. Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis, idest ad rationis usum, pervenerit, debet semel in anno, saltem in Paschate, Eucharistiae sacramentum recipere, nisi forte de consilio proprii sacerdotis, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus ab eius perceptione duxerit abstinendum.**

**§ 2. Paschalis communio fiat a dominica Palmarum ad dominicam in albis; sed locorum Ordinariis fas est, si ita personarum ac locorum adiuncta exigant, hoc tempus etiam pro omnibus suis fidelibus anticipare, non tamen ante quartam diem dominicam Quadragesimae, vel pro* rogare, non tamen ultra festum sanctissimae Trinitatis.**

**§ 3. Suadendum fidelibus ut huic praecepto satisfaciant in sua quisque paroecia; et qui in aliena paroecia satisfecerint, curent proprium parochum de adimpleto praecepto certiorem facere.**

**§ 4. Praeceptum paschalis communionis adhuc urget, si quis illud praescripto tempore, quavis de causa, non impleverit.**

CAN. 860.

**Obligatio praecepti communionis sumendae, quae impuberes gravat, in eos quoque ac praecipue recidit, qui ipsorum curam habere debent, idest in parentes, tutores, confessarium, institutores et parochum.**

CAN. 861.

**Praecepto communionis recipiendae non satisfit per sacrilegam communionem.**

CAN. 862.

**Expedit ut feria V maioris hebdomadae omnes clerici, etiam sacerdotes qui ea die a Sacro litando abstinent, sanctissimo Christi Corpore in Missa sollemni seu conventuali reficiantur.**

CAN. 863.

**Excitentur fideles ut frequenter, etiam quotidie, pane Eucharistico reficiantur ad normas in decretis Apostolicae Sedis traditas; utque Missae adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam sanctissimae Eucharistiae perceptione, rite dispositi, communicent.**

CAN. 864.

**§ 1. In periculo mortis, quavis ex causa procedat, fideles sacrae communionis recipiendae praecepto tenentur.**

§ 2. Etiamsi eadem die sacra communione fuerint refecti, valde tamen suadendum, ut in vitae discrimen adducti denuo communicent.

§ 3. Perdurante mortis periculo, sanctum Viaticum, secundum prudens confessarii consilium, pluries, distinctis diebus, administrari et licet et decet.

CAN. **865.**

Sanctum Viaticum infirmis ne nimium differatur; et qui animarum curam gerunt, sedulo advigilent ut eo infirmi plene sui compotes reficiantur.

CAN. **866.**

§ 1. Omnibus fidelibus cuiusvis ritus datur facultas ut, pietatis causa, sacramentum Eucharisticum quolibet ritu confectum suscipiant.

§ 2. Suadendum tamen ut suo quisque ritu fideles praecepto communionis paschalis satisfaciant.

§ 3. Sanctum Viaticum moribundis ritu proprio accipiendum est; sed, urgente necessitate, fas esto quolibet ritu illud accipere.

ART. III. — *De tempore et loco quo sacra communio distribui potest.*

CAN. **867.**

§ 1. Omnibus diebus licet sanctissimam Eucharistiam distribuere.

§ 2. Feria tamen VI maioris hebdomadae solum licet sacrum Viaticum ad infirmos deferre.

§ 3. In Sabbato Sancto sacra communio nequit fidelibus ministrari nisi inter Missarum sollemnia vel continuo ac statim ab iis expletis.

§ 4. Sacra communio iis tantum horis distribuatur, quibus Missae sacrificium offerri potest, nisi aliud rationabilis causa suadeat.

§ 5. Sacrum tamen Viaticum quacunque diei aut noctis hora ministrari potest.

CAN. **868.**

Sacerdoti celebranti non licet Eucharistiam intra Missam distribuere fidelibus adeo distantibus ut ipse altare e conspectu amittat.

CAN. **869.**

Sacra communio distribui potest ubicunque Missam celebrare licet, etiam in oratorio privato, nisi loci Ordinarius, iustis de causis, in casibus particularibus id prohibuerit.

## TITULUS IV.

## De poenitentia.

CAN. **870.**

In poenitentiae sacramento, per iudicialem absolutionem a legitimo ministro impertitam, fideli rite disposito remittuntur peccata post baptismum commissa.

CAPUT I.

### *De ministro sacramenti poenitentiae.*

CAN. 871.

**Minister huius sacramenti est solus sacerdos.**

CAN. 872.

**Praeter potestatem ordinis, ad validam peccatorum absolutionem requiritur in ministro potestas iurisdictionis, sive ordinaria sive delegata, in poenitentem.**

CAN. 873.

§ 1. **Ordinaria iurisdictione ad confessiones excipiendas pro universa Ecclesia, praeter Romanum Pontificem, potiuntur S. R. E. Cardinales; pro suo quisque territorio Ordinarius loci, et parochus aliique qui loco parochi sunt.**

§ 2. **Hac eadem iurisdictione gaudent etiam canonicus poenitentiarius ecclesiae quoque collegiatae, ad normam can.** 401, § 1, **et Superiores religiosi exempti pro suis subditis, ad normam constitutionum.**

§ 3. **Haec iurisdictio cessat amissione officii, ad normam can.** 183, § 1, **et, post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam, excommunicatione, suspensione ab officio, interdicto.**

CAN. 874.

§ 1. **Iurisdictionem delegatam ad recipiendas confessiones quorumlibet sive saecularium sive religiosorum confert sacerdotibus tum saecularibus tum religiosis etiam exemptis Ordinarius loci in quo confessiones excipiuntur; sacerdotes autem religiosi eadem ne utantur sine licentia saltem praesumpta sui Superioris, firmo tamen praescripto can.** 519.

§ 2. **Locorum Ordinarii iurisdictionem ad audiendas confessiones habitualiter ne concedant religiosis qui a proprio Superiore non praesentantur; iis vero qui a proprio Superiore praesentantur, sine gravi causa eam ne denegent, firmo tamen praescripto can.** 877.

CAN. 875.

§ 1. **In religione clericali exempta ad recipiendas confessiones professorum, novitiorum aliorumve de quibus in can.** 514, § 1, **iurisdictionem delegatam confert quoque proprius eorundem Superior, ad normam constitutionum; cui fas est eam concedere etiam sacerdotibus e clero saeculari aut alius religionis.**

§ 2. **In religione laicali exempta, Superior proponit confessarium, qui tamen iurisdictionem obtinere debet ab Ordinario loci, in quo religiosa domus reperitur.**

CAN. 876.

§ 1. **Revocata qualibet contraria particulari lege seu privilegio, sa^ cerdotes tum saeculares tum religiosi, cuiusvis gradus aut officii, ad con-**

**fessiones quarumcunque religiosarum ac novitiarum valide et licite recipiendas peculiari iurisdictione indigent, salvo praescripto can.** 239, § 1, **n.** 1, 522, 523.

§ 2. **Hanc iurisdictionem confert loci Ordinarius, ubi religiosarum domus sita est, ad normam can.** 525.

CAN. 877.

§ 1. **Tum locorum Ordinarii iurisdictionem, tum Superiores religiosi iurisdictionem aut licentiam audiendarum confessionum ne concedant, nisi iis qui idonei per examen reperti fuerint, nisi agatur de sacerdote cuius theologicam doctrinam aliunde compertam habeant.**

§ 2. **Si post concessam iurisdictionem aut licentiam prudenter dubitent num probatus a se antea sacerdos pergat adhuc idoneus esse, eum ad novum doctrinae periculum adigant, etsi agatur de parocho aut canonico poenitentiario.**

CAN. 878.

§ 1. **Iurisdictio delegata aut licentia audiendarum confessionum concedi potest certis quibusdam circumscripta finibus.**

§ 2. **Caveant tamen locorum Ordinarii ac religiosi Superiores ne iurisdictionem aut licentiam sine rationabili causa nimis coarctent.**

CAN. 879.

§ 1. **Ad confessiones valide audiendas opus est iurisdictione scripto vel verbis expresse concessa.**

§ 2. **Pro concessione iurisdictionis nihil exigi potest.**

CAN. 880.

§ 1. **Loci Ordinarius vel Superior religiosus iurisdictionem vel licentiam ad audiendas confessiones ne revocent aut suspendant, nisi gravem ob causam.**

§ 2. **At graves ob causas Ordinarius potest etiam parocho aut poenitentiario confessarii munus interdicere, salvo recursu in devolutivo ad Sedem Apostolicam.**

§ 3. **Non tamen licet Episcopo, inconsulta Sede Apostolica, si de domo formata agatur, omnibus alicuius religiosae domus confessariis una simul iurisdictionem adimere.**

CAN. 881.

§ 1. **Omnes utriusque cleri sacerdotes ad audiendas confessiones approbati in aliquo loco, sive ordinaria sive delegata iurisdictione instructi, possunt etiam vagos ac peregrinos ex alia dioecesi vel paroecia ad sese accedentes, itemque catholicos cuiusque ritus orientalis, valide et licite absolvere.**

§ 2. **Qui ordinariam habent absolvendi potestatem, possunt subditos absolvere ubique terrarum.**

CAN. 882.

**In periculo mortis omnes sacerdotes, licet ad confessiones non approbati, valide et licite absolvunt quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis**

**aut censuris, quantumvis reservatis et notoriis^ etiamsi praesens sit sacerdos approbatus, salvo praescripto can. 884, 2252.**

CAN. **883.**

**§ 1. Sacerdotes omnes maritimum iter arripientes, dummodo vel a proprio Ordinario, vel ab Ordinario portus in quo navim conscendunt, vel etiam ab Ordinario cuiusvis portus interiecti per quem in itinere transeunt, facultatem rite acceperint confessiones audiendi, possunt, toto itinere,* quorumlibet fidelium secum navigantium confessiones in navi excipere, quamvis navis in itinere transeat vel etiam aliquandiu consistat variis in locis diversorum Ordinariorum iurisdictioni subiectis.**

**§ 2. Quoties vero navis in itinere consistat, possunt confessiones excipere tum fidelium qui quavis de causa ad navim accedant, tum eorum qui ipsis ad terram obiter appellentibus confiteri petant eosque valide ac licite absolvere etiam a casibus Ordinario loci reservatis.**

CAN. **884.**

**Absolutio complicis in peccato turpi invalida est, praeterquam in mortis periculo; et etiam in periculo mortis, extra casum necessitatis, est ex parte confessarii illicita ad normam constitutionum apostolicarum et nominatim constitutionis Benedicti XIV *Sacramentum Poenitentiae,* 1 Iun. 1741.**

CAN. **885.**

**Etsi preces, ab Ecclesia formulae absolutoriae adiunctae, ad ipsam absolutionem obtinendam non sint necessariae, nihilominus, nisi iusta de causa, ne omittantur ;**

CAN. **886.**

**Si confessarius dubitare nequeat de poenitentis dispositionibus et hic absolutionem petat, absolutio nec deneganda, nec differenda est.**

CAN. **887.**

**Pro qualitate et numero peccatorum et conditione poenitentis salutares et convenientes satisfactiones confessarius iniungat; quas poenitens volenti animo excipere atque ipse per se debet implere.**

CAN. **888.**

**§ 1. Meminerit sacerdos in audiendis confessionibus se iudicis pariter et medici personam sustinere ac divinae iustitiae simul et misericordiae ministrum a Deo constitutum esse ut honori divino et animarum saluti consulat.**

**§ 2. Caveat omnino ne complicis nomen inquirat, ne curiosis aut inutilibus quaestionibus, maxime circa sextum Decalogi praeceptum, quemquam detineat, et praesertim ne iuniores de iis quae ignorant im^ prudenter interroget.**

CAN. **889.**

**§ 1. Sacramentale sigillum inviolabile est; quare caveat diligenter confessarius ne verbo aut signo aut alio quovis modo et quavis de causa prodat aliquatenus peccatorem.**

**§ 2. Obligatione servandi sacramentale sigillum tenentur quoque interpres aliique omnes ad quos notitia confessionis quoquo modo pervenerit.**

CAN. **890.**

**§ 1. Omnino prohibitus est confessario usus scientiae ex confessione acquisitae cum gravamine poenitentis, excluso etiam quovis revelationis periculo.**

**§ 2. Tam Superiores pro tempore exsistentes, quam confessarii qui postea Superiores fuerint renuntiati, notitia quam de peccatis in confessione habuerint, ad exteriorem gubernationem nullo modo uti possunt.**

CAN. **891.**

**Magister novitiorum eiusque socius, Superior Seminarii collegiive sacramentales confessiones suorum alumnorum secum in eadem domo commorantium ne audiant, nisi alumni ex gravi et urgenti causa in casibus particularibus sponte id petant.**

CAN. **892.**

**§ 1. Parochi aliique quibus cura animarum vi muneris est demandata, gravi iustitiae obligatione tenentur audiendi sive per se sive per alium confessiones fidelium sibi commissorum, quoties ii audiri rationabiliter petant.**

**§ 2. Urgente necessitate, omnes confessarii obligatione tenentur ex caritate confessiones fidelium audiendi, et in mortis periculo omnes sacerdotes.**

## CAPUT **II.**

### *De reservatione peccatorum.*

CAN. **893.**

**§ 1. Qui ordinario iure possunt audiendi confessiones potestatem concedere aut ferre censuras, possunt quoque, excepto Vicario Capitulari et Vicario Generali sine mandato speciali, nonnullos casus ad suum avocare iudicium, inferioribus absolvendi potestatem limitantes.**

**§ 2. Haec avocatio dicitur** ***reservatio*** **casuum.**

**§ 3. Quod attinet ad reservationem censurarum, servetur praescriptum can. 2246, 2247.**

CAN. **894.**

**Unicum peccatum ratione sui reservatum Sanctae Sedi est falsa delatio, qua sacerdos innocens accusatur de crimine sollicitationis apud iudices ecclesiasticos.**

CAN. 895.

**Locorum Ordinarii peccata ne reservent, nisi, re in Synodo dioecesana discussa, vel extra Synodum auditis Capitulo cathedrali et aliquot ex prudentioribus ac probatioribus suae dioecesis animarum curatoribus, vera reservationis necessitas aut utilitas comprobata fuerit.**

CAN. 896.

**Inter Superiores religionis clericalis exemptae unus Superior generalis, et in monasteriis sui iuris Abbas, cum proprio cuiusque Consilio, peccata, ut supra, subditorum reservare possunt, firmo praescripto can.** 518, 519.

CAN. 897.

**Casus reservandi sint pauci omnino, tres scilicet vel, ad summum, quatuor ex gravioribus tantum et atrocioribus criminibus externis specifice determinatis; ipsa vero reservatio ne ultra in vigore maneat, quam necesse sit ad publicum aliquod inolitum vitium exstirpandum et collapsam forte christianam disciplinam instaurandam.**

CAN. 898.

**Prorsus ab iis peccatis sibi reservandis omnes abstineant quae iam sint Sedi Apostolicae etiam ratione censurae reservata, et regulariter ab iis quoque quibus censura, etsi nemini reservata, a iure imposita sit.**

CAN. 899.

§ 1. **Statutis semel reservationibus quas vere necessarias aut utiles iudicaverint, curent locorum Ordinarii ut ad subditorum notitiam, quo meliore eis videatur modo, eaedem deducantur, nec facultatem a reservatis absolvendi cuivis et passim impertiant.**

§ 2. **At huiusmodi absolvendi facultas ipso iure competit canonico poenitentiario ad normam can.** 401, § 1, **et habitualiter impertiatur saltem vicariis foraneis, addita, praesertim in locis dioecesis a sede episcopali remotioribus, facultate subdelegandi toties quoties confessarios sui districtus, si et quando pro urgentiore aliquo determinato casu ad eos recurrant.**

**§ 3. Ipso iure* a casibus, quos quoquo modo sibi Ordinarii reservaverit, absolvere possunt tum parochi, aliive qui parochorum nomine in iure censentur, toto tempore ad praeceptum paschale adimplendum utili, tum singuli missionarii quo tempore missiones ad populum haberi contingat.**

CAN. 900.

**Quaevis reservatio omni vi caret :**

1.° **Cum confessionem peragunt sive aegroti qui domo egredi non valent, sive sponsi matrimonii ineundi causa;**

2.° **Quoties vel legitimus Superior petitam pro aliquo determinato casu absolvendi facultatem denegaverit, vel, prudenti confessarii iudi-**

**cio, absolvendi facultas a legitimo Superiore peti nequeat sine gravi poenitentis incommodo aut sine periculo violationis sigilli sacramentalis;**

**3.° Extra territorium reservantis, etiamsi dumtaxat ad absolutionem obtinendam poenitens ex eo discesserit.**

## CAPUT III.

## *De subiecto sacramenti poenitentiae.*

### CAN. 901.

**Qui post baptismum mortalia perpetravit, quae nondum per claves Ecclesiae directe remissa sunt, debet omnia quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habeat, confiteri et circumstantias in confessione explicare, quae speciem peccati mutent.**

### CAN. 902.

**Peccata post baptismum commissa, sive mortalia directe potestate clavium iam remissa, sive venialia, sunt materia sufficiens, sed non necessaria, sacramenti poenitentiae.**

### CAN. 903.

**Qui aliter confiteri non possunt, non prohibentur, si velint, per interpretem confiteri, praecavendo abusus et scandala, firmo praescripto can. 889, § 2.**

### CAN. 904.

**Ad normam constitutionum apostolicarum et nominatim constitutionis Benedicti XIV *Sacramentum Poenitentiae,* 1 Iun. 1741, debet poenitens sacerdotem, reum delicti sollicitationis in confessione, intra mensem denuntiare loci Ordinario, vel Sacrae Congregationi S. Officii; et confessarius debet, graviter onerata eius conscientia, de hoc onere poenitentem monere.**

### CAN. 905.

**Cuivis fideli integrum est confessario legitime approbato etiam alius ritus, cui maluerit, peccata sua confiteri.**

### CAN. 906.

**Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis, idest ad usum rationis, pervenerit, tenetur omnia peccata sua saltem semel in anno fideliter confiteri.**

### CAN. 907.

**Praecepto confitendi peccata non satisfacit, qui confessionem facit sacrilegam vel voluntarie nullam.**

## CAPUT IV.

### *De loco ad confessiones excipiendas.*

CAN. 908.

**Sacramentalis confessionis proprius locus est ecclesia vel oratorium publicum aut semi-publicum.**

CAN. 909.

§ 1. **Sedes confessionalis ad audiendas mulierum confessiones semper collocetur in loco patenti et conspicuo, et generatim in ecclesia vel oratorio publico aut semi-publico mulieribus destinato.**

§ 2. **Sedes confessionalis crate fixa ac tenuiter perforata inter poenitentem et confessarium sit instructa.**

CAN. 910.

§ 1. **Feminarum confessiones extra sedem confessionalem ne audiantur, nisi ex causa infirmitatis aliave verae necessitatis et adhibitis cautelis quas Ordinarius loci opportunas iudicaverit.**

§ 2. **Confessiones virorum etiam in aedibus privatis excipere licet.**

## CAPUT V.

### *De indulgentiis.*

ART. I. — *De indulgentiarum concessione.*

CAN. 911.

**Omnes magni faciant indulgentias seu remissionem coram Deo poenae temporalis debitae pro peccatis, ad culpam quod attinet iam deletis, quam ecclesiastica auctoritas ex thesauro Ecclesiae concedit pro vivis per modum absolutionis, pro defunctis per modum suffragii.**

CAN. 912.

**Praeter Romanum Pontificem, cui totius spiritualis Ecclesiae thesauri a Christo Domino commissa est dispensatio, ii tantum possunt potestate ordinaria indulgentias elargiri, quibus id expresse a iure concessum est.**

CAN. 913.

**Inferiores Romano Pontifice nequeunt :**

1.° **Facultatem concedendi indulgentias aliis committere) nisi id eis a Sede Apostolica expresse fuerit indultum;**

2.° **Indulgentias concedere defunctis applicabiles;**

3.° **Eidem rei seu actui pietatis vel sodalitio, cui iam a Sede Apostolica vel ab alio indulgentiae concessae sint, alias adiungere, nisi novae conditiones adimplendae praescribantur.**

CAN. 9.14.

**Benedictionem papalem cum indulgentia plenaria, secundum praescriptam formulam, impertiri possunt Episcopi in sua quisque dioecesi bis in anno, hoc est die sollemni Paschatis Resurrectionis et alio die festo sollemni ab ipsis designando, etiamsi iidem Missae sollemni adstiterint tantum; Abbates autem vel Praelati *nullius.* Vicarii et Praefecti Apostolici, etsi episcopali dignitate careant, id possunt in suis territoriis uno tantum ex sollemnioribus per annum diebus.**

CAN. 915.

**Regulares, qui privilegium habent impertiendi benedictionem papalem, non solum obligatione tenentur servandi formulam praescriptam, sed hoc privilegio uti nequeunt, nisi in suis ecclesiis et in ecclesiis monialium vel tertiariorum suo Ordini legitime aggregatorum; non autem eodem die et loco quo Episcopus eam impertiat.**

CAN. 916.

**Episcopi, Abbates vel Praelati *nullius.* Vicarii ac Praefecti Apostolici et Superiores maiores religionis clericalis exemptae, possunt designare et declarare unum altare privilegiatum quotidianum perpetuum, dummodo aliud non habeatur, in suis ecclesiis cathedralibus, abbatialibus, collegiatis, conventualibus, paroecialibus, quasi-paroecialibus, non autem in oratoriis publicis vel semi-publicis, nisi sint ecclesiae paroeciali unita seu eiusdem subsidiaria.**

' CAN. 917.

**§ 1. Die Commemorationis omnium fidelium defunctorum, omnes Missae gaudent privilegio ac si essent ad altare privilegiatum celebratae.**

**§ 2. Omnia altaria ecclesiae per eos dies quibus in ea peragitur supplicatio Quadraginta Horarum sunt privilegiata.**

CAN. 918.

**§ 1. Ut indicetur altare esse privilegiatum, nihil aliud inscribatur, nisi : *altare privilegiatum,* perpetuum vel ad tempus, quotidianum vel non, secundum concessionis verba.**

**§ 2.* Pro Missis celebrandis in altari privilegiato nequit, sub obtentu privilegii, maior exigi Missae eleemosyna.**

CAN. 919.

**§ 1. Novae indulgentiae, ecclesiis etiam regularium concessae, quae Romae promulgatae non sint, ne pervulgentur, inconsulto Ordinario loci.**

**§ 2. In edendis libris, libellis, etc., quibus concessiones indulgentiarum pro variis precibus aut piis operibus recensentur, servetur praescriptum can. .1388.**

CAN. 920.

**Qui a Summo Pontifice impetraverint indulgentiarum concessiones pro omnibus fidelibus, obligatione tenentur, sub poena nullitatis gratiae**

**obtentae, authentica exemplaria earundem concessionum ad Sacram Poenitentiariam deferendi.**

CAN. 921.

**§ 1. Indulgentia plenaria concessa pro festis Domini Nostri Iesu Christi vel pro festis Beatae Mariae Virginis, intelligitur concessa dumtaxat pro festis quae in calendario universali reperiuntur.**

§ 2. **Concessa indulgentia plenaria vel partialis pro festis Apostolorum, intelligitur concessa dumtaxat pro eorum festo natali.**

§ 3. **Indulgentia plenaria concessa ut *quotidiana perpetua* vel *ad tempus* visitantibus aliquam ecclesiam vel publicum oratorium ita intelligenda est ut quacunqne die, sed semel tantum in anno, ab unoquoque fideli acquiri possit, nisi aliud in decreto expresse dicatur.**

CAN. 922.

**Indulgentiae adnexae festis vel sacris supplicationibus vel precibus novendialibus, septenariis, triduanis, quae ante aut post festum vel etiam eius octavario perdurante peraguntur, translatae intelliguntur in eum diem, quo festa huiusmodi legitime transferantur, si festum translatum habeat officium cum Missa sine sollemnitate et externa celebratione ac translatio fiat in perpetuum, vel si transferatur sive ad tempus sive in perpetuum sollemnitas et externa celebratio.**

CAN. 923.

**Ad lucrandam indulgentiam alicui diei affixam, si visitatio ecclesiae vel oratorii requiratur, haec fieri potest a meridie diei praecedentis usque ad mediam noctem quae statutum diem claudit.**

CAN. 924.

§ 1. **Ad normam can.** 75, **indulgentiae adnexae alicui ecclesiae non cessant, si ecclesia funditus evertatur rursusque intra quinquaginta annos aedificetur in eodem vel fere eodem loco et sub eodem titulo.**

§ 2. **Indulgentiae coronis aliisve rebus adnexae tunc tantum cessant, cum coronae aliaeve res prorsus desinant esse vel vendantur.**

ART. II. — ***De indulgentiis acquirendis.***

CAN. 925.

§ 1. **Ut quis capax sit sibi lucrandi indulgentias, debet esse baptizatus, non excommunicatus, in statu gratiae saltem in fine operum praescriptorum, subditus concedentis.**

§ 2. **Ut vero subiectum capax eas revera lucretur, debet habere intentionem saltem generalem eas acquirendi et opera iniuncta implere statuto tempore ac debito modo secundum concessionis tenorem.**

CAN. 926.

**Plenaria indulgentia ita concessa intelligitur ut si quis eam plenarie lucrari non possit, eam tamen partialiter lucretur pro dispositione quam habet.**

CAN. 927.

**Nisi aliud ex concessionis tenore appareat, indulgentias ab Episcopo concessas lucrari possunt tum subditi extra territorium, tum peregrini, vagi, omnesque exempti in territorio degentes.**

CAN. 928.

§ 1. **Indulgentia plenaria, nisi aliud expresse cautum sit, acquiri potest semel tantum in die, etsi idem opus praescriptum pluries ponatur.**

§ 2. **Partialis indulgentia, nisi contrarium expresse notetur, saepius per diem, eodem opere repetito, potest lucrifieri.**

CAN. 929.

**Fideles utriusque sexus qui, perfectionis studio vel institutionis seu educationis aut etiam valetudinis causa in domibus ecclesia vel publico sacello carentibus, de consensu Ordinariorum constitutis, vitam communem agUnt, itemque personae omnes ad illis ministrandum ibidem commorantes, quoties ad lucrandas indulgentias praescribatur visitatio alicuius ecclesiae non determinatae, vel indeterminati alicuius publici oratorii, visitare queunt propriae domus sacellum in quo obligationi audiendi Sacrum iure satisfacere possunt, dummodo cetera opera iniuncta rite praestiterint.**

CAN. 930.

**Nemo indulgentias acquirens potest eas aliis in vita degentibus applicare; animabus autem in purgatorio detentis indulgentiae omnes a Romano Pontifice concessae, nisi aliud constet, applicabiles sunt.**

CAN. 931.

§ 1. **Ad quaslibet indulgentias lucrandas confessio forte requisita peragi potest intra octo dies qui immediate praecedunt diem cui indulgentia fuit affixa; communio autem in pervigilio eiusdem diei; utraque vero etiam intra subsequentem totam octavam.**

§ 2. **^Pariter ad lucrandas indulgentias pro piis exercitiis in triduum, hebdomadam, etc., ductis concessas, confessio et communio fieri etiam potest intra octavam quae immediate sequitur exercitium expletum.**

§ 3. **Christifideles qui solent, nisi legitime impediantur, saltem bis in mense ad poenitentiae sacramentum accedere, aut sanctam communionem in statu gratiae et cum recta piaque mente recipere quotidie, quamvis semel aut iterum per hebdomadam ab eadem abstineant, possunt omnes indulgentias consequi, etiam sine actuali confessione quae ceteroquin ad eas lucrandas necessaria foret, exceptis indulgentiis sive iubilaei ordinarii et extraordinarii sive ad instar iubilaei.**

CAN. 932.

**Opere, cui praestando quis lege aut praecepto obligatur, nequit indulgentia lucrifieri, nisi in eiusdem concessione aliud expresse dicatur;**

qui tamen praestat opus sibi in sacramentalem poenitentiam iniunctum et indulgentiis forte ditatum, potest simul et poenitentiae satisfacere et indulgentias lucrari.

CAN. 933.

Uni eidemque rei vel loco plures ex variis titulis adnecti possunt indulgentiae; sed uno eodemque opere, cui ex variis titulis indulgentiae adnexae sint, non possunt plures acquiri indulgentiae, nisi opus requisitum sit confessio vel communio, aut nisi aliud expresse cautum fuerit.

CAN. 934.

§ 1. Sj. ad lucrandas indulgentias oratio in genere' ad mentem Summi Pontificis praescribatur, mentalis tantum oratio non sufficit; oratio autem vocalis poterit arbitrio fidelium deligi, nisi peculiaris aliqua assignetur.

§ 2. Si peculiaris oratio assignata fuerit, indulgentiae acquiri possunt quocunque idiomate , oratio recitetur, dummodo de fidelitate versionis constet ex declaratione vel Sacrae Poenitentiariae vel unius ex Ordinariis loci ubi vulgaris est lingua in quam vertitur oratio; sed indulgentiae penitus cessant ob quamlibet additionem, detractionem, vel interpolationem.

§ 3. Ad indulgentiarum acquisitionem satis est orationem alternis cum socio recitare, aut mente eam prosequi, dum ab alio recitatur.

CAN. 935.

Pia opera ad lucrandas indulgentias iniuncta, confessarii possunt in alia commutare pro iis qui, legitimo detenti impedimento, eadem praestare nequeant.

CAN. 936.

Muti lucrari possunt indulgentias adnexas publicis precibus, si una cum ceteris fidelibus in eodem loco orantibus mentem ac pios ^sensus ad Deum attollant; et si agatur de privatis orationibus, satis est ut eas mente recolant signisve effundant vel tantummodo oculis percurrant.

## TITULUS V.

### De extrema unctione. •

CAN. 937.

Extremae unctionis sacramentum conferri debet per sacras unctiones, adhibito oleo olivarum rite benedicto, et per verba in ritualibus libris ab Ecclesia probatis praescripta.

CAPUT I.

### *De ministro extremae unctionis.*

CAN. 938.

§ 1. Hoc sacramentum valide administrat omnis et solus sacerdos.

§ 2. Salvo praescripto can. 397, n. 3, 514, minister ordinarius est parochus loci, in quo degit infirmus; in casu autem necessitatis, vel de

S

**licentia saltem rationabiliter praesumpta eiusdem parochi vel Ordinarii loci, alius quilibet sacerdos hoc sacramentum ministrare potest.**

CAN. 939.

**Minister ordinarius ex iustitia tenetur hoc sacramentum per se ipse vel per alium administrare, et in casu necessitatis ex caritate quilibet sacerdos.**

CAPUT **II.**

## *De subiecto extremae unctionis.*

CAN. 940.

§ 1. **Extrema unctio praeberi non potest nisi fideli, qui post adeptum usum rationis ob infirmitatem vel senium in periculo mortis versetur.**

§ 2. **In eadem infirmitate hoc sacramentum iterari non potest, nisi infirmus post susceptam unctionem convaluerit et in aliud vitae discrimen inciderit.**

CAN. 941.

**Quando dubitatur num infirmus usum rationis attigerit, num in periculo mortis reipsa versetur vel num mortuus sit, hoc sacramentum ministretur sub conditione.**

CAN. 942.

**Hoc sacramentum non est conferendum illis qui impoenitentes in manifesto peccato mortali contumaciter perseverant; quod si hoc dubium fuerit, conferatur sub conditione.**

CAN. 943.

**Infirmis autem qui, cum suae mentis compotes essent, illud saltem implicite petierunt aut verisimiliter petiissent, etiamsi deinde sensus vel usum rationis amiserint, nihilominus absolute praebeatur.**

CAN. 944.

**Quamvis hoc sacramentum per se non sit de necessitate medii ad salutem, nemini tamen licet illud negligere; et omni studio et diligentia curandum ut infirmi, dum sui plene compotes sunt, illud recipiant.**

CAPUT **III.**

## *De ritibus et caeremoniis extremae unctionis.*

CAN. 945.

**Oleum olivarum, in sacramento extremae unctionis adhibendum, debet esse ad hoc benedictum ab Episcopo, vel a presbytero qui facultatem illud benedicendi a Sede Apostolica obtinuerit.**

CAN. 946.

**Oleum infirmorum parochus loco nitido et decenter ornato in vase argenteo vel stamneo diligenter custodiat, nec domi retineat nisi ad normam can.** 735.

CAN. 947.

§ 1. Unctiones verbis, ordine et modo in libris ritualibus praescripto, accurate peragantur; in casu autem necessitatis sufficit unica unctio in uno sensu seu rectius in fronte cum praescripta forma breviori, salva obligatione singulas unctiones supplendi, cessante periculo.

§ 2. Unctio renum semper omittatur.

§ 3. Unctio pedum ex qualibet rationabili causa omitti potest.

§ 4. Extra casum gravis necessitatis, unctiones ipsa ministri manu nulloque adhibito instrumento fiant.

## TITULUS VI.

## De ordine.

CAN. 948.

Ordo ex Christi institutione clericos a laiqis in Ecclesia distinguit ad fidelium regimen et cultus divini ministerium.

CAN. 949.

In canonibus qui sequuntur, nomine ordinum *maiorum* vel *sacrorum* intelliguntur presbyteratus, diaconatus, subdiaconatus; *minorum* vero acolythatus, exorcistatus, lectoratus, ostiariatus.

CAN. 950.

In iure verba : *ordinare, ordo, ordinatio, sacra ordinatio,* comprehendunt, praeter consecrationem episcopalem, ordines enumeratos in can. 949 et ipsam primam tonsuram, nisi aliud ex natura rei vel ex contextu verborum eruatur.

### CAPUT I.

### *De ministro sacrae ordinationis.*

CAN. 951. •

Sacrae ordinationis minister ordinarius est Episcopus consecratus; extraordinarius, qui, licet charactere episcopali careat, a iure vel a Sede Apostolica per peculiare indultum potestatem acceperit aliquos ordines conferendi.

CAN. 952.

Nemini licet ordinatum a Romano Pontifice ad altiorem ordinem promovere sine Sedis Apostolicae facultate.

CAN. 953.

Consecratio episcopalis reservatur Romano Pontifici ita ut nulli Episcopo lieeat quemquam consecrare in Episcopum, nisi prius constet de pontificio mandato.

CAN. **954.**

**Episcopus consecrator debet alios duos Episcopos adhibere, qui sibi in consecratione assistant, nisi hac super re a Sede Apostolica dispensatum fuerit.**

CAN. **955.**

**§ 1. Unusquisque a proprio Episcopo ordinetur aut cum legitimis eiusdem litteris dimissoriis.**

**§ 2. Episcopus proprius, iusta causa non impeditus, per se ipse suos subditos ordinet; sed subditum orientalis ritus, sine apostolico indulto, licite ordinare non potest.**

CAN. **956.**

**Episcopus proprius, quod attinet ad ordinationem saecularium, est tantum Episcopus dioecesis in qua promovendus habeat domicilium una cum origine aut simplex domicilium sine origine; sed in hoc altero casu promovendus debet animum in dioecesi perpetuo manendi iureiurando firmare, nisi agatur de promovendo ad ordines clerico qui dioecesi per primam tonsuram iam incardinatus est, vel de promovendo alumno, qui servitio alius dioecesis destinatur ad normam can. 969, § 2, vel de promovendo religioso professo.**

CAN. **957.**

**§ 1. Vicarius ac Praefectus Apostolicus, Abbas vel Praelatus *nullius*, si charactere episcopali polleant, Episcopo dioecesano aequiparantur quod pertinet ad ordinationem.**

**§ 2. Si episcopali charactere careant, possunt nihilominus in proprio territorio et durante tantum munere, conferre primam tonsuram et ordines minores tum propriis subditis saecularibus ad normam can. 956, tum aliis qui litteras dimissorias iure requisitas exhibeant; ordinatio extra hos fines ab eisdem peracta irrita est.**

CAN. **958.**

**§ 1. Litteras dimissorias pro saecularibus dare possunt, quandiu iurisdictionem in territorio retinent :**

**1.° Episcopus proprius, postquam possessionem suae dioecesis legitime ceperit ad normam can. 334, § 3, licet nondum consecratus;**

**2.° Vicarius Generalis, ex speciali tamen Episcopi mandato;**

**3.° De Capituli consensu Vicarius Capitularis post annum a sede vacante; intra annum vero solis arctatis ratione beneficii recepti vel recipiendi, aut ratione certi alicuius ofiicii, cui propter necessitatem dioecesis sine dilatione sit providendum;**

**4.° Vicarius ac Praefectus Apostolicus, Abbas vel Praelatus *nullius*, licet episcopali charactere careant, etiam ad ordines maiores.**

**§ 2. Vicarius Capitularis litteras dimissorias ne concedat iis qui ab Episcopo reiecti fuerunt.**

CAN. **959.**

**Qui potest litteras dimissorias ad ordines recipiendos dare, potest quoque eosdem ordines conferre per se ipse, si necessariam ordinis potestatem habeat.**

CAN. **960.**

**§ 1. Litterae dimissoriae ne concedantur, nisi habitis antea omnibus testimoniis, quae iure exiguntur ad normam can. 993-1000.**

**§ 2. Si post datas ab Ordinario litteras dimissorias nova testimonia necessaria sint ad normam can. 994, § 3, Episcopus alienus ne ordinet, antequani eadem receperit.**

**§ 3. Quod si promovendus tempus sufficiens ad contrahendum impedimentum ad normam mem. can. 994 transegerit in ipsa dioecesi Episcopi ordinantis, hic testimonia directe colligat.**

CAN. **961.**

**Litterae dimissoriae mitti possunt ab Episcopo proprio, etiam Cardinali Episcopo suburbicario, ad quemlibet Episcopum, communionem cum Sede Apostolica habentem, excepto tantum, citra apostolicum indultum. Episcopo ritus diversi a ritu promovendi.**

CAN. **962.**

**Quilibet Episcopus, acceptis legitimis litteris dimissoriis, alienum subditum licite ordinat, dummodo ipse de germana litterarum fide dubitare nullatenus possit, salvo praescripto can. 994, § 3.**

CAN. **963.**

**Litterae dimissoriae possunt ab ipso concedente vel ab eius successore limitari aut revocari, sed semel concessae non exstinguuntur resoluto iure dantis.**

CAN. **964.**

**Quod attinet ad ordinationem religiosorum :**

**1.° Abbas regularis de regimine, etsi sine territorio *nullius*, potest conferre primam tonsuram et ordines minores, dummodo promovendus sit ipsi subditus vi professionis saltem simplicis, ipse vero sit presbyter et benedictionem abbatialem legitime acceperit. Extra hos fines, ordinatio, ab eodem collata, revocato quolibet contrario privilegio, est irrita, nisi ordinans charactere episcopali polleat;**

**2.° Religiosi exempti a nullo Episcopo ordinari licite possunt sine litteris dimissoriis proprii Superioris maioris;**

**3.° Superiores professis votorum simplicium, de quibus in can. 574, litteras dimissorias concedere possunt dumtaxat ad primam tonsuram et ordines minores;**

**4.° Ordinatio ceterorum omnium alumnorum cuiusvis religionis regitur iure saecularium, revocato quolibet indulto Superioribus concesso dandi professis a votis temporariis litteras dimissorias ad ordines maiores.**

CAN. 965.

**Episcopus ad quem Superior religiosus litteras dimissorias mittere debet, est Episcopus dioecesis, in qua sita est domus religiosa, ad cuius familiam pertinet ordinandus.**

CAN. 966.

§ 1. **Tunc tantum Superior religiosus ad alium Episcopum litteras dimissorias mittere potest, cum Episcopus dioecesanus licentiam dederit, aut sit diversi ritus, aut sit absens, aut non sit ordinationem habituras proximo legitimo tempore ad normam can.** 1006, § 2, **vel denique cum dioecesis vacet nec eam regat qui charactere episcopali polleat.**

§ 2. **Necesse est ut singulis in casibus id Episcopo ordinaturo constet ex authentico Curiae episcopalis testimonio.**

CAN. 967.

**Caveant Superiores religiosi ne in fraudem Episcopi dioecesani subditum ordinandum ad aliam religiosam domum mittant, aut concessionem litterarum dimissoriarum de industria in id tempus differant, quo Episcopus vel abfuturus, vel nullas habituras sit ordinationes.**

CAPUT **II.**

***De subiecto sacrae ordinationis.***

CAN. 968.

§ 1. **Sacram ordinationem valide recipit solus vir baptizatus; licite autem, qui ad normam sacrorum canonum debitis qualitatibus, iudicio proprii Ordinarii, praeditus sit, neque ulla detineatur irregularitate aliove impedimento.**

§ 2. **Qui irregularitate aliove impedimento detinentur, licet post ordinationem etiam sine propria culpa exorto, prohibentur receptos ordines exercere.**

CAN. 969.

**§ 1. Nemo ex saecularibus ordinetur, qui iudicio proprii Episcopi non sit necessarius vel utilis ecclesiis dioecesis.**

§ 2. **Non prohibetur tamen Episcopus proprium promovere subditum, qui in futuram, praevia legitima excardinatione et incardinatione, servitio alius dioecesis destinetur.**

CAN. 970.

**Proprius Episcopus vel Superior religiosus maior potest suis clericis ex quavis canonica causa, occulta quoque, etiam extraiudicialiter, ascensum ad ordines interdicere, salvo iure recursus ad Sanctam Sedem, vel etiam ad Moderatorem generalem, si agatur de religiosis quibus ascensum interdixerit Superior provincialis.**

CAN. 971.

**Nefas est quemquam, quovis modo, ob quamlibet rationem, ad statum clericalem cogere, vel canonice idoneum ab eodem avertere.**

CAN. 972.

§ 1. **Curandum ut ad sacros ordines adspirantes inde a teneris annis in Seminario recipiantur; sed omnes ibidem commorari tenentur saltem per integrum sacrae theologiae curriculum, nisi Ordinarius in casibus peculiaribus, gravi de causa, onerata eius conscientia, dispensaverit.**

§ 2. **Qui ad ordines adspirant et extra Seminarium legitime morantur, commendentur pio et idoneo sacerdoti, qui eis invigilet eosque ad pietatem informet.**

ART. I. — ***De requisitis in subiecto sacrae ordinationis.***

CAN. 973.

§ 1. **Prima tonsura et ordines illis tantum conferendi sunt, qui propositum habeant ascendendi ad presbyteratum et quos merito coniicere liceat aliquando dignos futuros esse presbyteros.**

§ 2. **Ordinatus tamen qui superiores ordines recipere recuset, nec potest ab Episcopo ad eos recipiendos cogi, nec prohiberi a receptorum ordinum exercitio, nisi impedimento canonico detineatur aliave gravis, iudicio Episcopi, obsit causa.**

§ 3. **Episcopus sacros ordines nemini conferat quin ex positivis ar gumentis moraliter certus sit de eius canonica idoneitate; secus non solum gravissime peccat, sed etiam periculo sese committit alienis communicandi peccatis.**

CAN. 974.

§ 1. **Ut quis licite ordinari possit, requiruntur :**

1.° **Eecepta sacra confirmatio;**

2.° **Mores ordini recipiendo congruentes;**

3.° **Aetas canonica;**

4.° **Debita scientia;**

5.° **Ordinum inferiorum susceptio;**

6.° **Interstitiorum observatio;**

7.° **Titulus canonicus, si agatur de ordinibus maioribus.**

§ 2. **Quod pertinet ad consecrationem episcopalem, servetur praescriptum can.** 331.

CAN. 975.

**Subdiaconatus ne conferatur ante annum vicesimum primum completum; diaconatus ante vicesimum secundum completum; presbyteratus ante vicesimum quartum completum.**

CAN. 976.

§ 1. **Nemo sive saecularis sive religiosus ad primam tonsuram promoveatur ante inceptum cursum theologicum.**

§ 2. **Firmo praescripto can.** 975, **subdiaconatus ne conferatur, nisi exeunte tertio cursus theologici anno; diaconatus, nisi incepto quarto anno; presbyteratus, nisi post medietatem eiusdem quarti anni.**

§ 3. **Cursus theologicus peractus esse debet non privatim, sed in scholis ad id institutis secundum studiorum rationem can.** 1365 **determinatam.**

CAN. 977.

**Ordines gradatim conferendi sunt ita ut ordinationes per saltum omnino prohibeantur.**

CAN. 978.

§ 1. **In ordinationibus serventur temporum interstitia quibus promoti in receptis ordinibus, secundum Episcopi praescriptum, sese exerceant.**

§ 2. **Interstitia primam tonsuram inter et ostiariatum vel inter singulos ordines minores prudenti Episcopi iudicio committuntur; acolythus vero ad subdiaconatum, subdiaconus ad diaconatum, *diaconus ad presbyteratum ne antea promoveantur, quam acolythus unum saltem annum, subdiaconus et diaconus tres saltem menses in suo quisque ordine fuerint versati, nisi necessitas aut utilitas Ecclesiae, iudicio Episcopi, aliud exposcat.**

§ 3. **Nunquam tamen, nisi de peculiari licentia Romani Pontificis, minores ordines cum subdiaconatu duove sacri ordines uno eodemque die, reprobata quavis contraria consuetudine, conferantur; imo nec primam tonsuram conferre licet una cum aliquo ex ordinibus minoribus, neque omnes ordines minores una simul.**

CAN. 979.

§ 1. **Pro clericis saecularibus titulus canonicus est titulus beneficii, eoque deficiente, patrimonii aut pensionis.**

§ 2. **Hic titulus debet esse et vere securus pro tota ordinati vita et vere sufficiens ad congruam eiusdem sustentationem, secundum normas ab Ordinariis pro diversis locorum et temporum necessitatibus et adiunctis dandas.**

CAN. 980.

§ 1. **Ordinatus in sacris, si titulum amittat, alium sibi provideat, nisi, iudicio Episcopi, eius congruae sustentationi aliter cautum sit.**

§ 2. **Qui, citra apostolicum indultum, suum subditum in sacris sine titulo canonico scienter ordinaverint aut ordinari permiserint, debent ipsi eorumque successores eidem egenti alimenta necessaria praebere, donec congruae eiusdem sustentationi aliter provisum fuerit.**

§ 3. **Si Episcopus aliquem ordinaverit sine titulo canonico cum pacto ut ordinatus non petat ab ipso alimenta, hoc pactum omni vi caret.**

CAN. 981.

§ 1. **Si ne unus quidem ex titulis de quibus in can.** 979, § 1, **praesto sit, suppleri potest titulo servitii dioecesis, et, in locis Sacrae Congrega-**

**tioni de Prop. Fide subiectis, titulo missionis, ita tamen ut ordinandus, iureiurando interposito, se deyoyeat perpetuo dioecesis aut missionis servitio, sub Ordinarii loci pro tempore auctoritate.**

**§ 2. Ordinarius presbytero, quem promoverit titulo servitii ecclesiae vel missionis, debet beneficium vel oflicium vel subsidium, ad congruam eiusdem sustentationem sufficiens, conferre.**

CAN. **982.**

**§ 1. Pro regularibus titulus canonicus est sollemnis religiosa professio seu titulus, ut dicitur, paupertatis.**

*§ 2.* **Pro religiosis votorum simplicium perpetuorum est titulus *mensae communis, Congregationis* aliusve similis, ad normam constitutionum.**

**§ 3. Ceteri religiosi, etiam ad ordinationis titulum quod attinet, iure saecularium reguntur.**

## ART. **II. —** ***De irregularitatibus aliisque impedimentis.***

CAN. **983.**

**Nullum impedimentum perpetuum quod venit nomine *irregularitatis,* sive ex defectu sit sive ex delicto, contrahitur, nisi quod fuerit in canonibus qui sequuntur expressum.**

CAN. **984,**

**Sunt irregulares ex defectu :**

**1.° Illegitimi, sive illegitimitas sit publica sive occulta, nisi fuerint legitimati vel vota sollemnia professi;**

**2.° Corpore vitiati qui secure propter debilitatem, vel decenter propter deformitatem, altaris ministerio defungi non valeant. Ad impediendum tamen exercitium ordinis legitime recepti, gravior requiritur defectus, neque ob hunc defectum prohibentur actus qui rite poni possunt;**

**3.° Qui epileptici vel amentes vel a daemone possessi sunt vel fuerunt; quod si post receptos ordines tales evaserint et iam liberos esse certo constet, Ordinarius potest suis subditis receptorum ordinum exercitium rursus permittere;**

**4.° Bigami, qui nempe duo vel plura matrimonia valida successive contraxerunt;**

**5.° Qui infamia iuris notantur;**

**6.° Iudex qui mortis sententiam tulit;**

**7.° Qui munus carnificis susceperint eorumque voluntarii ac immediati ministri in exsecutione capitalis sententiae.**

CAN. **985.**

**Sunt irregulares ex delicto :**

**1.° Apostatae a fide, haeretici, schismatici;**

**2.° Qui, praeterquam in casu extremae necessitatis, baptismum ab acatholicis quovis modo sibi conferri siverunt;**

**3.° Qui matrimonium attentare aut civilem tantum actum ponere ausi sunt, vel ipsimet vinculo matrimoniali aut ordine sacro aut votis**

**religiosis etiam simplicibus ac temporariis ligati, vel cum muliere iisdem votis adstricta aut matrimonio valido coniuncta;**

**4.° Qui voluntarium homicidium perpetrarunt aut fetus humani abortum procuraverunt, effectu secuto, omnesque cooperantes;**

**5.° Qui seipsos vel alios mutilaverunt vel sibi vitam adimere tentaverunt;**

**6.° Clerici medicam vel chirurgicam artem sibi vetitam exercentes, si exinde mors sequatur;**

**7.° Qui actum ordinis, clericis in ordine sacro constitutis reservatum, ponunt, vel eo ordine carentes, vel ab eius exercitio poena canonica sive personali, medicinali aut vindicativa, sive locali prohibiti.**

CAN. **986.**

**Haec delicta irregularitatem non pariunt, nisi fuerint gravia peccata, post baptismum perpetrata, salvo praescripto can. 985, n. 2, itemque externa, sive publica sive occulta.**

CAN. **987.**

**Sunt simpliciter impediti :**

**1.° Filii acatholicorum, quandiu parentes in suo errore permanent;**

**2.° Viri uxorem habentes;**

**3.° Qui officium vel administrationem gerunt clericis vetitam cuius rationes reddere debeant, donec, deposito officio et administratione atque rationibus redditis, liberi facti sint;**

**4.° Servi servitute proprie dicta ante acceptam libertatem;**

**5.° Qui ad ordinarium militare servitium civili lege adstringuntur, antequam illud expleverint;**

**6.° Neophyti, donec, iudicio Ordinarii, sufficienter probati fuerint;**

**7.° Qui infamia facti laborant, dum ipsa, iudicio Ordinarii, perdurat.**

CAN. **988.**

**Ignorantia irregularitatum sive ex delicto sive ex defectu atque impedimentorum ab eisdem non excusat.**

CAN. **989.**

**Irregularitates et impedimenta multiplicantur ex diversis eorundem causis, non autem ex repetitione eiusdem causae, nisi agatur de irregularitate ex homicidio voluntario.**

CAN. **990.**

**§ 1. Licet Ordinariis per se vel per alium suos subditos dispensare ab irregularitatibus omnibus ex delicto occulto provenientibus, ea excepta de qua in can. 985, n. 4 aliave deducta ad forum iudiciale.**

**§ 2. Eadem facultas competit cuilibet confessario in casibus occultis urgentioribus in quibus Ordinarius adiri nequeat et periculum immineat gravis damni vel infamiae, sed ad hoc dumtaxat ut poenitens ordines iam susceptos exercere licite valeat.**

CAN. **991.**

**§ 1. In precibus pro irregularitatum ac impedimentorum dispensatione, omnes irregularitates ac impedimenta indicanda sunt; secus dispensatio generalis valebit quidem etiam pro reticitis bona fide, iis exceptis quae in can. 990, § 1 excipiuntur, non autem pro reticitis in mala fide.**

**§ 2. Si agatur de irregularitate ex homicidio voluntario, etiam numerus delictorum exprimendus est sub poena nullitatis concedendae dispensationis.**

**§ 3. Dispensatio generalis ad ordines valet pro ordinibus quoque maioribus; et dispensatus potest obtinere beneficia non consistorialia etiam curata, sed renuntiari nequit S. R. E. Cardinalis, Episcopus, Abbas vel Praelatus *nullius,* Superior maior in religione clericali exempta.**

**§ 4. Dispensatio, in foro interno non sacramentali concessa, scripto consignetur; et de ea in secreto Curiae libro constare debet.**

CAPUT **III.**

***De iis quae sacrae ordinationi praeire debent.***

CAN. **992.**

**Omnes tum saeculares tum religiosi ad ordines promovendi per se ipsi vel per alios Episcopo aliive qui Episcopi hac in re vices gerat, suum propositum ante ordinationem opportuno tempore aperiant.**

CAN. **993.**

**Promovendi saeculares aut religiosi qui, quod pertinet ad ordinationem, saecularium iure reguntur, afferant :**

**1.° Testimonium ultimae ordinationis aut, si de prima tonsura agatur, recepti baptismatis et confirmationis;**

**2.° Testimonium de peractis studiis, pro singulis ordinibus, ad normam can. 976, requisitis;**

**3.° Testimonium rectoris Seminarii, aut sacerdotis cui candidatus extra Seminarium commendatus fuerit, de bonis eiusdem candidati moribus;**

**4.° Testimoniales litteras Ordinarii loci in quo promovendus tantum temporis moratus est ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit;**

**5.° Testimoniales Superioris maioris religiosi, si cui religioni promovendus adscriptus sit.**

CAN. **994.**

**§ 1. Tempus quo promovendus potuit canonicum impedimentum contrahere est, regulariter, pro militibus trimestre, pro aliis semestre post pubertatem; sed Episcopus ordinans pro sua prudentia exigere potest litteras testimoniales etiam ob brevius commorationis tempus, et ob tempus quoque quod pubertatem antecessit.**

I 2. Si loci Ordinarius neque per se neque per alios promovendnm satis noverit, ut testari possit eum, tempore quo in suo territorio moratus est, nullum canonicum impedimentum contraxisse, aut si promovendus per tot dioeceses vagatus sit ut impossibile vel nimis difficile evadat omnes litteras testimoniales exquirere, provideat Ordinarius saltem per iuramentum suppletorium a promovendo praestandum.

§ 3. Si post obtentas litteras testimoniales et ante peractam ordinationem, promovendus praedicto temporis spatio in eodem territorio rursus moratus sit, novae litterae testimoniales Ordinarii loci necessariae sunt.

CAN. 995.

§ 1. Etiam Superior religiosus suis litteris dimissoriis non solum testari debet promovendum professionem religiosam emisisse et esse de familia domus religiosae sibi subditae, sed etiam de studiis peractis, deque aliis iure requisitis.

§ 2. Episcopus, acceptis iis litteris dimissoriis, aliis testimonialibus litteris non indiget.

CAN. 996.

§ 1. Quilibet promovendus sive saecularis sive religiosus debet praevium ac diligens examen subire circa ipsum ordinem suscipiendum.

§ 2. Promovendi vero ad sacros ordines in aliis quoque de sacra theologia tractationibus periculum faciant.

§ 3. Episcoporum est statuere qua methodo, coram quibus examinatoribus et quibus in tractationibus sacrae theologiae promovendi periculum facere debeant.

CAN. 997.

§ 1. Hoc examen sive pro clericis saecularibus sive pro religiosis recipit loci Ordinarius qui iure proprio ordinat, aut dat dimissorias litteras; qui tamen potest quoque, ex iusta causa, illud Episcopo ordinaturo committere, qui id oneris suscipere velit.

§ 2. Episcopus alienum subditum sive saecularem sive religiosum ordinans cum legitimis litteris dimissoriis, quibus asseritur candidatum examinatum fuisse ad normam § 1, et idoneum repertum, potest huic attestationi acquiescere, sed non tenetur; et si pro sua conscientia censeat candidatum non esse idoneum, eum ne promoveat.

CAN. 998.

§ 1. Nomina promovendorum ad singulos sacros ordines, exceptis religiosis a votis perpetuis sive sollemnibus sive simplicibus, publice denuntietur in paroeciali cuiusque candidati ecclesia; sed Ordinarius pro sua prudentia potest tum ab hac publicatione dispensare ex iusta causa, tum praecipere ut in aliis quoque ecclesiis peragatur, tum publicationi substituere publicam ad valvas ecclesiae affixionem per aliquot dies, in quibus unus saltem dies festus comprehendatur.

§ 2. Publicatio fiat die festo de praecepto in ecclesia inter Missarum sollemnia aut alia die et hora quibus maior populi frequentia in ecclesia habeatur.

§ 3. **Si sex intra menses candidatus promotus non fuerit, repetatur publicatio, nisi aliud Ordinario videatur.**

CAN. 999.

**Omnes fideles obligatione tenentur impedimenta ad sacros ordines, si qua norint, Ordinario vel parocho ante sacram ordinationem revelandi.**

CAN. 1000.

§ 1. **Parocho qui publicationem peragit, et etiam alii, si id expedire videatur, Ordinarius committat ut de ordinandorum moribus et vita a fide dignis diligenter exquirat, et litteras testimoniales, ipsam investigationem et publicationem referentes, ad Curiam transmittat.**

§ 2. **Idem Ordinarius alias percontationes etiam privatas, si id necessarium aut opportunum iudicaverit, facere ne omittat.**

CAN. 1001.

§ 1. **Qui ad primam tonsuram et ordines minores promovendi sunt, spiritualibus exercitiis per tres saltem integros dies; qui vero ad ordines sacros, saltem per sex integros dies vacent; sed si qui, intra semestre, ad plures ordines maiores promovendi sint, Ordinarius potest exercitiorum tempus pro ordinatione ad diaconatum reducere, non tamen infra tres integros dies.**

§ 2. **Si, expletis exercitiis, sacra ordinatio qualibet de causa ultra semestre differatur, exercitia iterentur; secus iudicet Ordinarius utrum iteranda sint, necne.**

§ 3. **Haec spiritualia exercitia religiosi peragant in propria domo vel in alia de prudenti Superioris arbitrio; saeculares vero in Seminario, aut in alia pia vel religiosa domò ab Episcopo designata.**

§ 4. **De peractis spiritualibus exercitiis Episcopus certior fiat testimonio Superioris domus, in qua peracta fuerint; vel, si de religiosis agatur, attestatione proprii Superioris maioris.**

## CAPUT IV.

## *De ritibus et caeremoniis sacrae ordinationis.*

CAN. 1002.

**In quovis conferendo ordine, minister proprios ritus in Pontificali Romano aliisve ritualibus libris ab Ecclesia probatis descriptos, adamussim servet, quos nulla ratione licet praeterire vel invertere.**

CAN. 1003.

**Missa ordinationis vel consecrationis episcopalis semper debet ab ipsomet ordinationis vel consecrationis ministro celebrari.**

CAN. 1004.

**Si quis, ritu orientali ad aliquos ordines iam promotus, a Sede Apostolica indultum obtinuerit superiores ordines suscipiendi ritu latino, debet prius ritu latino recipere ordines quos ritu orientali non receperit.**

CAN. **1005.**

**Omnes ad maiores ordines promoti obligatione tenentur sacrae communionis in ipsa ordinationis Missa recipiendae.**

CAPUT V.

*De tempore et loco sacrae ordinationis.*

CAN. **1006.**

**§ 1. Consecratio episcopalis conferri debet intra Missarum sollemnia, die dominico vel natalitio Apostolorum.**

**§ 2. Ordinationes in sacris celebrentur intra Missarum sollemnia sabbatis Quatuor Temporum, sabbato ante dominicam Passionis, et Sabbato Sancto.**

**§ 3. Gravi tamen causa interveniente, Episcopus potest eas habere etiam quolibet die dominico aut festo de praecepto.**

**§ 4. Prima tonsura quolibet die et hora conferri potest; ordines minores singulis diebus dominicis et festis duplicibus, mane tamen.**

**§ 5. Reprobatur consuetudo contra ordinationum tempora praecedentibus paragraphis praescripta; quae servanda quoque sunt, cum Episcopus latini ritus ordinat ex apostolico indulto clericum ritus orientalis aut contra.**

CAN. **1007.**

**Quoties ordinatio iteranda sit vel aliquis ritus supplendus, sive absolute sive sub conditione, id fieri potest etiam extra tempora ac secreto.**

CAN. **1008.**

**Episcopus extra proprium territorium, sine Ordinarii loci licentia, nequit ordines conferre, in quorum collatione pontificalia exercentur, salvo praescripto can. 239, § 1, n. 15.**

CAN. **1009.**

**§ 1. Ordinationes generales in cathedrali ecclesia, vocatis praesentibusque ecclesiae canonicis, publice celebrentur; si autem in alio dioecesis loco, praesente clero loci, dignior, quantum fieri poterit, ecclesia adeatur.**

**§ 2. Non prohibetur autem Episcopus, iusta suadente causa, ordinationes particulares habere in aliis etiam ecclesiis itemque in oratorio domus episcopalis aut Seminarii aut religiosae domus.**

**§ 3. Prima tonsura et ordines minores conferri possunt etiam in privatis oratoriis.**

CAPUT VI.

*De adnotatione ac testimonio peractae ordinationis.*

CAN. 1010. *

**§ 1. Expleta ordinatione, nomina singulorum ordinatorum ac ministri ordinantis, locus et dies ordinationis notentur in peculiari libro in Curia loci ordinationis diligenter custodiendo, et omnia singularum ordinationum documenta accurate serventur.**

**§ 2. Singulis ordinatis detur authenticam ordinationis receptae testimonium; qui, si ab Episcopo extraneo cum litteris dimissoriis promoti fuerint, illud proprio Ordinario exhibeant pro ordinationis adnotatione in speciali libro in archivo servando.**

CAN. 1011.

**Praeterea loci Ordinarius, si agatur de ordinatis e clero saeculari, aut Superior maior, si de religiosis ordinatis cum suis litteris dimissoriis, notitiam celebratae ordinationis uniuscuiusque subdiaconi transmittat ad parochum baptismi, qui id adnotet in suo baptizatorum libro ad normam can. 470, § 2.**

TITULUS VII.

**De matrimonio.**

CAN. 1012.

**§ 1. Christus Dominus ad sacramenti dignitatem evexit ipsum contractum matrimonialem inter baptizatos.**

**§ 2. Quare inter baptizatos nequit matrimonialis contractus validus consistere, quin sit eo ipso sacramentum.**

CAN. 1013.

**§ 1. Matrimonii finis primarius est procreatio atque educatio prolis; secundarius mutuum adiutorium et remedium concupiscentiae.**

**§ 2. Essentiales matrimonii proprietates sunt unitas ac indissolubilitas, quae in matrimonio christiano peculiarem obtinent firmitatem ratione sacramenti.**

CAN. 1014.

**Matrimonium gaudet favore iuris; quare in dubio standum est pro valore matrimonii, donec contrarium probetur, salvo praescripto can. 1127.**

CAN. 1015.

**§ 1. Matrimonium baptizatorum validum dicitur *ratum,* si nondum consummatione completum est; *ratum et consummatum,* si inter coniuges locum habuerit coniugalis actus, ad quem natura sua ordinatur contractus matrimonialis et quo coniuges fiunt una caro.**

§ 2. **Celebrato matrimonio, si coniuges simul cohabitaverint, praesumitur consummatio, donec contrarium probetur.**

**§ 3. Matrimonium inter non baptizatos valide celebratum, dicitur *legitimum.***

**§ 4. Matrimonium invalidum dicitur *putativum,* si in bona fide ab una saltem parte celebratum fuerit, donec utraque pars de eiusdem nullitate certa evadat.**

CAN. 1016.

**Baptizatorum matrimonium regitur iure non solum divino, sed etiam canonico, salva competentia civilis potestatis circa mere civiles eiusdem matrimonii effectus.**

CAN. 1017.

§ 1. **Matrimonii promissio sive unilateralis, sive bilateralis seu sponsalitia, irrita est pro utroque foro, nisi facta fuerit per scripturam subsignatam a partibus et vel a parocho aut loci Ordinario, vel a duobus saltem testibus.**

§ 2. **Si utraque vel alterutra pars scribere nesciat vel nequeat, ad validitatem id in ipsa scriptura adnotetur et alius testis addatur qui cum parocho aut loci Ordinario vel duobus testibus, de quibus in §** 1, **scripturam subsignet.**

**§ 3. At ex matrimonii promissione, licet valida sit nec ulla iusta causa ab eadem implenda excuset, non datur actio ad petendam matrimonii celebrationem; datur tamen ad reparationem damnorum, si quae debeatur.**

CAN. 1018.

**Parochus ne omittat populum prudenter erudire de matrimonii sacramento eiusque impedimentis.**

CAPUT **I.**

***De iis quae matrimonii celebrationi praemitti debent et praesertim de publicationibus matrimonialibus.***

CAN. 1019.

§ 1. **Antequam matrimonium celebretur, constare debet .nihil eius validae ac licitae celebrationi obsistere.**

§ 2. **In periculo mortis, si aliae probationes haberi nequeant, sufficit, nisi contraria adsint indicia, affirmatio iurata contrahentium, se baptizatos fuisse et nullo detineri impedimento.**

CAN. 1020.

§ 1. **Parochus cui ius est assistendi matrimonio, opportuno antea tempore, diligenter investiget num matrimonio contrahendo aliquid obstet.**

§ 2. **Tum sponsum tum sponsam etiam seorsum et caute interroget num aliquo detineantur impedimento, an consensum libere, praesertim**

**mulier, praestent, et an in doctrina christiana sufficienter instructi sint, nisi ob personarum qualitatem haec ultima interrogatio inutilis appareat.**

§ 3. **Ordinarii loci est peculiares normas pro huiusmodi parochi investigatione dare.**

CAN. 1021.

§ 1. **Nisi baptismus collatus fuerit in ipso suo territorio, parochus exigat baptismi testimonium ab utraque parte, vel a parte tantum catholica, si agatur de matrimonio contrahendo cum dispensatione ab impedimento disparitatis cultus.**

§ 2. **Catholici qui sacramentum confirmationis nondum receperunt, illud, antequam ad matrimonium admittantur, recipiant, si id possint sine gravi incommodo.**

CAN. 1022.

**Publice a parocho denuntietur inter quosnam matrimonium sit contrahendum.**

CAN. 1023.

§ 1. **Matrimoniorum publicationes fieri debent a parocho proprio.**

§ 2. **Si pars alio in loco per sex menses commorata sit post adeptam pubertatem, parochus rem exponat Ordinario, qui pro sua prudentia vel publicationes inibi faciendas exigat, vel alias probationes seu coniecturas super status libertate colligendas praescribat.**

§ 3. **Si aliqua sit suspicio de contracto impedimento, parochus etiam pro breviore commoratione consulat Ordinarium, qui matrimonium ne permittat, nisi prius suspicio, ad normam § 2, removeatur.**

CAN. 1024.

**Publicationes fiant tribus continuis diebus dominicis aliisque festis de praecepto in ecclesia inter Missarum sollemnia, aut inter alia divina officia ad quae populus frequens accedat.**

CAN, 1025.

**Potest loci Ordinarius pro suo territorio publicationibus substituere publicam, ad valvas ecclesiae paroecialis aliusve ecclesiae, affixionem nominum contrahentium per spatium saltem octo dierum, ita tamen ut, hoc spatio, duo dies festi de praecepto comprehendantur.**

CAN. 1026.

**Publicationes ne fiant pro matrimoniis quae contrahuntur cum dispensatione ab impedimento disparitatis cultus aut mixtae religionis, nisi loci Ordinarius pro sua prudentia, remoto scandalo, eas permittere opportunum duxerit, dummodo apostolica dispensatio praecesserit et mentio omittatur religionis partis non catholicae.**

CAN. 1027.

**Omnes fideles tenentur impedimenta, si qua norint, parocho aut loci Ordinario, ante matrimonii celebrationem, revelare.**

CAN. **1028.**

**§ 1. Loci Ordinarius proprius pro suo prudenti iudicio potest ex legitima causa a publicationibus etiam in aliena dioecesi faciendis dispensare.**

**§ 2. Si plures sint Ordinarii proprii, ille ius habet dispensandi, in cuius dioecesi matrimonium celebratur; quod si matrimonium extra proprias ineatur dioeceses, quilibet Ordinarius proprius dispensare potest.**

CAN. **1029.**

**Si alius parochus investigationem aut publicationes peregerit, de harum exitu statim per authenticum documentum certiorem reddat parochum, qui matrimonio assistere debet.**

CAN. **1030.**

**§ 1. Peractis investigationibus et publicationibus, parochus matrimonio ne assistat, antequam omnia documenta necessaria receperit, et praeterea, nisi rationabilis causa aliud postulet, tres dies decurrerint ab ultima publicatione.**

**§ 2. Si intra sex menses matrimonium contractum non fuerit, publicationes repetantur, nisi aliud loci Ordinario videatur.**

CAN. **1031.**

**§ 1. Exorto dubio de exsistentia alicuius impedimenti :**

**1.° Parochus rem accuratius investiget, interrogando sub iuramento duos saltem testes fide dignos, dummodo ne agatur de impedimento ex cuius notitia infamia partibus oriatur, et, si necesse fuerit, ipsas quoque partes;**

**2.° Publicationes peragat vel perficiat, si dubium ortum sit ante inceptas vel expletas publicationes;**

**3.° Matrimonio ne assistat, inconsulto Ordinario, si dubium adhuc superesse prudenter iudicaverit.**

**§ 2. «Detecto impedimento certo :**

**1.° Si impedimentum sit occultum, parochus publicationes peragat vel absolvat, et rem deferat, reticens nomina, ad loci Ordinarium vel ad Sacram Poenitentiariam;**

**2.° Si sit publicum et detegatur ante inceptas publicationes, parochus ulterius ne procedat, donec impedimentum removeatur, etsi dispensationem pro foro conscientiae tantum obtentam norit; si detegatur post primam aut secundam publicationem, parochus publicationes perficiat, et rem ad Ordinarium deferat.**

**§ 3. Demum si nullum detectum fuerit impedimentum, nec dubium nec certum, parochus, expletis publicationibus, ad matrimonii celebrationem partes admittat.**

CAN. **1032.**

**Matrimonio vagorum de quibus in can. 91, parochus, excepto casu necessitatis, nunquam assistat, nisi, re ad loci Ordinarium vel ad sacerdotem ab eo delegatum delata, licentiam assistendi obtinuerit.**

CAN. 1033.

**Ne omittat parochus, secundum diversam personarum conditionem, sponsos docere sanctitatem sacramenti matrimonii, mutuas coniugum obligationes et obligationes parentum erga prolem; eosdemque vehementer adhortetur ut ante-matrimonii celebrationem sua peccata diligenter confiteantur, et sanctissimam Eucharistiam pie recipiant.**

CAN. 1034.

**Parochus graviter filiosfamilias minores hortetur ne nuptias ineant, insciis aut rationabiliter invitis parentibus; quod si abnuerint, eorum matrimonio ne assistat, nisi consulto prius loci Ordinario.**

•

CAPUT **II.**

***De impedimentis in genere.***

CAN. 1035.

**Omnes possunt matrimonium contrahere, qui iure non prohibentur.**

CAN. 1036.

§ 1. **Impedimentum *impediens* continet gravem prohibitionem contrahendi matrimonium; quod tamen irritum non redditur si, non obstante impedimento, contrahatur.**

**§ 2. Impedimentum *dirimens* et graviter prohibet matrimonium contrahendum, et impedit quominus valide contrahatur.**

§ 3. **Quanquam impedimentum ex una tantum parte se habet, matrimonium tamen reddit aut illicitum aut invalidum.**

CAN. 1037.

**Publicum censetur impedimentum quod probari in foro externo potest; secus est occultum.**

CAN. 1038. *

§ 1. **Supremae tantum auctoritatis ecclesiasticae est authentice declarare quandonam ius divinum matrimonium impediat vel dirimat.**

**§ 2. Eidem supremae auctoritati privative ius est alia impedimenta matrimonium impedientia vel dirimentia pro baptizatis constituendi per modum legis sive universalis sive particularis.**

CAN. 1039.

§ 1. **Ordinarii locorum omnibus in suo territorio actu commorantibus et suis subditis etiam extra fines sui territorii vetare possunt matrimonia in casu peculiari, sed ad tempus tantum, iusta de causa eaque perdurante.**

**§ 2. Vetito clausulam irritantem una Sedes Apostolica addere potest.**

CAN. 1040.

**Praeter Romanum Pontificem, nemo potest impedimenta iuris ecclesiastici sive impedientia sive dirimentia abrogare, aut illis derogare; item**

**nec in eisdem dispensare, nisi iure communi vel speciali indulto a Sede Apostolica haec potestas concessa fuerit.**

CAN. 1041.

**Consuetudo novum impedimentum inducens aut impedimentis exsistentibus contraria reprobatur.**

CAN. 1042.

§ 1. **Impedimenta alia sunt *gradus minoris,* alia *maioris.***

§ 2. **Impedimenta gradus minoris sunt :**

1.° **Consanguinitas in tertio gradu lineae collateralis;**

2.° **Affinitas in secundo gradu lineae collateralis;**

3.° **Publica honestas in secundo gradu;**

4.° **Cognatio spiritualis;**

5.° **Crimen ex adulterio cum promissione vel attentatione matrimonii etiam per civilem tantum actum.**

§ 3. **Impedimenta maioris gradus alia sunt omnia.**

CAN. 1043.

**Urgente mortis periculo, locorum Ordinarii, ad consulendum conscientiae et, si casus ferat, legitimationi prolis, possunt tum super forma in matrimonii celebratione servanda, tum super omnibus et singulis impedimentis iuris ecclesiastici, sive publicis sive occultis, etiam multiplicibus, exceptis impedimentis provenientibus ex sacro presbyteratus ordine et ex affinitate in linea recta, consummato matrimonio, dispensare proprios subditos ubique commorantes et omnes in proprio territorio actu degentes, remoto scandalo, et, si dispensatio concedatur super cultus disparitate aut mixta religione, praestitis consuetis cautionibus.**

CAN. 1044.

**In eisdem rerum adiunctis de quibus in can.** 1043 **et solum pro casibus in quibus ne loci quidem Ordinarius adiri possit, eadem dispensandi facultate pollet tum parochus, tum sacerdos qui matrimonio, ad normam can.** 1098, **n.** 2, **assistit, tum confessarius, sed hic pro foro interno in actu sacramentalis confessionis tantum.**

CAN. 1045.

§ 1. **Possunt Ordinarii locorum, sub clausulis in fine can.** 1043 **statutis, dispensationem concedere super omnibus impedimentis de quibus in cit. can.** 1043, **quoties impedimentum detegatur, cum iam omnia sunt parata ad nuptias, nec matrimonium, sine probabili gravis mali periculo, differri possit usque dum a Sancta Sede dispensatio obtineatur.**

§ 2. **Haec facultas valeat quoque pro convalidatione matrimonii iam contracti, si idem periculum sit in mora nec tempus suppetat recurrendi ad Sanctam Sedem.**

§ 3. **In iisdem rerum adiunctis, eadem facultate gaudeant omnes de quibus in can.** 1044, **sed solum pro casibus occultis in quibus ne loci quidem Ordinarius adiri possit, vel nonnisi cum periculo violationis secreti.**

CAN. 1046.

**Parochus aut sacerdos de quo in can.** 1044, **de concessa dispensatione pro foro externo Ordinarium loci statim certiorem faciat; eaque adnotetur in libro matrimoniorum.**

CAN. 1047.

**Nisi aliud ferat S. Poenitentiariae rescriptum, dispensatio in foro interno non sacramentali concessa super impedimento occulto, adnotetur in libro diligenter in secreto Curiae archivo de quo in can.** 379 **asservando, nec alia dispensatio pro foro externo est necessaria, etsi postea occultum impedimentum publicum evaserit; sed est necessaria, si dispensatio concessa fuerat' tantum in foro interno sacramentali.**

CAN. 1048.

**Si petitio dispensationis ad Sanctam Sedem missa sit, Ordinarii locorum suis facultatibus, si quas habeant, ne utantur, nisi ad normam can.** 204, § 2.

CAN. 1049.

§ 1. **In matrimoniis sive contractis sive contrahendis, qui gaudet indulto generali dispensandi super certo quodam impedimento, potest, nisi in ipso indulto aliud expresse praescribatur, super eo dispensare etiamsi idem impedimentum multiplex sit.**

§ 2. **Qui habet indultum generale dispensandi super pluribus diversae speciei impedimentis, sive dirimentibus sive impedientibus, potest dispensare super iisdem impedimentis, etiam publicis, in uno eodemque casu occurrentibus.**

CAN. 1050.

**Si quando cum impedimento seu impedimentis publicis super quibus ex indulto dispensare quis potest, concurrat aliud impedimentum super quo dispensare nequeat, pro omnibus Sedes Apostolica adiri debet; si tamen impedimentum seu impedimenta super quibus dispensare potest, comperiantur post impetratam a Sancta Sede dispensationem, suis facultatibus uti poterit.**

CAN. 1051.

**Per dispensationem super impedimento dirimente concessam sive ex potestate ordinaria, sive ex potestate delegata per indultum generale, non vero per rescriptum in casibus particularibus, conceditur quoque eo ipso legitimatio prolis, si qua ex iis cum quibus dispensatur iam nata vel concepta fuerit, excepta tamen adulterina et sacrilega.**

CAN. 1052.

**Dispensatio ab impedimento consanguinitatis vel affinitatis, concessa in aliquo impedimenti gradu, valet, licet in petitione vel in concessione error circa gradum irrepserit, dummodo gradus revera exsistens sit infe-**

rior, aut licet reticitum fuerit aliud impedimentum eiusdem speciei in aequali vel inferiori gradu.

CAN. **1053.**

**Data a Sancta Sede dispensatio super matrimonio rato et non consummato vel facta permissio transitus ad alias nuptias ob praesumptam coniugis mortem, secumfert semper dispensationem ab impedimento proveniente ex adulterio cum promissione vel attentatione matrimonii, si qua opus sit, minime vero dispensationem ab impedimento de quo in can. 1075, nn. 2, 3.**

CAN. **1054.**

**Dispensatio a minore impedimento concessa, nullo sive obreptionis sive subreptionis vitio irritatur, etsi unica causa finalis in precibus exposita falsa fuerit.**

CAN. **1055.**

**Dispensationes super publicis impedimentis Ordinario oratorum commissas, exsequatur Ordinarius qui litteras testimoniales dedit vel preces transmisit ad Sedem Apostolicam, etiamsi sponsi, quo tempore exsecutioni danda est dispensatio, relicto illius dioecesis domicilio aut quasi-domicilio; in aliam dioecesim discesserint non amplius reversuri, monito tamen Ordinario loci in quo matrimonium contrahere cupiunt.**

CAN. **1056.**

**Excepta modica aliqua praestatione ex titulo expensarum cancellariae in dispensationibus pro non pauperibus, locorum Ordinarii eorumve officiales, reprobata quavis contraria consuetudine, nequeunt, occasione concessae dispensationis, emolumentum ullum exigere, nisi haec facultas a Sancta Sede expresse eis data fuerit; et si exegerint, tenentur ad restitutionem.**

CAN. **1057.**

**Qui ex potestate a Sede Apostolica delegata dispensationem concedunt, in eadem expressam pontificii indulti mentionem faciant.**

## CAPUT III.

### *De impedimentis impedientibus.*

CAN. **1058.**

**§ 1. Matrimonium impedit votum simplex virginitatis, castitatis perfectae, non nubendi, suscipiendi ordines sacros et amplectendi statum religiosum.**

**§ 2. Nullum votum simplex irritat matrimonium, nisi irritatio speciali Sedis Apostolicae praescripto pro aliquibus statuta fuerit.**

CAN. **1059.**

**In iis regionibus ubi lege civili legalis cognatio, ex adoptione orta, nuptias reddit illicitas, iure quoque canonico matrimonium illicitum est.**

CAN. **1060.**

**Severissime Ecclesia ubique prohibet ne matrimonium ineatur inter duas personas baptizatas, quarum altera sit catholica, altera vero sectae haereticae seu schismaticae adscripta; quod si adsit perversionis periculum coniugis catholici et prolis, coniugium ipsa etiam lege divina vetatur.**

CAN. **1061.**

**§ 1. Ecclesia super impedimento mixtae religionis non dispensat, nisi :**

**1.° Urgeant iustae ac graves causae;**

**2.° Cautionem praestiterit coniux acatholicus de amovendo a coniuge catholico perversionis periculo, et uterque coniux de universa prole catholice tantum baptizanda et educanda;**

**¿$.° Moralis habeatur certitudo de cautionum implemento.**

**§ 2. Cautiones regulariter in scriptis exigantur.**

CAN. **1062.**

**Coniux catholicus obligatione tenetur conversionem coniugis acatholici prudenter curandi.**

CAN. **1063.**

**§ 1. Etsi ab Ecclesia obtenta sit dispensatio super impedimento mixtae religionis, coniuges nequeunt, vel ante vel post matrimonium coram Ecclesia initum, adire quoque, sive per se sive per procuratorem, ministrum acatholicum uti sacris addictum, ad matrimonialem consensum praestandum vel renovandum.**

**§ 2. Si parochus certe noverit sponsos hanc legem violaturos esse vel iam violasse, eorum matrimonio ne assistat, nisi ex gravissimis causis, remoto scandalo et consulto prius Ordinario.**

**§ 3. Non improbatur tamen quod, lege civili iubente, coniuges se sistant etiam coram ministro acatholico, officialis civilis tantum munere fungente, idque ad actum civilem dumtaxat explendum, effectuum civilium gratia.**

CAN. **1064.**

**Ordinarii aliique animarum pastores :**

**1.° Fideles a mixtis nuptiis, quantum possunt, absterreant;**

**2.° Si eas impedire non valeant, omni studio curent ne contra Dei et Ecclesiae leges contrahantur;**

**3.° Mixtis nuptiis celebratis sive in proprio sive in alieno territorio, sedulo invigilent ut coniuges promissiones factas fideliter impleant;**

**4.° Assistentes matrimonio servent praescriptum can. 1102.**

CAN. **1065.**

**§ 1. Absterreantur quoque fideles a matrimonio contrahendo cum iis qui notorie aut catholicam fidem abiecerunt, etsi ad sectam acatholicam non transierint, aut societatibus ab Ecclesia damnatis adscripti sunt.**

**§ 2. Parochus praedictis nuptiis ne assistat, nisi consulto Ordinario, qui, inspectis omnibus rei adiunctis, ei permittere poterit ut matrimonio intersit, dummodo urgeat gravis causa et pro suo prudenti arbitrio Ordinarius iudicet satis cautum esse catholicae educationi universae prolis et remotioni periculi perversionis alterius coniugis.**

CAN. **1066.**

**Si publicus peccator aut censura notorie innodatus prius ad sacramentalem confessionem accedere aut cum Ecclesia reconciliari recusaverit, parochus eius matrimonio ne assistat, nisi gravis urgeat causa, de qua, si fieri possit, consulat Ordinarium.**

## CAPUT **IV.**

## *De impedimentis dirimentibus.*

CAN. **1067.**

**§ 1. Vir ante decimum sextum aetatis annum completum, mulier ante decimum quartum item completum, matrimonium validum inire non possunt.**

**§ 2. Licet matrimonium post praedictam aetatem contractum validum sit, curent tamen animarum pastores ab eo avertere iuvenes ante aetatem, qua, secundum regionis receptos mores, matrimonium iniri solet.**

CAN. **1068.**

**§ 1. Impotentia antecedens et perpetua, sive ex parte viri sive ex parte mulieris, sive alteri cognita sive non, sive absoluta sive relativa, matrimonium ipso naturae iure dirimit.**

**§ 2. Si impedimentum impotentiae dubium sit, sive dubio iuris sive dubio facti, matrimonium non est impediendum.**

**§ 3. Sterilitas matrimonium nec dirimit nec impedit.**

CAN. **1069.**

**§ 1. Invalide matrimonium attentat qui vinculo tenetur prioris matrimonii, quanquam non consummati, salvo privilegio fidei, s**

**§ 2. Quamvis prius matrimonium sit irritum aut solutum qualibet ex causa, non ideo licet aliud contrahere, antequam de prioris nullitate aut solutione legitime et certo constiterit.**

CAN. **1070.**

**§ 1. Nullum est matrimonium contractum a persona non baptizata cum persona baptizata in Ecclesia catholica vel ad eandem ex haeresi aut schismate conversa.**

**§ 2. Si pars tempore contracti matrimonii tanquam baptizata communiter habebatur aut eius baptismus erat dubius, standum est, ad normam can. 1014, pro valore matrimonii, donec certo probetur alteram partem baptizatam esse, alteram vero non baptizatam.**

CAN. **1071.**

**Quae de mixtis nuptiis in canonibus 1060-1064 praescripta sunt, applicari quoque debent matrimoniis quibus obstat impedimentum disparitatis cultus.**

CAN. **1072.**

**Invalide matrimonium attentant clerici in sacris ordinibus constituti.**

CAN. **1073.**

**Item invalide matrimonium attentant religiosi qui vota sollemnia professi sint, aut vota simplicia, quibus ëx speciali Sedis Apostolicae praescripto vis addita sit nuptias irritandi.**

CAN. **1074.**

**§ 1. Inter virum raptorem et mulierem, intuitu matrimonii raptam, quandiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum potest consistere matrimonium.**

**§ 2. Quod si rapta, a raptore separata et in loco tuto ac libero constituta, illum in virum habere consenserit, impedimentum cessat.**

**§ 3. Quod ad matrimonii nullitatem attinet, raptui par habetur violenta retentio mulieris, cum nempe vir mulierem in loco ubi ea commoratur vel ad quem libere accessit, violenter intuitu matrimonii detinet.**

CAN. **1075.**

**Valide contrahere nequeunt matrimonium :**

**1.° Qui, perdurante eodem legitimo matrimonio, adulterium inter se consummarunt et fidem sibi mutuo dederunt de matrimonio ineundo vel ipsum matrimonium, etiam per civilem tantum actum, attentarunt;**

**2.° Qui, perdurante pariter eodem legitimo matrimonio, adulterium inter se consummarunt eorumque alter coniugicidium patravit;**

**3.° Qui mutua opera physica vel morali, etiam sine adulterio, mortem coniugi intulerunt.**

CAN. **1076.**

**§ 1. In linea recta consanguinitatis matrimonium irritum est inter omnes ascendentes et descendentes tum legitimos tum naturales.**

**§ 2. In linea collaterali irritum est usque ad tertium gradum inclusive, ita tamen ut matrimonii impedimentum toties tantum multiplicetur quoties communis stipes multiplicatur.**

**§ 3. Nunquam matrimonium permittatur, si quod subsit dubium num partes sint consanguineae in aliquo gradu lineae rectae aut in primo gradu lineae collateralis.**

CAN. **1077.**

**§ 1. Affinitas in linea recta dirimit matrimonium in quolibet gradu; in linea collaterali usque ad secundum gradum inclusive.**

**§ 2. Affinitatis impedimentum multiplicatur :**

**1.° Quoties multiplicatur impedimentum consanguinitatis a quo procedit;**

**2.° Iterato successive matrimonio cum consanguineo coniugis defuncti.**

CAN. **1078.**

**Impedimentum publicae honestatis oritur ex matrimonio invalido, sive consummato sive non, et ex publico vel notorio concubinatu; et nuptias dirimit in primo et secundo gradu lineae rectae inter virum et consanguineas mulieris, ac vice versa.**

CAN. **1079.**

**Ea tantum spiritualis cognatio matrimonium irritat, de qua in can. 768.**

CAN. **1080.**

**Qui lege civili inhabiles ad nuptias inter se ieundas habentur ob cognationem legalem ex adoptione ortam, nequeunt vi iuris canonici matrimonium inter se valide contrahere.**

CAPUT V.

## *De consensu matrimoniali.*

CAN. **1081.**

**§ 1. Matrimonium facit partium consensus inter personas iure habiles legitime manifestatus; qui nulla humana potestate suppleri valet.**

**§ 2. Consensus matrimonialis est actus voluntatis quo utraque pars tradit et acceptat ius in corpus, perpetuum et exclusivum, in ordine ad actus per se aptos ad prolis generationem.**

CAN. **1082.**

**§ 1. Ut matrimonialis consensus haberi possit, necesse est ut contrahentes saltem non ignorent matrimonium esse societatem permanentem inter virum et mulierem ad filios procreandos.**

**§ 2. Haec ignorantia post pubertatem non praesumitur.**

CAN. **1083.**

**§ 1. Error circa personam invalidum reddit matrimonium.**

**§ 2. Error circa qualitatem personae, etsi det causam contractui, matrimonium irritat tantum :**

**1.° Si error qualitatis redundet in errorem personae;**

**2.° Si persona libera matrimonium contrahat cum persona quam liberam putat, cum contra sit serva, servitute proprie dicta.**

CAN. **1084.**

**Simplex error circa matrimonii unitatem vel indissolubilitatem aut sacramentalem dignitatem, etsi det causam contractui, non vitiat consensum matrimonialem.**

CAN. **1085.**

**Scientia aut opinio nullitatis matrimonii consensum matrimonialem necessario non excludit.**

CAN. 1086.

**§ 1. Internus animi consensus semper praesumitur conformis verbis vel signis in celebrando matrimonio adhibitis.**

**§ 2. At si alterutra vel utraque pars positivo voluntatis actu excludat matrimonium ipsum, aut omne ius ad coniugalem actum, vel essentialem aliquam matrimonii proprietatem, invalide contrahit.**

CAN. **1087.**

**§ 1. Invalidum quoque est matrimonium initum ob vim vel metum gravem ab extrinseco et iniuste incussum, a quo ut quis se liberet, eligere cogatur matrimonium.**

**§ 2. Nullus alius metus, etiamsi det causam contractui, matrimonii nullitatem secumfert.**

CAN. **1088.**

**§ 1. Ad matrimonium valide contrahendum necesse est ut contrahentes sint praesentes sive per se ipsi sive per procuratorem.**

**§ 2. Sponsi matrimonialem consensum exprimant verbis; nec aequipollentia signa adhibere ipsis licet, si loqui possint.**

CAN. **1089.**

**§ 1. Firmis dioecesanis statutis desuper additis, ut matrimonium per procuratorem valide ineatur, requiritur mandatum speciale ad contrahendum cum certa persona, subscriptum a mandante et vel a parocho aut Ordinario loci in quo mandatum fit, vel a sacerdote ab alterutro delegato, vel a duobus saltem testibus.**

**§ 2. Si mandans scribere nesciat, id in ipso mandato adnotetur et alius testis addatur qui scripturam ipse quoque subsignet; secus mandatum irritum est.**

**§ 3. Si, antequam procurator nomine mandantis contraxerit, hic mandatum revocaverit aut in amentiam inciderit, invalidum est matrimonium, licet sive procurator sive alia pars contrahens haec ignoraverint.**

**§ 4. Ut matrimonium validum sit, procurator debet munere suo per se ipse fungi.**

CAN. **1090.**

**Matrimonium per interpretem quoque contrahi potest.**

CAN. 1091.

**Matrimonio per procuratorem vel per interpretem contrahendo parochus ne assistat, nisi adsit iusta causa et de authenticitate mandati vel de interpretis fide dubitari nullo modo liceat, habita, si tempus suppetat, Ordinarii licentia.**

CAN. **1092.**

**Conditio semel apposita et non revocata :**

**1.° Si sit de futuro necessaria vel impossibilis vel turpis, sed non contra matrimonii substantiam, pro non adiecta habeatur;**

**2.° Si de futuro contra matrimonii substantiam, illud reddit invalidum;**

**3.° Si de futuro licita, valorem matrimonii suspendit;**

**4.° Si de praeterito vel de praesenti, matrimonium erit validum vel non, prout id quod conditioni subest, exsistit vel non.**

CAN. **1093.**

**Etsi matrimonium invalide ratione impedimenti initum fuerit, consensus praestitus praesumitur perseverare, donec de eius revocatione constiterit.**

CAPUT **VI.**

## *De forma celebrationis matrimonii.*

CAN. **1094.**

**Ea tantum matrimonia valida sunt quae contrahuntur coram parocho, vel loci Ordinario, vel sacerdote ab alterutro delegato et duobus saltem testibus, secundum tamen regulas expressas in canonibus qui sequuntur, et salvis exceptionibus de quibus in can. 1098, 1099.**

CAN. **1095.**

**§ 1. Parochus et loci Ordinarius valide matrimonio assistunt :**

**1.° A die tantummodo adeptae canonicae possessionis beneficii ad normam can. 334, § 3, 1444, § 1, vel initi officii, nisi per sententiam fuerint excommunicati vel interdicti vel suspensi ab officio aut tales declarati;**

**2.° Intra fines dumtaxat sui territorii; in quo matrimoniis nedum suorum subditorum, sed etiam non subditorum valide assistunt;**

**3.° Dummodo neque vi neque metu gravi constricti requirant excipiantque contrahentium consensum.**

**§ 2. Parochus et loci Ordinarius qui matrimonio possunt valide assistere, possunt quoque alii sacerdoti licentiam dare ut intra fines sui territorii matrimonio valide assistat.**

CAN. **1096.**

**§ 1. Licentia assistendi matrimonio concessa ad normam can. 1095, § 2, dari expresse debet sacerdoti determinato ad matrimonium determinatum, exclusis quibuslibet delegationibus generalibus, nisi agatur de vicariis cooperatoribus pro paroecia cui addicti sunt; secus irrita est.**

**§ 2. Parochus vel loci Ordinarius licentiam ne concedat, nisi expletis omnibus quae ius constituit pro libertate status comprobanda."**

CAN. 1097.

§ 1. **Parochus autem vel loci Ordinarius matrimonio licite assistunt :**

1.° **Constito sibi legitime de libero statu contrahentium ad normam iuris;**

2.° **Constito insuper de domicilio vel quasi-domicilio vel menstrua commoratione aut, si de vago agatur, actuali commoratione alterutrius contrahentis in loco matrimonii;**

3.° **Habita, si conditiones deficiant de quibus n.** 2, **licentia parochi vel Ordinarii domicilii vel quasi-domicilii aut menstruae commorationis alterutrius contrahentis, nisi vel de vagis actu itinerantibus res sit, qui nullibi commorationis sedem habent, vel gravis necessitas intercedat quae a licentia petenda excuset.**

§ 2. **In quolibet casu pro regula habeatur ut matrimonium coram sponsae parocho celebretur, nisi iusta causa excuset; matrimonia autem catholicorum mixti ritus, nisi aliud particulari iure cautum sit, in ritu viri et coram eiusdem parocho sunt celebranda.**

§ 3. **Parochus qui sine licentia iure requisita matrimonio assistit, emolumenta stolae non facit sua, eaque proprio contrahentium parocho remittat.**

CAN. 1098.

**Si haberi vel adiri nequeat sine gravi incommodo parochus vel Ordinarius vel sacerdos delegatus qui matrimonio assistant ad normam canonum** 1095, 1096 :

1.° **In mortis periculo validum et licitum est matrimonium contractum coram solis testibus; et etiam extra mortis periculum, dummodo prudenter praevideatur eam rerum conditionem esse per mensem duraturam;**

2.° **In utroque casu, si praesto sit alius sacerdos qui adesse possit, vocari et, una cum testibus, matrimonio assistere debet, salva coniugii validitate coram solis testibus.**

CAN. 1099.

§ 1. **Ad statutam superius formam servandam tenentur :**

1.° **Omnes in catholica Ecclesia baptizati et ad eam ex haeresi aut schismate conversi, licet sive hi sive illi ab eadem postea defecerint,[4]' quoties inter se matrimonium ineunt;**

2.° **Iidem, de quibus supra, si cum acatholicis sive baptizatis sive non baptizatis etiam post obtentam dispensationem ab impedimento mixtae religionis vel disparitatis cultus matrimonium contrahant;**

3.° **Orientales, si cum latinis contrahant hac forma adstrictis.**

§ 2. **Firmo autem praescripto §** 1, **n.** 1, **acatholici sive baptizati sive non baptizati, si inter se contrahant, nullibi tenentur ad catholicam matrimonii formam servandam; item ab acatholicis nati, etsi in Ecclesia catholica baptizati, qui ab infantili aetate in haeresi vel schismate aut infidelitate vel sine ulla religione adoleverunt, quoties cum parte acatholica contraxerint.**

CAN. **1100.**

**Extra casum necessitatis, in matrimonii celebratione serventur ritus in libris ritualibus ab Ecclesia probatis praescripti aut laudabilibus consuetudinibus recepti.**

CAN. **1101.**

**§ 1. Parochus curet ut sponsi benedictionem sollemnem accipiant, quae dari eis potest etiam postquam diu vixerint in matrimonio, sed solum in Missa, servata speciali rubrica et excepto tempore f eriato.**

**§ 2. Sollemnem benedictionem ille tantum sacerdos per se ipse vel per alium dare potest, qui valide et licite matrimonio potest assistere.**

CAN. **1102.**

**§ 1. In matrimoniis inter partem catholicam et partem acatholicam interrogationes de consensu fieri debent secundum praescriptum can. 1095, § 1, n. 3.**

**§ 2. Sed omnes sacri ritus prohibentur; quod si ex hac prohibitione graviora mala praevideantur, Ordinarius potest aliquam ex consuetis ecclesiasticis caeremoniis, exclusa semper Missae celebratione, permittere.**

CAN. **1103.**

**§ 1. Celebrato matrimonio, parochus vel qui eius vices gerit, quamprimum describat in libro matrimoniorum nomina coniugum ac testium, locum et diem celebrati matrimonii atque alia secundum modum in libris ritualibus et a proprio Ordinario praescriptum; idque licet alius sacerdos vel a se vel ab Ordinario delegatus matrimonio adstiterit.**

**§ 2. Praeterea, ad normam can. 470, § 2, parochus in libro quoque baptizatorum adnotet coniugem tali die in sua paroecia matrimonium contraxisse. Quod si coniux alibi baptizatus fuerit, matrimonii parochus notitiam initi contractus ad parochum baptismi sive per se sive per Curiam episcopalem transmittat, ut matrimonium in baptizatorum librum referatur.**

**§ 3. Quoties matrimonium ad normam can. 1098 contrahitur, sacerdos, si eidem adstiterit, secus testes tenentur in solidum cum contrahentibus curare ut initum coniugium in praescriptis libris quamprimum adnotetur.**

CAPUT **VII.**

## *De matrimonio conscientiae.*

CAN. **1104.**

**Nonnisi ex gravissima et urgentissima causa et ab ipso loci Ordinario, excluso Vicario Generali sine speciali mandato, permitti potest ut *matrimonium conscientiae* ineatur, idest matrimonium celebretur omissis denuntiationibus et secreto, ad normam canonum qui sequuntur.**

CAN. **1105.**

**Permissio celebrationis matrimonii conscientiae secumfert promissionem et gravem obligationem secreti servandi ex parte sacerdotis assi-**

**stentis, testium, Ordinarii eiusque successorum, et etiam alterius coniugis, altero non consentiente divulgationi.**

### CAN. 1106.

**Huius promissionis obligatio ex parte Ordinarii non extenditur ad casum quo vel aliquod scandalum aut gravis erga matrimonii sanctitatem iniuria ex secreti observantia immineat, vel parentes non curent filios ex tali matrimonio susceptos baptizari aut eos baptizandos curent falsis expressis nominibus, quin interim Ordinario intra triginta dies notitiam prolis susceptae et baptizatae cum sincera indicatione parentum praebeant, vel christianam filiorum educationem negligant.**

### OiN. 1107.

**Matrimonium conscientiae non est adnotandum in consueto matrimoniorum ac baptizatorum libro, sed in peculiari libro servando in secreto Curiae archivo de quo in can. 379.**

## CAPUT VIII.

## *De tempore et loco celebrationis matrimonii.*

### CAN. 1108.

**§ 1. Matrimonium quolibet anni tempore contrahi potest.**

**§ 2. Sollemnis tantum nuptiarum benedictio vetatur a prima dominica Adventus usque ad diem Nativitatis Domini inclusive, et a feria IV Cinerum usque ad dominicam Paschatis inclusive.**

**§ 3. Ordinarii tamen locorum possunt, salvis legibus liturgicis, etiam praedictis temporibus eam permittere ex iusta causa, monitis sponsis ut a nimia pompa abstineant.**

**§ 1. Matrimonium inter catholicos celebretur in ecclesia paroeciali; in alia autem ecclesia vel oratorio sive publico sive semi-publico, nonnisi de licentia Ordinarii loci vel parochi celebrari poterit.**

**§ 2. Matrimonium in aedibus privatis celebrari Ordinarii locorum in extraordinario tantum aliquo casu et accedente semper iusta ac rationabili causa permittere possunt; sed in ecclesiis vel oratoriis sive Seminarii sive religiosarum, Ordinarii id ne permittant, nisi urgente necessitate, ac opportunis adhibitis cautelis.**

**§ 3. Matrimonia vero inter partem catholicam et partem acatholicam extra ecclesiam celebrentur; quod si Ordinarius prudenter iudicet id servari non posse quin graviora oriantur mala, prudenti eius arbitrio committitur hac super re dispensare, firmo tamen praescripto can. 1102, § 2.**

## CAPUT "IX.

### *De matrimonii effectibus.*

CAN. **1110.**

**Ex valido matrimonio enascitur inter coniuges vinculum natura sua perpetuum et exclusivum; matrimonium praeterea christianum coniugibus non ponentibus obicem gratiam confert.**

CAN. Illi.

**Utrique coniugi ab ipso matrimonii initio aequum ius et officium est quod attinet ad actus proprios coniugalis vitae.**

CAN. **1112.**

**Nisi iure speciali aliud cautum sit, uxor, circa canonicos effectus, particeps efficitur status mariti.**

CAN. **1113.**

**Parentes gravissima obligatione tenentur prolis educationem tum religiosam et moralem, tum physicam et civilem pro viribus curandi, et etiam temporali eorum bono providendi.**

CAN. **1114.**

**Legitimi sunt filii concepti aut nati ex matrimonio valido vel putativo, nisi parentibus ob sollemnem professionem religiosam vel susceptum ordinem sacrum prohibitus tempore conceptionis fuerit usus matrimonii antea contracti.**

CAN. **1115.**

**§ 1. Pater is est quem iustae nuptiae demonstrant, nisi evidentibus argumentis contrarium probetur.**

**§ 2. Legitimi praesumuntur filii qui nati sunt saltem post sex menses a die celebrati matrimonii, vel intra decem menses a die dissolutae vitae coniugalis.**

CAN. **1116.**

**Per subsequens parentum matrimonium sive verum sive putativum, sive noviter contractum sive convalidatum, etiam non consummatum, legitima efficitur proles, dummodo parentes habiles exstiterint ad matrimonium inter se contrahendum tempore conceptionis, vel praegnationis, vel nativitatis.**

CAN. **1117.**

**Filii legitimati per subsequens matrimonium, ad effectus canonicos quod attinet, in omnibus aequiparantur legitimis, nisi aliud expresse cautum fuerit.**

## CAPUT X.

## *De separatione coniugum.*

### ART. I. — De *dissolutione vimculi.*

#### CAN. 1118.

Matrimonium validum ratum et consummatum nulla humana potestate nullaque causa, praeterquam morte, dissolvi potest.

#### CAN. 1119.

Matrimonium non consummatum inter baptizatos vel inter partem baptizatam[7] et partem non baptizatam, dissolvitur tum ipso iure per sollemnem professionem religiosam, tum per dispensationem a Sede Apostolica ex iusta causa concessam, utraque parte rogante vel alterutra, etsi altera sit invita.

#### CAN. 1120.

§ 1. Legitimum inter non baptizatos matrimonium, licet consummatum, solvitur in favorem fidei ex privilegio Paulino.

§ 2. Hoc privilegium non obtinet in matrimonio inter partem baptizatam et partem non baptizatam inito cum dispensatione ab impedimento disparitatis cultus.

#### CAN. 1121.

§ 1. Antequam coniux conversus et baptizatus novum matrimonium valide contrahat, debet, salvo praescripto can. 1125, partem non baptizatam interpellare :

1.° An velit et ipsa converti ac baptismum suscipere;

2.° An saltem velit secum cohabitare pacifice sine contumelia Creatoris.

§ 2. Hae interpellationes fieri semper debent, nisi Sedes Apostolica aliud declaraverit.

#### CAN. 1122.

§ 1. Interpellationes fiant regulariter, forma saltem summaria et extraiudiciali, de auctoritate Ordinarii coniugis conversi, a quo Ordinario concedendae sunt quoque coniugi infideli, si quidem eas petierit, induciae ad deliberandum, eo tamen monito, fore ut, induciis inutiliter praeterlapsis, responsio praesumatur negativa.

§ 2. Interpellationes etiam privatim factae ab ipsa parte conversa, valent, imo sunt etiam licitae, si forma superius praescripta servari nequeat; hoc tamen in casu de ipsis, pro foro externo, constare debet duobus saltem testibus vel alio legitimo probationis modo.

#### CAN. 1123.

Si interpellationes ex declaratione Sedis Apostolicae omissae fuerint, aut si infidelis eisdem negative responderit expresse vel tacite, pars

**baptizata ius habet novas nuptias cum persona catholica contrahendi, nisi ipsa post baptismum dederit parti non baptizatae iustam discedendi causam.**

CAN. **1124.**

**Coniux fidelis, licet post susceptum baptismum denuo matrimonialiter cum parte infideli vixerit, ius tamen novas celebrandi nuptias cum persona catholica non amittit, ideoque potest hoc iure uti, si coniux infidelis, mutata voluntate, postea discedat sine iusta causa, vel iam non cohabitet pacifice sine contumelia Creatoris.**

CAN. **1125.**

**Ea quae matrimonium respiciunt in constitutionibus Pauli III *Altitudo,* 1 Iun. 1537; S. Pii V *Romani Pontificis,* 2 Aug. 1571; Gregorii XIII *Populis,* 25 Ian. 1585, quaeque pro peculiaribus locis scripta sunt, ad alias quoque regiones in eisdem adiunctis extenduntur.**

CAN. **1126.**

**Vinculum prioris coniugii, in infidelitate contracti, tunc tantum solvitur, cum pars fidelis reapse novas nuptias valide iniverit.**

CAN. **1127.**

**In re dubia privilegium fidei gaudet favore iuris.**

ART. **II. —** ***De separatione tori, mensae et habitationis.***

CAN. **1128.**

**Coniuges servare debent vitae coniugalis communionem, nisi iusta causa eos excuset.**

CAN. **1129.**

**§ 1. Propter coniugis adulterium, alter coniux, manente vinculo, ius habet solvendi, etiam in perpetuum, vitae communionem, nisi in crimen consenserit, aut eidem causam dederit, vel illud expresse alit tacite condonaverit, vel ipse quoque idem crimen commiserit.**

**§ 2. Tacita condonatio habetur, si coniux innocens, postquam de crimine adulterii certior factus est, cum altero coniuge sponte, maritali affectu, conversatus fuerit; praesumitur vero, nisi sex intra menses coniugem adulterum expulerit vel dereliquerit, aut legitimam accusationem fecerit.**

CAN. **1130.**

**Coniux innocens, sive iudicis sententia sive propria auctoritate legitime discesserit, nulla unquam obligatione tenetur coniugem adulterum rursus admittendi ad vitae consortium; potest autem eundem admittere aut revocare, nisi ex ipsius consensu ille statum matrimonio contrarium susceperit.**

CAN. **1131.**

**§ 1. Si alter coniux sectae acatholicae nomen dederit; si prolem acatholice educaverit; si vitam criminosam et ignominiosam ducat; si grave seu animae seu corporis periculum alteri facessat; si saevitiis vitam communem nimis difficilem reddat, haec aliaque id genus, sunt pro altero coniuge totidem legitimae causae discedendi, auctoritate Ordinarii loci, et etiam propria auctoritate, si de eis certo constet, et periculum sit in mora.**

**§ 2. In omnibus his casibus, causa separationis cessante, vitae consuetudo restauranda est; sed si separatio ab Ordinario pronuntiata fuerit ad certum incertumve tempus, coniux innocens ad id non obligatur, nisi ex decreto Ordinarii vel exacto tempore.**

CAN. **1132.**

**Instituta separatione, filii educandi sunt penes coniugem innocentem, et si alter coniugum sit acatholicus, penes coniugem catholicum, nisi in utroque casu Ordinarius pro ipsorum filiorum bono, salva semper eorundem catholica educatione, aliud decreverit.**

CAPUT **XI.**

## *De matrimonii convalidatione.*

### ART. **I. — De** *convalidatione simplici.*

CAN. **1133.**

**§ 1. Ad convalidandum matrimonium irritum ob impedimentum dirimens, requiritur ut cesset vel dispensetur impedimentum et consensum renovet saltem pars impedimenti conscia.**

**§ 2. Haec renovatio iure ecclesiastico requiritur ad validitatem, etiamsi initio utraque pars consensum praestiterit nec postea revocaverit.**

CAN. **1134.**

**Renovatio consensus debet esse novus voluntatis actus in matrimonium quod constet ab initio nullum fuisse.**

CAN. **1135.**

**§ 1. Si impedimentum sit publicum, consensus ab utraque parte renovandus est forma iure praescripta.**

**§ 2. Si sit occultum et utrique parti notum, satis est ut consensus ab utraque parte renovetur privatim et secreto.**

**§ 3. Si sit occultum et uni parti ignotum, satis est ut sola pars impedimenti conscia consensum privatim et secreto renovet, dummodo altera in consensu praestito perseveret.**

CAN. 1136.

**§ 1. Matrimonium irritum ob defectum consensus convalidatur, si pars quae non consenserat, iam consentiat, dummodo consensus ab altera parte praestitus perseveret.**

**§ 2. Si defectus consensus fuerit mere internus, satis est ut pars quae non consenserat, interius consentiat.**

§ 3. **Si fuerit etiam externus, necesse est consensum etiam exterius manifestare, vel forma iure praescripta, si defectus fuerit publicus, vel alio modo privato et secreto, si fuerit occultus.**

CAN. 1137.

**Matrimonium nullum ob defectum formae, ut validum fiat, contrahi denuo debet legitima forma.**

## ART. II. — *De sanatione in radice.*

CAN. 1138.

§ 1. **Matrimonii in radice sanatio est eiusdem convalidatio, secumferens, praeter dispensationem vel cessationem impedimenti, dispensationem a lege de renovando consensu, et retrotractionem, per fictionem iuris, circa effectus canonicos, ad praeteritum.**

**§ 2. Convalidatio fit a momento concessionis gratiae; retrotractio vero intelligitur facta ad matrimonii initium, nisi aliud expresse caveatur.**

§ 3. **Dispensatio a lege de renovando consensu concedi etiam potest vel una tantum vel utraque parte inscia.**

CAN. 1139.

§ 1. **Quodlibet matrimonium initum cum utriusque partis consensu naturaliter sufficiente, sed iuridice inefficaci ob dirimens impedimentum iuris ecclesiastici vel ob defectum legitimae formae, potest in radice sanari, dummodo consensus perseveret.**

**§ 2. Matrimonium vero contractum cum impedimento iuris naturalis vel divini, etiamsi postea impedimentum cessaverit, Ecclesia non sanat in radice, ne a momento quidem cessationis impedimenti.**

CAN, 1140.

§ 1. **Si in utraque vel alterutra parte deficiat consensus, matrimonium nequit sanari in radice, sive consensus ab initio defuerit, sive ab initio praestitus, postea fuerit revocatus.**

**§ 2. Quod si consensus ab initio quidem defuerit, sed postea praestitus fuerit, sanatio concedi potest a momento praestiti consensus.**

CAN. 1141.

**Sanatio in radice concedi unice potest ab Apostolica Sede.**

CAPUT **XII.**

### *De secundis nuptiis.*

CAN. **1142.**

**Licet casta viduitas honorabilior sit. secundae tamen et ulteriores nuptiae validae et licitae sunt, firmo praescripto can. 1069, § 2.**

CAN. **1143.**

**Mulier cui semel benedictio sollemnis data sit, nequit in subsequentibus nuptiis eam iterum accipere.**

## TITULUS VIII.

## De Sacramentalibus.

CAN. **1144.**

**Sacramentalia sunt res aut actiones quibus Ecclesia, in aliquam Sacramentorum imitationem, uti solet ad obtinendos ex sua impetratione effectus praesertim spirituales.**

CAN. **1145.**

**Nova Sacramentalia constituere aut recepta authentice interpretari, ex eisdem aliqua abolere aut mutare, sola potest Sedes Apostolica.**

CAN. **1146.**

**Legitimus Sacramentalium minister est clericus, cui ad id potestas collata sit quique a competente auctoritate ecclesiastica non sit prohibitus eandem exercere.**

CAN. 1147.

**§ 1. Consecrationes nemo qui charactere episcopali careat, valide peragere potest, nisi vel iure vel apostolico indulto id ei permittatur.**

**§ 2. Benedictiones autem impertire potest quilibet presbyter, exceptis iis quae Romano Pontifici aut Episcopis aliisve reserventur.**

**§ 3. Benedictio reservata quae a presbytero detur sine necessaria licentia, illicita est, sed valida, nisi in reservatione Sedes Apostolica aliud expresserit.**

**§ 4. Diaconi et lectores illas tantum valide et licite benedictiones dare possunt, quae ipsis expresse a iure permittuntur.**

CAN. **1148.**

**§ 1. In Sacramentalibus conficiendis seu administrandis accurate serventur ritus ab Ecclesia probati.**

**§ 2. Consecrationes ac benedictiones sive constitutivae sive invoçativae invalidae sunt, si adhibita non fuerit formula ab Ecclesia praescripta.**

CAN. 1149.

**Benedictiones, imprimis impertiendae catholicis, dari quoque possunt catechumenis, imo, nisi obstet Ecclesiae prohibitio, etiam acatholicis ad obtinendum fidei lumen vel, una cum illo, corporis sanitatem.**

CAN. 1150.

**Res consecratae, vel benedictae constitutiva benedictione, reverenter tractentur neque ad usum profanum vel non proprium adhibeantur, etiamsi in dominio privatorum sint.**

CAN. 1151.

§ 1. **Nemo, potestate exorcizandi praeditus, exorcismos in obsessos proferre legitime potest, nisi ab Ordinario peculiarem et expressam licentiam obtinuerit.**

§ 2. **Haec licentia ab Ordinario concedatur tantummodo sacerdoti pietate, prudentia ac vitae integritate praedito; qui ad exorcismos ne procedat, nisi postquam diligenti prudentique investigatione compererit exorcizandum esse revera a daemone obsessum.**

CAN. 1152.

**Exorcismi a legitimis ministris fieri possunt non solum in fideles et catechumenos, sed etiam in acatholicos vel excommunicatos.**

* CAN. 1153.

**Ministri exorcismorum qui occurrunt in baptismo et in consecrationibus vel benedictionibus, sunt iidem qui eorundem sacrorum rituum legitimi ministri sunt.**

# PARS SECUNDA

# DE LOCIS ET TEMPORIBUS SACRIS

## SECTIO I.

## De locis sacris.

CAN. 1154.

**Loca sacra ea sunt quae divino cultui fideliumve sepulturae deputantur consecratione vel benedictione quam probati liturgici libri ad hoc praescribunt.**

CAN. 1155.

§ 1. **Consecratio alicuius loci, quanquam ad regulares pertinentis, spectat ad Ordinarium territorii in quo locus ipse reperitur, dummodo Ordinarius charactere episcopali sit insignitus, non tamen ad Vicarium Generalem sine speciali mandato, firmo iure S. R. E. Cardinalium consecrandi ecclesiam et altaria sui tituli.**

§ 2. **Ordinarius territorii, licet charactere episcopali careat, potest cuilibet eiusdem ritus Episcopo licentiam dare consecrationes peragendi in suo territorio.**

CAN. 1156.

**Ius benedicendi locum sacrum, si hic pertineat ad clerum saecularem vel ad religionem non exemptam, vel ad laicalem, spectat ad Ordinarium territorii in quo locus reperitur; si ad religionem clericalem exemptam, ad Superiorem maiorem; uterque vero potest alium sacerdotem ad hoc delegare.**

CAN. 1157.

**Non obstante quolibet privilegio, nemo potest locum sacrum consecrare vel benedicere sine Ordinarii consensu.**

' CAN. 1158.

**De peracta consecratione vel benedictione redigatur documentum, cuius alterum exemplar in Curia episcopali, alterum in ecclesiae archivo servetur.**

CAN. 1159.

§ 1. **Consecratio vel benedictio alicuius loci, modo nemini damnum fiat, satis probatur etiam per unum testem omni exceptione maiorem.**

§ 2. **Si de ea legitime constet, nec consecratio nec benedictio iterari potest; in dubio autem, peragatur ad cautelam. ***

CAN. 1160.

**Loca sacra exempta sunt a iurisdictione auctoritatis civilis et in eis legitima Ecclesiae auctoritas iurisdictionem suam libere exercet.**

## TITULUS IX.

## De ecclesiis.

CAN. 1161.

**Ecclesiae nomine intelligitur aedes sacra divino cultui dedicata eum potissimum in finem ut omnibus Christifidelibus usui sit ad divinum cultum publice exercendum.**

CAN. 1162.

§ 1. **Nulla ecclesia aedificetur sine expresso Ordinarii loci consensu scriptis dato, quem tamen Vicarius Generalis praestare nequit sine mandato speciali.**

§ 2. **Ordinarius consensum ne praebeat, nisi prudenter praevident necessaria non defutura ad novae ecclesiae aedificationem et conservationem, ad ministrorum sustentationem aliasque cultus impensas.**

**§ 3. Ne nova ecclesia ceteris iam exsistentibus detrimentum afferat, maiore fidelium spirituali utilitate non compensatum, Ordinarius, ante-**

**quam consensum praebeat, audire debet vicinarum ecclesiarum rectores quorum intersit, firmo praescripto can. 1676.**

**§ 4. Etiam sodales religiosi, licet consensum constituendae novae domus in dioecesi vel civitate ab Ordinario loci retulerint, antequam tamen ecclesiam vel oratorium publicum in certo ac determinato loco aedificent, Ordinarii loci licentiam obtinere debent.**

CAN. **1163.**

**Benedicere et imponere primarium ecclesiae lapidem, ad eos spectat, de quibus in can. 1156.**

CAN. **1164.**

**§ 1. Curent Ordinarii, audito etiam, si opus fuerit, peritorum consilio, ut in ecclesiarum aedificatione vel refectione serventur formae a traditione christiana receptae et artis sacrae leges.**

**§ 2. In ecclesia nullus aperiatur aditus vel fenestra ad laicorum domus; locaque, si adsint, subter ecclesiae pavimentimi aut supra ecclesiam, ad usum mere profanum ne adhibeantur.**

CAN. **1165.**

**§ .1. Divina officia celebrari in nova ecclesia nequeunt, antequam eadem vel sollemni consecratione vel saltem benedictione divino cultui fuerit dedicata.**

**§ 2. Si prudenter praevideatur ecclesiam conversum iri ad usus profanos, Ordinarius consensum eius aedificationi ne praebeat, aut saltem, si forte aedificata fuerit, eam ne consecret neve benedicat.**

**§ 3. Sollemni consecratione dedicentur ecclesiae cathedrales et, quantum fieri potest, ecclesiae collegiatae, conventuales, paroeciales.**

**§ 4. Ecclesia ex ligno vel ferro aliove metallo benedici potest, non autem consecrari.**

**§ 5. Altare consecrari potest etiam sine ecclesiae consecratione; sed una simul cum ecclesia debet saltem altare maius consecrari aut altare secundarium, si maius sit iam consecratum.**

CAN. **1166.**

**§ 1. Ecclesiarum consecratio, quamvis quolibet die fieri possit, decentius tamen diebus dominicis aliisve festis de praecepto peragitur.**

**§ 2. Episcopus consecrans et qui petunt ecclesiam sibi consecrari, per eum diem qui consecrationem praecedit, ieiunent.**

**§ 3. Cum consecratur ecclesia vel altare, Episcopus consecrator, licet iurisdictione in territorio careat, indulgentiam concedit unius anni ecclesiam vel altare visitantibus in ipsa consecrationis die; in die vero anniversaria quinquaginta dierum, si sit Episcopus; centum, si Archiepiscopus; biscentum, si S. R. E. Cardinalis.**

CAN. **1167.**

**Festum consecrationis ecclesiae quotannis celebretur ad normam legum liturgicarum.**

CAN. **1168.**

**§ 1. Unaquaeque ecclesia consecrata vel benedicta suum habeat titulum; qui, peracta ecclesiae dedicatione, mutari nequit.**

**§ 2. Etiam festum tituli quotannis celebretur ad normas legum liturgicarum.**

**§ 3. Ecclesiae dedicari Beatis nequeunt sine Sedis Apostolicae indulto.**

CAN. **1169.**

**§ 1. Cuilibet ecclesiae campanas esse convenit, quibus fideles ad divina officia aliosque religionis actus invitentur.**

**§ 2. Etiam ecclesiarum campanae debent consecrari vel benedici secundum ritus in probatis liturgicis libris traditos.**

**§ 3. Earum usus unice subest ecclesiasticae auctoritati.**

**§ 4. Salvis conditionibus, probante Ordinario, appositis ab illis qui campanam ecclesiae forte dederint, campana benedicta ad usus mere profanos adhiberi nequit, nisi ex causa necessitatis aut ex licentia Ordinarii aut denique ex legitima consuetudine.**

**§ 5. Quod ad campanarum consecrationem vel benedictionem attinet, servetur praescriptum can. 1155, 1156.**

CAN. **1170.**

**Consecrationem vel benedictionem ecclesia non amittit, nisi tota destructa fuerit, vel maior parietum pars corruerit, vel in usus profanos ab Ordinario loci redacta sit, ad normam can. 1187.**

CAN. **1171.**

**In sacra aede legitime dedicata omnes ecclesiastici ritus perfici possunt, salvis iuribus paroecialibus, privilegiis et legitimis consuetudinibus; Ordinarius autem, praesertim horas sacrorum rituum, potest, iusta de causa, praefinire, dummodo ne agatur de ecclesia quae ad religionem exemptam pertineat, firmo praescripto can. 6Ò9, § 3.**

CAN. **1172.**

**§ 1. Ecclesia violatur infra recensitis tantum actibus, dummodo certi sint, notorii, et in ipsa ecclesia positi :**

**1.° Delicto homicidii;**

**2.° Iniuriosa et gravi sanguinis effusione;**

**3.° Impiis vel sordidis usibus, quibus ecclesia addicta fuerit;**

**4.° Sepultura infidelis vel excommunicati post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam.**

**§ 2. Violata ecclesia, non ideo coemeterium, etsi contiguum, yiolatum censetur, et viceversa.**

CAN. **1173.**

**§ 1. In violata ecclesia, antequam reconcilietur, nefas est divina celebrare officia, Sacramenta ministrare, mortuos sepeliré.**

§ 2. **Si violatio accidat tempore divinorum officiorum, haec statim cessent; si ante Missae canonem vel post communionem, Missa dimittatur; secus sacerdos Missam prosequatur usque ad communionem.**

CAN. 1174.

§ 1. **Ecclesia violata reconcilietur, quam citissime poterit, secundum ritus in probatis liturgicis libris descriptos.**

§ 2. **Si dubitetur num ecclesia sit violata, reconciliari potest ad cautelam.**

CAN. 1175.

**Ecclesia violata ob sepulturam excommunicati vel infidelis ne reconcilietur, antequam cadaver exinde removeatur, si remotio sine gravi incommodo fieri possit.**

CAN. 1176.

§ 1. **Ecclesiam benedictam reconciliare potest rector eiusdem vel quilibet sacerdos de consensu saltem praesumpto rectoris.**

§ 2. **Ecclesiae consecratae valida reconciliatio ad eos spectat de quibus in can.** 1156.

**§ 3. In casu tamen gravis et urgentis necessitatis, si Ordinarius adiri nequeat, rectori ecclesiae consecratae eandem reconciliare fas est, certiore facto postea Ordinario.**

CAN. 1177.

**Reconciliatio ecclesiae benedictae fieri potest aqua lustrali communi; reconciliatio vero ecclesiae consecratae fiat aqua ad hoc benedicta secundum leges liturgicas; quam tamen non solum Episcopi, sed etiam presbyteri qui ecclesiam reconciliant, benedicere possunt.**

CAN. 1178.

**Curent omnes ad quos pertinet, ut in ecclesiis illa munditia servetur, quae domum Dei decet; ab iisdem arceantur negotiationes et nundinae, quanquam ad finem pium habitae; et generatim quidquid a sanctitate loci absonum sit.**

CAN. 1179.

**Ecclesia iure asyli gaudet ita ut rei, qui ad illam confugerint, inde non sint extrahendi; nisi necessitas urgeat, sine assensu Ordinarii, vel saltem rectoris ecclesiae.**

CAN. 1180.

**Nulla ecclesia potest basilicae titulo decorari, nisi ex apostolica concessione aut immemorabili consuetudine; cuiusque vero privilegia ex.alterutro capite colligantur.**

CAN. 1181.

**Ingressus in ecclesiam ad sacros ritus sit omnino gratuitus, reprobata qualibet contraria consuetudine.**

CAN. **1182.**

**§ 1. Firmo praescripto can. 1519-1528, administratio bonorum quae destinata sunt reparandae decorandaeque ecclesiae divinoque in eadem cultui exercendo, pertinet, nisi aliud ex speciali titulo vel legitima consuetudine constet, ad Episcopum cum Capitulo, si de ecclesia cathedrali agatur; ad Capitulum ecclesiae collegiatae, si de collegiata; ad rectorem, si de alia ecclesia.**

**§ 2. Etiam oblationes factas in commodum paroeciae aut missionis, aut ecclesiae sitae intra paroeciae vel missionis fines, administrat parochus vel missionarius, nisi agatur de ecclesia propriam administrationem habente, distinctam ab administratione paroeciae vel missionis, aut nisi aliud ferat ius peculiare aut legitima consuetudo.**

**§ 3. Parochus, missionarius, rector saecularis ecclesiae, sive saecularis is sit/sive religiosus, debet huiusmodi oblationes administrare ad normam, sacrorum canonum, deque eis rationem loci Ordinario reddere ad normam can. 1525.**

CAN. **1183.**

**§ 1. Si alii quoque, sive clerici sive laici, in administrationem bonorum alicuius ecclesiae cooptentur, iidem omnes una cum administratore ecclesiastico, de quo in can. 1182, aut eius vicem gerente, eoque praeside, constituunt Consilium fabricae ecclesiae.**

**§ 2. Huius Consilii sodales, nisi aliter legitime constitutum fuerit, nominantur ab Ordinario eiusve delegato et ab eodem possunt ob gravem causam removeri.**

CAN. **1184.**

**Consilium fabricae curare debet rectam bonorum ecclesiae administrationem, servato praescripto can. 1522, 1523; sed nullatenus sese ingerat in ea omnia quae ad spirituale munus pertinent, praesertim :**

**1.° In exercitium cultus in ecclesia;**

**2.° In modum et tempus pulsandi campanas et in curam tuendi ordinis in ecclesia atque in coemeterio;**

**3.° In definiendam rationem qua collectae, denuntiationes aliique actus ad divinum cultum ornatumque ecclesiae quoquo modo spectantes in ecclesia fieri possint;**

**4.° In dispositionem materialem altarium, mensae pro distributione sanctissimae Eucharistiae, cathedrae sive suggestus e quo ad populum verba fiunt, organorum, loci cantoribus assignati, sedilium, scamnorum, capsularum oblationibus recipiendis, aliarumque rerum quae ad exercitium religiosi cultus spectent;**

**5.° In admissionem vel reiectionem sacrorum utensilium aliarumque rerum quae sive ad usum, sive ad cultum, sive ad ornatum in ecclesia vel sacrario destinentur;**

**6.° In scriptionem, dispositionem, custodiam librorum paroecialium aliorumque documentorum quae ad archivum paroeciale pertineant.**

CAN. 1185.

**Sacrista, cantores, organorum moderator, pueri chorales, campanae pulsator, sepulcrorum fossores, ceterique inservientes a solo ecclesiae rectore, salvis legitimis consuetudinibus et conventionibus et Ordinarii auctoritate, nominantur, pendent, dimittuntur.**

CAN. 1186.

**Salvis peculiaribus legitimisque consuetudinibus et conventionibus, et firma obligatione quae ad aliquem spectet etiam ex constituto legis civilis :**

1.° **Onus reficiendi ecclesiam cathedralem incumbit ordine qui sequitur :**

**Bonis fabricae, salva ea parte quae necessaria est ad cultum divinum celebrandum et ad ordinariam ecclesiae administrationem;**

**Episcopo et canonicis pro rata proventuum, detractis necessariis ad honestam sustentationem;**

*** Dioecesanis, quos tamen Ordinarius loci suasione magis quam coactione* inducat ad sumptus necessarios, pro eorum viribus, praestandos;**

2.° **Onus reficiendi ecclesiam paroecialem incumbit ordine qui sequitur :**

**Bonis fabricae ecclesiae, ut supra;**

**Patrono;**

**Iis qui fructus aliquos ex ecclesia provenientes percipiunt secundum taxam pro rata redituum ab Ordinario statuendam;**

**Paroecianis, quos tamen Ordinarius loci, ut supra, magis hortetur quam cogat;**

**3.° Haec cum debita proportione serventur etiam quod attinet ad alias ecclesias.**

CAN. 1187.

**Si qua ecclesia nullo modo ad cultum divinum adhiberi possit et omnes aditus interclusi sint ad eam reficiendam, in usum profanum non sordidum ab Ordinario loci redigi potest, et onera cum reditibus titulusque paroeciae, si ecclesia sit paroecialis, in aliam ecclesiam ab eodem Ordinario transferantur.**

## TITULUS X.
## De oratoriis.

CAN. 1188.

§ 1. **Oratorium est locus divino cultui destinatus, non tamen eo potissimum fine ut universo fidelium populo usui sit ad religionem publice colendam.**

**i 2. Est vero oratorium :**

1.° ***Publicum,*** **si praecipue erectum sit in commodum alicuius collegii aut etiam privatorum, ita tamen ut omnibus fidelibus, tempore**

**saltem divinorum officiorum, ius sit, legitime comprobatum, illud adeundi;**

2.° ***Bemi-publicum,*** **si in commodum alicuius communitatis vel coetus fidelium eo convenientium erectum sit, neque liberum cuique sit illud adire;**

3.° ***Privatum*** **seu** ***domesticum,*** **si in privatis aedibus in commodum alicuius tantum familiae vel personae privatae erectum sit.**

CAN. 1189.

**Oratoria S. R. E. Cardinalium et Episcoporum sive residentialium sive titularium, licet privata, fruuntur tamen omnibus iuribus et privilegiis quibus oratoria semi-publica gaudent.**

CAN. 1190.

**Aediculae in coemeterio a familiis seu personis privatis ad suam sepulturam' erectae, sunt oratoria privata.**

CAN. 1191.

§ 1. **Oratoria publica eodem iure quo ecclesiae reguntur.**

§ 2. **Quare in oratorio publico, dummodo auctoritate Ordinarii ad publicum Dei cultum perpetuo per benedictionem vel consecrationem, ad normam can.** 1155, 1156, **dedicatum fuerit, omnes sacrae functiones celebrari possunt, salvo contrario rubricarum praescripto.**

CAN. 1192.

§ 1. **Oratoria semi-publica erigi nequeunt sine Ordinarii licentia.**

§ 2. **Ordinarius hanc licentiam ne concedat, nisi prius per se vel per alium ecclesiasticum virum oratorium visitaverit et decenter instructum repererit.**

§ 3. **Data autem licentia, oratorium ad usus profanos converti nequit sine eiusdem Ordinarii auctoritate.**

§ 4. **In collegiis aut convictibus iuventuti instituendae, in gymnasiis, lyceis, arcibus, praesidiis militum, carceribus, xenodochiis, etc., praeter oratorium principale, alia minora ne erigantur, nisi, Ordinarii iudicio, necessitas aut magna utilitas id exigat.**

CAN. 1193.

**In oratoriis semi-publicis, legitime erectis, omnia divina officia functionesve ecclesiasticae celebrari possunt, nisi obstent rubricae aut Ordinarius aliqua exceperit.**

CAN. 1194.

**In privatis coemeteriorum aediculis, de quibus in can.** 1190, **Ordinarius loci permittere habitualiter potest etiam plurium Missarum celebrationem; in aliis oratoriis domesticis, nonnisi unius Missae, per modum actus, in casu aliquo extraordinario, iusta et rationabili de causa; Ordinarius autem has permissiones ne elargiatur, nisi ad normam can.** 1192, § 2.

CAN. 1195.

§ 1. **In oratoriis domesticis ex indulto Apostolicae Sedis, nisi aliud in eodem indulto expresse caveatur, celebrari potest, postquam Ordinarius oratorium visitaverit et probaverit ad normam can.** 1192, § 2, **unica Missa, eaque lecta, singulis diebus, exceptis festis sollemnioribus; sed aliae functiones ecclesiasticae ibidem ne fiant.**

**§ 2. Ordinarius vero, dummodo iustae adsint et rationabiles causae, diversae ab eis ob quas indultum concessum fuit, etiam sollemnioribus festis permittere potest per modum actus Missae celebrationem.**

CAN. 1196.

§ 1. **Oratoria domestica nec consecrari nec benedici possunt more ecclesiarum.**

**§ 2. Licet oratoria domestica et semi-publica communi locorum domorumve benedictione aut nulla benedictione donentur, debent tamen esse divino tantum cultui reservata et ab omnibus domesticis usibus libera.**

## TITULUS XI.

## De altaribus.

CAN. 1197.'

§ 1. **Sensu liturgico intelligitur :**

1.° **Nomine altaris *immobilis* seu *fixi,* mensa superior una cum stipitibus per modum unius cum eadem consecratis;**

**2.° Nomine altaris *mobilis* seu *portatilis,* petra, ut plurimum, parva, quae sola consecratur, quaeque dicitur etiam *ara portatilis* seu *petra sacra;* vel eadem petra cum stipite qui tamen non fuit una cum eadem consecratus.**

**§ 2. In ecclesia consecrata saltem unum altare, praesertim maius, debet esse immobile: in ecclesia autem benedicta omnia altaria possunt esse mobilia.**

CAN. 1198.

§ 1. **Tum mensa altaris immobilis tum petra sacra ex unico constent lapide naturali, integro et non friabili.**

**§ 2. In altari immobili tabula seu mensa lapidea ad integrum altare protendi debet, et apte cum stipite cohaerere; stipes autem sit lapideus vel saltem latera seu columellae quibus mensa sustentatur sint ex lapide.**

**§ 3. Petra sacra sit tam ampla ut saltem hostiam et maiorem partem calicis capiat.**

**§ 4. Tum in altari immobili tum in petra sacra sit, ad normam legum liturgicarum, sepulcrum continens reliquias Sanctorum, lapide clausum.**

CAN. 1199.

§ 1. **Ut Missae sacrificium super illud celebrari possit, altare debet esse, secundum liturgicas leges, consecratum; idest vel totum, si agatur de immobili, vel ara tantum portatilis, si de mobili.**

§ 2. **Aras portátiles, salvis peculiaribus privilegiis, omnes Episcopi consecrare possunt; quod vero spectat ad altaria immobilia, servetur praescriptum can.** 1155.

**§ 3. Consecratio altaris immobilis, quae fit sine ecclesiae dedica^ tione, quamvis omni die fieri possit, magis tamen decet ut fiat die dominico aliove festo de praecepto.**

CAN. 1200.

§ 1. **Altare immobile amittit consecrationem, si tabula seu mensa a stipite, etiam per temporis momentum, separetur; quo in casu Ordinarius potest permittere ut presbyter altaris consecrationem rursus perficiat ritu formulaqne breviore.**

§ 2. **Tum altare immobile tum petra sacra amittunt consecrationem :**

1.° **Si frangantur enormiter sive ratione quantitatis fractionis sive ratione loci unctionis;**

2.° **Si amoveantur reliquiae aut frangatur vel amoveatur sepulcri operculum, excepto casu quo ipse Episcopus vel eius delegatus operculum amoveat ad illud firmandum vel reparandum vel subrogandum, aut ad visitandas reliquias.**

**§ 3. Levis fractio operculi non inducit exsecrationem et quilibet sacerdos potest rimulam cemento firmare.**

**§ 4. Exsecratio ecclesiae non secumfert exsecrationem altarium sive immobilium sive mobilium; et viceversa.**

CAN. 1201.

§ 1. **Sicut ecclesia, ita quodlibet etiam ecclesiae altare, saltem immobile, proprium sibi titulum habeat.**

§ 2. **Titulus primarius altaris maioris idem debet esse ac titulus ecclesiae.**

**§ 3. De Ordinarii licentia mutari quidem potest altaris mobilis, non autem altaris immobilis titulus.**

**§ 4. Altaria Beatis etiam in ecclesiis et oratoriis quibus eorum officium et Missa concessa sunt, dedicari nequeunt sine Sedis Apostolicae indulto.**

CAN. 1202.

**§ 1. Altare tum immobile tum mobile debet esse divinis tantum officiis et praesertim Missae celebrationi reservatum, quolibet profano usu prorsus excluso.**

§ 2. **Subtus altare nullum sit reconditum cadaver; cadavera autem quae prope altare sepulta forte sunt, distent ab eo saltem spatio unius metri; secus Missam in altari celebrare non licet, donec cadaver removeatur.**

## TITULUS XII.

## De sepultura ecclesiastica.

CAN. 1203.

**§ 1. Fidelium defunctorum corpora sepelienda sunt, reprobata eorundem crematione.**

§ 2. **Si quis quovis modo mandaverit ut corpus suum cremetur, illicitum est banc exsequi voluntatem; quae si adiecta fuerit contractui, testamento aut alii cuilibet actui, tanquam non adiecta habeatur.**

CAN. 1204.

**Sepultura ecclesiastica consistit in cadaveris translatione ad ecclesiam, exsequiis super illud in eadem celebratis, illius depositione in loco legitime deputato fidelibus defunctis condendis.**

### CAPUT I.

### *De coemeteriis.*

CAN. 1205.

§ 1. **Cadavera fidelium sepelienda sunt in coemeterio quod, secundum ritus in probatis liturgicis libris traditos, sit benedictum, sive sollemni sive simplici benedictione ab iis data de quibus in can.** 1155, 1156.

§ 2. **In ecclesiis cadavera ne sepeliantur, nisi agatur de cadaveribus Episcoporum residentialium, Abbatum vel Praelatorum *nullius* in propria ecclesia sepeliendis, vel Romani Pontificis, regalium personarum aut S. R. E. Cardinalium.**

CAN. 1206.

**§ 1. Ius est catholicae Ecclesiae possidendi propria coemeteria.**

§ 2. **Sicubi hoc Ecclesiae ius violetur nec spes sit ut violatio reparetur, curent locorum Ordinarii ut coemeteria, societatis civilis propria, benedicantur, si, qui in eis condi solent, sint maiore ex parte catholici, aut saltem ut in eis catholici spatium habeant, idque benedictum, sibi reservatum.**

§ 3. **Si ne hoc quidem obtineri possit, toties quoties benedicantur, secundum ritus in probatis liturgicis libris traditos, singuli tumuli.**

CAN. 1207.

**Quae de interdicto, violatione, reconciliatione ecclesiarum canones praescribunt, etiam coemeteriis applicentur.**

CAN. 1208.

§ 1. **Paroeciae suum quaeque coemeterium habeant, nisi unum pluribus commune ab Ordinario loci sit legitime constitutum.**

**§ 2. Religiosi exempti possunt habere coemeterium proprium, a communi coemeterio distinctum.**

§ 3. **Etiam aliis personis moralibus vel familiis privatis permitti potest ab Ordinario loci peculiare sepulcrum, extra commune coemeterium positum, et ad instar coemeterii benedictum.**

CAN. 1209.

§ 1. **Tum in coemeteriis paroecialibus, ex licentia scripta Ordinarii loci eiusve delegati, tum in coemeterio proprio alius personae moralis, ex licentia scripta Superioris, fideles sibi suisque extruere possunt sepulcra particularia; quae, de consensu eiusdem Ordinarii aut Superioris, possunt quoque alienare.**

§ 2. **Sepulcra^ sacerdotum et clericorum, ubi fieri potest, a sepulcris laicorum separata sint ac decentiore loco sita; praeterea, ubi id commodum fuerit, alia pro sacerdotibus, alia pro inferioris ordinis Ecclesiae ministris parentur.**

§ 3. **Etiam infantium corpuscula, quatenus commode fieri potest, speciales et separatos ab aliis lóculos et sepulturas habeant.**

CAN. 1210.

. **Quodlibet coemeterium sit undique apte clausum et caute custoditum.**

CAN. 1211.

**Caveant Ordinarii locorum, parochi ac Superiores, ad quos spectat, ne in coemeteriis epitaphia, laudationes fúnebres ornatusque monumentorum quidquam prae se ferant a catholica religione ac pietate absonum.**

CAN. 1212.

**Praeter coemeterium benedictum alius, si haberi queat, sit locus, clausus item et custoditas, ubi ii humentur quibus sepultura ecclesiastica non conceditur.**

CAN. 1213.

**Nullum corpus sepeliatur, praesertim si mors repentina fuerit, nisi post congruum temporis intervallum, quod satis sit. ad omnem prorsus de vero obitu dubitationem tollendam.**

CAN. 1214.

§ 1. **Nullum cadaver perpetuae sepulturae ecclesiasticae ubivis traditum exhumare licet, nisi de licentia Ordinarii.**

§ 2. **Ordinarius licentiam nunquam concedat, si cadaver ab aliis corporibus certo discerni nequeat.**

CAPUT **II.**

***De cadaveris translatione ad ecclesiam, funere ac depositione.***

CAN. 1215.

**Nisi gravis causa obstet, cadavera fidelium, antequam tumulentur, transferenda sunt e loco in quo reperiuntur, in ecclesiam, ubi funus, idest totus ordo exsequiarum quae in probatis liturgicis libris describuntur, persolvatur.**

CAN. 1216.

§ 1. **Ecclesia in quam cadaver pro funere transferri debet, ex iure ordinario est ecclesia propriae defuncti paroeciae, nisi defunctus aliam funeris ecclesiam legitime elegerit.**

§ 2. **Si defunctus plures habuerit paroecias proprias, ecclesia funeris est ecclesia paroeciae in cuius territorio decessit.**

CAN. 1217.

**In dubio de iure alius ecclesiae, ius propriae ecclesiae paroecialis semper praevalere debet.**

CAN. 1218.

§ 1. **Licet mors acciderit extra propriam paroeciam, cadaver tamen in ecclesiam paroeciae propriae quae vicinior sit, ob funus transferendum est, si ad eam commode pedestri itinere asportari possit; secus in ecclesiam paroeciae in qua mors accidit.**

§ 2. **Ordinarii est pro suo territorio, inspectis peculiaribus circumstantiis, distantiam aliaque adiuncta designare, quae translationem cadaveris ad ecclesiam funeris aut locum sepulturae incommodam reddant; et si paroeciae ad diversas dioeceses pertineant, designatio attenditur Ordinarii dioecesis in qua defunctus supremum diem obiit.**

**§ 3. Licet translatio ad ecclesiam funeris aut ad locum sepulturae incommoda sit, semper tamen integrum est familiae, heredibus, aliisve quorum interest, cadaver illuc deferre, susceptis translationis expensis.**

CAN. 1219.

§ 1. **Si S. R. E. Cardinalis in Urbe decesserit, corpus transferendum est, funeris causa, in ecclesiam quam Romanus Pontifex designaverit; si extra Urbem, in ecclesiam insigniorem civitatis seu loci ubi mors accidit, nisi Cardinalis aliam elegerit.**

§ 2. **Defuncto Episcopo residentiale etiam cardinalitia dignitate aucto, aut Abbate vel Praelato *nullius*, corpus, funeris causa, transferri debet in ecclesiam cathedralem, abbatialem vel praelatitiam, si id commode fieri possit; secus, in ecclesiam insigniorem civitatis seu loci, nisi in utroque casu defunctus aliam ecclesiam elegerit.**

CAN. 1220.

**Beneficiarii residentiales ad ecclesiam sui beneficii transferendi sunt, nisi aliam sibi elegerint ecclesiam funeris.**

CAN. 1221.

§ 1. **Professi religiosi ac novitii, defuncti cum sint, transferendi sunt, funeris causa, ad ecclesiam vel oratorium suae domus vel saltem suae religionis, nisi novitii aliam ecclesiam ad suum funus elegerint; ius autem levandi cadaver et illud deducendi ad ecclesiam funerantem pertinet semper ad Superiorem religiosum.**

**§ 2. Si longe moriantur a domo, ita ut in ecclesiam suae domus vel saltem suae religionis nequeant commode asportari, funerandi sunt in ecclesia paroeciae ubi decedunt, nisi novitius aliam ecclesiam ad funus elegerit, et salvo Superioribus iure de quo in can. 1218, § 3.**

**§ 3. Quae de novitiis dicta sunt §§ 1, 2, valent quoque de famulis actu servientibus et intra domus septa stabiliter commorantibus; qui tamen, si extra religiosam domum decesserint, funerandi sunt ad normam can. 1216-1218.**

CAN. **1222.**

**Quod attinet ad defunctos qui in domo etiam regulari vel collegio degebant ratione hospitii, educationis vel infirmitatis, et ad defunctos in hospitali, standum est canonibus 1216-1218, nisi constet de iure particulari aut privilegio; quod vero ad illos attinet qui in Seminario moriuntur, servetur praescriptum can. 1368.**

CAN. **1223.**

**§ 1. Omnibus licet, nisi expresse iure prohibeantur, eligere ecclesiam sui funeris aut coemeterium sepulturae.**

**§ 2. Uxor et filii puberes in hac electione prorsus immunes sunt a maritali vel patria potestate.**

CAN. **1224.**

**Ecclesiam funeris aut sepulturae coemeterium eligere prohibentur :**

**1.° Impuberes; verum pro filio aut filia impubere, etiam post eorum mortem, hanc electionem facere possunt parentes vel tutor;**

**2.° Religiosi professi cuiuslibet gradus aut dignitatis, non tamen si sint Episcopi.**

CAN. **1225.**

**Ut electio ecclesiae funeris valeat, cadat necesse est vel in ecclesiain paroecialem, vel in ecclesiam regularium, non tamen monialium (nisi agatur de mulieribus quae famulatus, educationis, infirmitatis aut hospitii causa intra clausuram eiusdem monasterii non precario commorabantur), vel in ecclesiam iuris patronatus, si agatur de patrono, vel in aliam ecclesiam funerandi iure praeditam.**

CAN. **1226.**

**§ 1. Ecclesiam funeris aut coemeterium sepulturae quis eligere potest per se vel per alium cui legitimum mandatum dederit; factamque electionem aut mandati concessionem quolibet legitimo modo probare licet.**

**§ 2. Si electio fiat per alium, hic suum mandatum explere potest etiam post mortem mandantis.**

CAN. **1227.**

**Religiosi et clerici saeculares districte vetantur ne quos ad vovendum, iurandum vel fide interposita seu aliter promittendum inducant ut apud ipsorum ecclesias funus aut apud ipsorum coemeterium sepulturam**

**eligant, vel factam electionem non immutent; quod si contra factum fuerit, electio aut immutatio sit nulla.**

CAN. 1228.

§ 1. **Si electa fuerit sepultura in coemeterio diverso a coemeterio propriae defuncti paroeciae, cadaver in illo sepeliatur, dummodo nihil obstet* ex parte eorum a quibus coemeterium pendet.**

§ 2. **Electa sepultura in coemeterio religiosorum, ut cadaver inibi sepeliri queat, requiritur et sufficit consensus Superioris religiosi, ad normam constitutionum cuiusque religionis.**

CAN. 1229.

§ 1. **Si quis, sepulcrum maiorum in aliquo coemeterio possidens, non electa alibi sepultura, decesserit, in eodem sepeliendus est, si illuc commode asportari possit, salvo praescripto can.** 1218, § 3.

§ 2. **Pro uxore attenditur sepulcrum viri, et, si plures habuerit, sepulcrum ultimi.**

§ 3. **Plura si sint maiorum aut viri sepulcra, defuncti familia aut heredes locum sepulturae deligant.**

CAN. 1230.

§ 1. **Proprius defuncti parochus non solum ius sed etiam officium habet, excepto gravi necessitatis casu, levandi per se vel per alium cadaver, illud comitandi ad suam ecclesiam paroecialem ibique exsequias persolvendi, firmo praescripto can.** 1216, § 2.

§ 2. **Quod si mors acciderit in loco alienae paroeciae, et cadaver ad ecclesiam propriae paroeciae commode asportari possit, parochi proprii est, praemonito parocho loci, illud levare, comitari ad suam ecclesiam ibique exsequias peragere.**

§ 3. **Si ecclesia funeris sit ecclesia regularis aliave exempta a iurisdictione parochi, parochus, sub cruce ecclesiae funerantis, cadaver levât ac deducit ad ecclesiam; sed exsequias rector ecclesiae celebrat.**

**§ 4. Si vero ecclesia funeris non sit exempta a iurisdictione parochi, celebratio exsequiarum, salvo peculiari privilegio, pertinet non ad rectorem ecclesiae funerantis, sed ad parochum in cuius territorio ecclesia sita est, dummodo defunctus parocho subiectus fuerit.**

§ 5. **Religiosas et novitias, in religiosa domo defunctas, ad clausurae limen deferant aliae religiosae; indeque, si de religiosis agatur iurisdictioni parochi non obnoxiis, ad propriam religiosae domus ecclesiam vel oratorium deducit et exsequias peragit cappellanus; si de aliis religiosis, valet praescriptum §** 1; **quod vero ad religiosas attinet extra domum defunctas, serventur generalia canonum praescripta.**

§ 6. **Defuncto S. R. E. Cardinali aut Episcopo extra Urbem in civitate episcopali, servetur praescriptum can.** 397, **n.** 3.

§ 7. **Si cadaver mittatur ad locum ubi nec defunctus propriam paroeciam habebat, nec ecclesia funeris legitime fuerat electa, ius levandi cadaver, peragendi exsequias, si peragendae sint, et cadaver ad sepul-**

**turam deducendi, pertinet ad ecclesiam cathedralem eiusdem loci; quae si desit, ad ecclesiam paroeciae in qua coemeterium situm est, nisi aliud ferant loci consuetudo aut dioecesana statuta.**

CAN. 1231.

§ 1. **Expletis in ecclesia exsequiis, cadaver tumulandum est ad normam librorum liturgicorum in coemeterio ecclesiae funeris, salvis* praescriptis can.** 1228, 1229.

§ 2. **Qui exsequias in ecclesia peregit, non solum ius, sed etiam officium habet, excepto gravi necessitatis casu, comitandi per se vel per alium sacerdotem cadaver ad locum sepulturae.**

CAN. 1232.

§ 1. **Sacerdos qui cadaver comitetur ad ecclesiam funeris vel ad locum sepulturae, libere transire poterit, cum stola quoque et cruce ele- « vata, per territorium alius paroeciae vel dioecesis, etiam sine parochi vel Ordinarii licentia.**

§ 2. **Si cadaver tumulandum sit in coemeterio ad quod commode asportari nequeat, parochus vel rector ecclesiae funeris nequit sibi vindicare ius illud comitandi extra fines civitatis vel loci,**

CAN. 1233.

§ 1. **Nequit parochus, sine iusta et gravi causa ab Ordinario probata, excludere clericos saeculares, religiosos ac pia sodalitia quae familia vel heredes advocare velint ad deducendum cadaver ad ecclesiam funeris et ad sepulturam, et assistendum funeri; clerici tamen ipsi ecclesiae addicti a familia vel heredibus prae aliis omnibus invitari debent.**

§ 2. **Nunquam admittantur societates vel insignia religioni catholicae manifeste hostilia.**

§ 3. **Associantes cadaver tenentur morem gerere parocho circa ductum funeris, salvis uniuscuiusque praecedentiae iuribus.**

§ 4. **Laici cadaver, generis aut dignitatis cuiusvis ille fuerit, clerici ne deferant.**

CAN. 1234.

§ 1. **Locorum Ordinarii indicem funeralium taxarum seu eleemosynarum, si non exsistat, pro suo territorio, de consilio Capituli cathedralis, ac, si opportunum duxerint, vicariorum foraneorum dioecesis et parochorum civitatis episcopalis, conficiant, attentis legitimis consuetudinibus particularibus et omnibus personarum et locorum circumstantiis; in eoque pro diversis casibus iura singulorum moderate determinent, ita ut quaelibet contentionum et scandali removeatur occasio.**

§ 2. **Si in indice plures classes enumerentur, liberum est iis quorum interest classem eligere.**

CAN. 1235.

§ 1. **Districte prohibetur ne quis, sepulturae vel exsequiarum seu anniversarii mortuorum causa, quidquam exigat ultra id quod in dioecesano taxarum indice statuitur.**

**§ 2. Pauperes gratis omnino ac decenter funerentur et sepeliantur, cum exsequiis, secundum liturgicas leges et dioecesana statuta, praescriptis.**

CAN. **1236.**

**§ 1. Salvo iure particulari, quoties fidelis non funeratur in ecclesia paroeciali propria, proprio defuncti parocho debetur portio paroecialis, excepto casu quo cadaver in ecclesiam propriae paroeciae commode asportari nequeat.**

**§ 2. Si quis habeat plures paroecias proprias ad quas cadaver commode deferri posset, et alibi funeretur, portio paroecialis dividenda est inter omnes parochos proprios.**

CAN. 1237.

**§ 1. Detrahi debet portio paroecialis ex omnibus et solis emolumentis, quae statuta sunt pro funere et tumulatione in taxa dioecesana.**

**§ 2. Si quacunque de causa primum sollemne officium funebre non statim, sed intra mensem completum a die tumulationis fiat, licet hoc die non defuerint minora publica officia, portio tamen paroecialis ex huius etiam funeris emolumentis debetur.**

**§ 3. Quantitas portionis paroecialis determinetur in taxa dioecesana; et si ecclesia paroecialis et ecclesia funerans ad diversas dioeceses pertineant, quantitas portionis paroecialis attenditur secundum taxam ecclesiae funerantis.**

CAN. **1238.**

**Expleta tumulatione, minister in libro defunctorum describat nomen et aetatem defuncti, nomen parentum vel coniugis, tempus mortis, quis et quae Sacramenta ministraverit, locum et tempus tumulationis.**

CAPUT **III.**

***De iis quibus sepultura ecclesiastica concedenda est aut neganda.***

CAN. **1239.**

**§ 1. Ad sepulturam ecclesiasticam non sunt admittendi qui sine baptismo decesserint.**

**§ 2. Catechumeni qui nulla sua culpa sine baptismo moriantur, baptizatis accensendi sunt.**

**§ 3. Omnes baptizati sepultura ecclesiastica donandi sunt, nisi eadem a iure expresse priventur.**

CAN. **1240.**

**§ 1. Ecclesiastica sepultura privantur, nisi ante mortem aliqua dederint poenitentiae signa :**

**1.° Notorii apostatae a christiana fide, aut sectae haereticae vel schismaticae aut sectae massonicae aliisve eiusdem generis societatibus notorie addicti;**

2.° **Excommunicati vel interdicti post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam;**

3.° **Qui se ipsi- occiderint deliberato consilio;**

4.° **Mortui in duello aut ex vulnere inde relato;**

5.° **Qui mandaverint suum corpus cremationi tradi;**

6.° **Alii peccatores publici et manifesti.**

§ 2. **Occurrente praedictis in casibus aliquo dubio, consulatur, si tempus sinat, Ordinarius; permanente dubio, cadaver sepulturae ecclesiasticae tradatur, ita tamen ut removeatur scandalum.**

CAN. 1241.

**Excluso ab ecclesiastica sepultura deneganda quoque sunt tum quaelibet Missa exsequialis, etiam anniversaria, tum alia publica officia funebria.**

CAN. 1242.

**Si fieri sine gravi incommodo queat, cadaver excommunicati vitandi qui, contra canonum statuta, sepulturam in loco sacro obtinuit, exhumandum est, servato praescripto can.** 1214, § 1, **et in loco profano de quo. in can.** 1212, **reponendum.**

## SECTIO IL

## De temporibus sacris.

CAN. 1243.

**Tempora sacra sunt dies festi; iisque accensentur dies abstinentiae et ieiunii.**

CAN. 1244.

§ 1. **Dies festos itemque dies abstinentiae et ieiunii, universae Ecclesiae communes, constituere, transferre, abolere, unius est supremae ecclesiasticae auctoritatis.**

§ 2. **Ordinarii locorum peculiares suis dioecesibus seu locis dies festos aut dies abstinentiae et ieiunii possunt, per modum tantum actus,, indicere.**

CAN. 1245.

§ 1. **Non solum Ordinarii locorum, sed etiam parochi, in casibus singularibus iustaque de causa, possunt subiectos sibi singulos fideles singulasve familias, etiam extra territorium, atque in suo territorio etiam peregrinos, a lege communi de observantia festorum itemque de observantia abstinentiae et ieiunii vel etiam utriusque dispensare.**

§ 2. **Ordinarii, ex causa peculiari magni populi concursus aut publicae valetudinis, possunt totam quoque dioecesim seu locum a ieiunio et ab abstinentia vel etiam ab utraque simul lege dispensare.**

§ 3. **In religione clericali exempta eandem dispensandi potestatem**

**habent Superiores ad modum parochi, quod attinet ad personas, de quibus in can. 514, § 1.**

CAN. **1246.**

**Supputatio diei festi, itemque diei abstinentiae et ieiunii, facienda est a media nocte usque ad mediam noctem, salvo praescripto can. 923.**

## TITULUS XIII.

### De diebus festis.

CAN. **1247.**

**§ 1. Dies festi sub praecepto in universa Ecclesia sunt tantum : Omnes et singuli dies dominici, festa Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniae, Ascensionis et sanctissimi Corporis Christi, Immaculatae Conceptionis et Assumptionis Almae Genitricis Dei Mariae, sancti Ioseph eius sponsi, Beatorum Petri et Pauli Apostolorum, Omnium denique Sanctorum.**

**§ 2. Ecclesiastico praecepto dies festi Patronorum non subiacent; locorum autem Ordinarii possunt sollemnitatem exteriorem transferre ad dominicam proxime sequentem.**

**§ 3. Sicubi aliquod festum ex enumeratis legitime sit abolitum vel translatum, nihil inconsulta Sede Apostolica innovetur.**

CAN. **1248.**

**Festis de praecepto diebus Missa audienda est; et abstinendum ab operibus servilibus, actibus forensibus, itemque, nisi aliud ferant legitimae consuetudines aut peculiaria indulta, publico mercatu, nundinis, aliisque publicis emptionibus et venditionibus.**

CAN. **1249.**

**Legi de audiendo Sacro satisfacit qui Missae adest quocunque catholico ritu celebretur et in quacunque ecclesia vel oratorio publico aut semi-publico et in privatis coemeteriorum aediculis de quibus in can. 1190, non vero in aliis oratoriis privatis, nisi hoc privilegium a Sede Apostolica concessum fuerit.**

## TITULUS XIV.

### De abstinentia et ieiunio.

CAN. **1250.**

**Abstinentiae lex vetat carne iureque ex carne vesci, non autem ovis, lacticiniis et quibuslibet condimentis etiam ex adipe animalium.**

CAN. **1.251.**

**§ 1. Lex ieiunii praescribit ut nonnisi unica per diem comestio fiat; sed non vetat aliquid cibi mane et vespere sumere, servata tamen circa ciborum quantitatem et qualitatem probata locorum consuetudine.**

**§ 2. Nec vetitum est carnes ac pisces in eadem refectione permiscere; nec serotinam refectionem cum prandio permutare.**

CAN. **1252.**

**§ 1. Lex solius abstinentiae servanda est singulis sextis feriis.**

**§ 2. Lex abstinentiae simul et ieiunii servanda est feria quarta Cinerum, feriis sextis et sabbatis Quadragesimae et feriis Quatuor Temporum, pervigiliis Pentecostes, Deiparae in caelum assumptae, Omnium Sanctorum et Nativitatis Domini.**

**§ 3. Lex solius ieiunii servanda est reliquis omnibus Quadragesimae diebus.**

**§ 4. Diebus dominicis vel festis de praecepto lex abstinentiae, vel abstinentiae et ieiunii, vel ieiunii tantum cessat, nec pervigilia anticipatur; item cessat Sabbato Sancto post meridiem.**

CAN. **1253.**

**His canonibus nihil immutatur de indultis particularibus, de votis cuiuslibet personae physicae vel moralis, de constitutionibus ac regulis cuiusvis religionis vel instituti approbati sive virorum sive mulierum in communi viventium etiam sine votis.**

CAN. **1254.**

**§ 1. Abstinentiae lege tenentur omnes qui septimum aetatis annum expleverint.**

**§ 2. Lege ieiunii adstringuntur omnes ab expleto vicesimo primo aetatis anno ad inceptum sexagesimum.**

# PARS TERTIA

# DE CULTU DIVINO

CAN. **1255.**

**§ 1. Sanctissimae Trinitati, singulis eiusdem Personis, Christo Domino, etiam sub speciebus sacramentalibus, debetur cultus latriae; Beatae Mariae Virgini cultus hyperduliae; aliis cum Christo in'caelo regnantibus cultus duliae.**

**§ 2. Sacris quoque reliquiis atque imaginibus veneratio et cultus debetur relativus personae ad quam reliquiae imaginesque referuntur.**

CAN. **1256.**

**Cultus, si deferatur nomine Ecclesiae a personis legitime ad hoc deputatis et per actus ex Ecclesiae institutione Deo, Sanctis ac Beatis tantum exhibendos, dicitur *publicus;* sin minus, *privatus.***

CAN. **1257.**

**Unius Apostolicae Sedis est tum sacram ordinare liturgiam, tum liturgicos approbare libros.**

CAN. **1258.**

**§ 1. Haud licitum est fidelibus quovis modo active assistere seu partem habere in sacris acatholicorum.**

**§ 2. Tolerari potest praesentia passiva seu mere materialis, civilis officii vel honoris causa, ob gravem rationem ab Episcopo in casu dubii probandam, in acatholicorum funeribus, nuptiis similibusque sóllemniis, dummodo perversionis et scandali periculum absit.**

CAN. **1259**

**§ 1. Orationes et pietatis exercitia ne permittantur in ecclesiis vel oratoriis sine revisione et expressa Ordinarii loci licentia, qui in casibus difficilioribus rem totam Sedi Apostolicae subiiciat.**

**§ 2. Loci Ordinarius nequit novas litanias approbare publice recitandas.**

CAN. **1260,**

**Ecclesiae ministri in cultu exercendo unice a Superioribus ecclesiasticis dependere debent.**

CAN. 1261.

**§ 1. Locorum Ordinarii advigilent ut sacrorum canonum praescripta de divino cultu sedulo observentur, et praesertim ne in cultum divinum sive publicum sive privatum aut in quotidianam fidelium vitam superstitiosa ulla praxis inducatur, aut quidquam admittatur a fide alienum vel ab ecclesiastica traditione absonum vel turpis quaestus speciem praeseferens.**

**§ 2. Si loci Ordinarius leges pro suo territorio hac in re tulerit, etiam religiosi omnes, exempti quoque, obligatione tenentur easdem servandi; et Ordinarius potest eorundem ecclesias vel publica oratoria in hunc finem visitare.**

CAN. 1262.

**§ 1. Optandum ut, congruenter antiquae disciplinae, mulieres in ecclesia separatae sint a viris.**

**§ 2. Viri in ecclesia vel extra ecclesiam, dum sacris ritibus assistunt, nudo capite sint, nisi aliud ferant probati populorum mores aut peculiaria rerum adiuncta; mulieres autem, capite cooperto et modeste vestitae, maxime cum ad mensam Dominicam accedunt.**

CAN. **1263.**

**§ 1. Potest magistratibus, pro eorum dignitate et gradu, locus in ecclesia esse distinctus, ad normam legum liturgicarum.**

**§ 2. Sine expresso Ordinarii loci consensu nemo fidelis locum habeat in ecclesia sibi suisque reservatum; Ordinarius autem consensum ne praebeat, nisi ceterorum fidelium commoditati sit sufficienter consultum.**

**§ 3. Ea semper factis in concessionibus inest tacita conditio, ut Ordinarius possit, ex iusta causa, concessionem revocare, non obstante quolibet temporis decursu.**

CAN. **1264.**

**§ 1. Musicae in quibus sive organo aliisve instrumentis sive cantu lascivum aut impurum aliquid misceatur, ab ecclesiis omnino arceantur; et leges liturgicae circa musicam sacram serventur.**

**§ 2. Religiosae mulieres, si eisdem liceat, ad normam suarum constitutionum vel legum liturgicarum ac de venia Ordinarii loci, in propria ecclesia aut oratorio publico canere, tali e loco canant, ubi a populo conspici nequeant.**

## TITULUS XV.

### De custodia et cultu sanctissimae Eucharistiae.

CAN. **1265.**

**§ 1. Sanctissima Eucharistia, dummodo adsit qui eius curam habeat et regulariter sacerdos semel saltem in hebdomada Missam in sacro loco celebret :**

**1.° Custodiri debet in ecclesia cathedrali, in ecclesia principe Abbatiae vel Praelaturae *nullius.* Vicariatus et Praefecturae Apostolicae, in qualibet ecclesia paroeciali vel quasi-paroeciali et in ecclesia adnexa domui religiosorum exemptorum sive virorum sive mulierum;**

**2.° Custodiri potest, de licentia Ordinarii loci, in ecclesia collegiata et in oratorio principali sive publico sive semi-publico tum domus piae aut religiosae, tum collegii ecclesiastici quod a clericis saecularibus vel a religiosis regatur.**

**§ 2. Ut in aliis ecclesiis seu oratoriis custodiri possit, necessarium est indultum apostolicum; loci Ordinarius hanc licentiam concedere potest tantummodo ecclesiae aut oratorio publico ex iusta causa et per modum actus.**

**§ 3. Nemini licet sanctissimam Eucharistiam apud se retinere aut secum in itinere deferre.**

CAN. **1266.**

**Ecclesiae in quibus sanctissima Eucharistia asservatur, praesertim paroeciales, quotidie per aliquot saltem horas fidelibus pateant.**

CAN. **1267.**

**Revocato quolibet contrario privilegio, in ipsa religiosa vel pia domo sanctissima Eucharistia custodiri nequit, nisi vel in ecclesia vel in principali oratorio; nec apud moniales intra chorum vel septa monasterii.**

CAN. **1268.**

**§ 1. Sanctissima Eucharistia continuo seu habitualiter custodiri nequit, nisi in uno tantum eiusdem ecclesiae altari.**

**§ 2. Custodiatur in praecellentissimo ac nobilissimo ecclesiae loco ac proinde regulariter in altari maiore, nisi aliud venerationi et cultui**

**tanti sacramenti commodius et decentius videatur, servato praescripto legum liturgicarum quod ad ultimos dies hebdomadae maioris attinet.**

**§ 3. Sed in ecclesiis cathedralibus, collegiatis aut conventualibus in quibus ad altare maius chorales functiones persolvendae sunt, ne ecclesiasticis officiis impedimentum afferatur, opportunum est ut sanctissima Eucharistia regulariter non custodiatur in altari maiore, sed in alio sacello seu altari.**

**§ 4. Curent ecclesiarum rectores ut altare in quo sanctissimum Sacramentum asservatur sit prae omnibus aliis ornatum, ita ut suo ipso apparatu magis moveat fidelium pietatem ac devotionem.**

CAN. **1269.**

**§ 1. Sanctissima Eucharistia servari debet in tabernaculo inamovibili in media parte altaris posito.**

**§ 2. Tabernaculum sit affabre exstructum, undequaque solide clausum, decenter ornatum ad normam legum liturgicarum, ab omni alija re vacuum, ac tam sedulo custodiatur ut periculum cuiusvis sacrilegae profanationis arceatur.**

**§ 3. Gravi aliqua suadente causa ab Ordinario loci probata, non est vetitum sanctissimam Eucharistiam nocturno tempore extra altare, super corporali tamen, in loco tutiore et decenti, asservari, servato praescripto can. 1271.**

**§ 4. Clavis tabernaculi, in quo sanctissimum Sacramentum asservatur, diligentissime custodiri debet, onerata graviter conscientia sacerdotis qui ecclesiae vel oratorii curam habet.**

CAN. **1270.**

**Particulae consecratae, eo numero qui infirmorum et aliorum fidelium communioni satis esse possit, perpetuo conserventur in pyxide ex solida decentique materia, eaque munda et suo operculo bene clausa, cooperta albo velo serico et, quantum res feret, ornato.**

CAN. **1271.**

**Coram tabernaculo, in quo sanctissimum Sacramentum asservatur, una saltem lampas diu noctuque continenter luceat, nutrienda oleo olivarum vel cera apum; ubi vero oleum olivarum haberi nequeat, Ordinarii loci prudentiae permittitur ut aliis oleis commutetur, quantum fieri potest, vegetabilibus.**

CAN. **1272/**

**Hostiae consecratae, sive propter fidelium communionem, sive propter expositionem sanctissimi Sacramenti, et recentes sint et frequenter renoventur, veteribus rite consumptis, ita ut nullum sit periculum corruptionis, sedulo servatis instructionibus quas Ordinarius loci hac de re dederit.**

CAN. **1273.**

**Qui in religiosam fidelium institutionem incumbunt, nihil omittant ut pietatem erga sanctissimam Eucharistiam in eorum animis excitent,**

eosque praesertim hortentur ut, non modo diebus dominicis et festis de praecepto, sed etiam diebus ferialibus intra hebdomadam, frequenter, quantum fieri potest, Missae sacrificio assistant et sanctissimum Sacramentum visitent.

CAN. 1274.

§ 1. In ecclesiis aut oratoriis quibus datum est asservare sanctissimam Eucharistiam, fieri potest expositio privata seu cum pyxide ex qualibet iusta causa sine Ordinarii licentia; expositio vero publica seu cum ostensorio die festo Corporis Christi et intra octavam fieri potest in omnibus ecclesiis inter Missarum sollemnia et ad Vesperas; aliis vero temporibus nonnisi ex iusta et gravi causa praesertim publica et de Ordinarii loci licentia, licet ecclesia ad religionem exemptam pertineat.

§ 2. Minister expositionis et repositionis sanctissimi Sacramenti est sacerdos vel diaconus; minister vero benedictionis Eucharisticae est solus sacerdos, nec eam impertire diaconus potest, nisi in casu quo, ad normam can. 845, § 2, Viaticum ad infirmum detulerit.

CAN. 1275.

Supplicatio Quadraginta Horarum in omnibus ecclesiis paroecialibus aliisque, in quibus sanctissimum Sacramentum habitualiter asservatur, statutis de consensu Ordinarii loci diebus, maiore qua fieri potest sollemnitate quotannis habeatur; et sicubi ob peculiaria rerum adiuncta nequeat sine gravi incommodo et cum reverentia tanto sacramento debita fieri, curet loci Ordinarius tit saltem per aliquot continuas horas, statis diebus, sanctissimum Sacramentum sollemniore ritu exponatur.

## TITULUS XVI.

### De cultu Sanctorum, sacrarum imaginum, et reliquiarum.

CAN. 1276.

Bonum atque utile est Dei Servos, una cum Christo regnantes, suppliciter invocare eorumque reliquias atque imagines venerari; sed prae ceteris filiali devotione Beatissimam Virginem Mariam fideles universi prosequantur.

CAN. 1277.

§ 1. Cultu publico eos tantum Dei Servos venerari licet, qui auctoritate Ecclesiae inter Sanctos vel Beatos relati sint.

§ 2. In album Sanctorum canonice relatis cultus duliae debetur; Sancti coli possunt ubique et quovis actu eius generis cultus; Beati vero non possunt, nisi loco et modo quo Romanus Pontifex concesserit.

CAN. 1278.

Laudabiliter quoque, servatis servandis, Sancti nationum, dioecesium, provinciarum, confraternitatum, familiarum religiosarum aliorumque locorum et moralium personarum eliguntur et, accedente confirma-

**tione Sedis Apostolicae, constituuntur Patroni; Beati non item, sine peculiari eiusdem Sedis Apostolicae indulto.**

CAN. **1279.**

**§ 1. Nemini liceat in ecclesiis, etiam exemptis, aliisve locis sacris ullam insolitam ponere vel ponendam curare imaginem, nisi ab Ordinario loci sit approbata.**

**§ 2. Ordinarius autem sacras imagines publice ad fidelium venerationem exponendas ne approbet, quae cum probato Ecclesiae usu non congruant.**

**§ 3. Nunquam sinat Ordinarius in ecclesiis aliisve locis sacris exhiberi falsi dogmatis imagines vel quae debitam decentiam et honestatem non praeseferant, aut rudibus periculosi erroris occasionem praebeant.**

**§ 4. Si imagines, publicae venerationi expositae, sollemniter benedicantur, haec benedictio Ordinario reservatur, qui tamen potest eam cuilibet sacerdoti committere.**

CAN. **1280.**

**Imagines pretiosae, idest vetustate, arte, aut cultu praestantes, in ecclesiis vel oratoriis publicis fidelium venerationi expositae, si quando reparatione indigeant, nunquam restaurentur sine dato scriptis consensu ab Ordinario; qui, antequam licentiam concedat, prudentes ac peritos viros consulat.**

CAN. **1281.**

**§ 1. Insignes reliquiae aut imagines pretiosae itemque aliae reliquiae aut imagines quae in aliqua ecclesia magna populi veneratione honorentur, nequeunt valide alienari neque in aliam ecclesiam perpetuo transferri sine Apostolicae Sedis permissu.**

**§ 2. Insignes Sanctorum vel Beatorum reliquiae sunt corpus, caput, brachium, antibrachium, cor, lingua, manus, crus aut illa pars corporis in qua passus est martyr, dummodo sit integra et non parva.**

CAN. **1282.**

**§ 1. Insignes Sanctorum vel Beatorum reliquiae nequeunt in aedibus vel oratoriis privatis asservari, sine expressa Ordinarii loci licentia.**

**§ 2. Reliquiae non insignes debito cum honore etiam in domibus privatis servari pieque a fidelibus gestari possunt.**

CAN. **1283.**

**§ 1. Publico.cultu eae solae reliquiae in ecclesiis, quanquam exemptis, honorari possunt, quas genuinas esse constet authentico documento alicuius S. R. E. Cardinalis, vel Ordinarii loci, vel alius viri ecclesiastici cui facultas *authenticandi* indulto apostolico sit concessa.**

**§ 2. Vicarius Generalis nequit, sine mandato speciali, reliquias authenticas edicere.**

CAN. **1284.**

**Locorum Ordinarii reliquiam, quam certo non esse authenticam no rint, a fidelium cultu prudenter amoveant.**

CAN. 1285.

§ 1. **Sacrae reliquiae, quarum authenticitatis documenta ob civiles perturbationes vel ob alium quemlibet casum interierint, publicae venerationi ne exponantur, nisi praecedat iudicium Ordinarii loci, non autem Vicarii Generalis sine mandato speciali.**

§ 2. **Eeliquiae tamen antiquae in ea veneratione qua hactenus fuerunt, sunt retinendae, nisi in aliquo peculiari casu certis argumentis constet eas falsas vel suppositicias esse.**

CAN. 1286.

**Locorum Ordinarii ne sinant, maxime in sacris concionibus, libris, ephemeridibus vel commentariis fovendae pietati destinatis, ex meris coniecturis, ex solis probabilibus argumentis vel praeiudicatis opinionibus, praesertim verbis ludibrium aut despectum sapientibus, quaestiones agitari de sacrarum reliquiarum authenticitate.**

CAN. 1287.

§ 1. **Reliquiae, cum" exponuntur, in thecis seu capsis clausae et obsignatae sint oportet.**

§ 2. **Reliquiae sanctissimae Crucis nunquam in eadem theca cum reliquiis Sanctorum publicae venerationi exhibeantur, sed propriam thecam separatam habeant.**

**§ 3. Beatorum reliquiae, sine peculiari indulto, in processionibus ne circumferatur, neve in ecclesiis exponantur, nisi ubi eorum officium et Missa celebretur ex Sedis Apostolicae concessione.**

CAN. 1288.

**Sanctissimae Crucis reliquiae, quas in cruce pectorali Episcopus forte defert, ecclesiae cathedrali, ipso defuncto, cedunt, Episcopo successori transmittendae; et si defunctus pluribus praefuerit dioecesibus, ecclesiae cathedrali dioecesis, in cuius territorio supremum diem obiit aut, si extra dioecesim mortuus est, ex qua ultimo discessit.**

CAN. 1289.

§ 1. **Sacras reliquias vendere nefas est; adeoque Ordinarii locorum, vicarii foranei, parochi aliive curam animarum habentes, sedulo caveant ne sacrae reliquiae, praesertim sanctissimae Crucis, occasione maxime hereditatum aut alienationis acervi bonorum, veneant, neve in acatholicorum manus transeant.** »

§ 2. **Rectores ecclesiarum, ceterique ad quos spectat, sedulo invigilent ne sacrae reliquiae ullo modo profanentur, neve hominum incuria pereant, vel minus decenter custodiantur.**

## TITULUS XVII.

### De sacris processionibus.

CAN. **1290.**

**§ 1. Nomine sacrarum processionum significantur sollemnes supplicationes quae a populo fideli, duce clero, fiunt eundo ordinatim de loco sacro ad locum sacrum, ad excitandam fidelium pietatem, ad commemoranda Dei beneficia eique gratias agendas, ad divinum auxilium implorandum.**

**§ 2. *Ordinariae* sunt quae statis diebus per annum fiunt ad normam librorum liturgicorum vel consuetudinum ecclesiarum; *extraordinariae,* quae aliis publicis de causis in alios dies indicuntur.**

CAN. **1291.**

**§ 1. Nisi aliter ferat immemorabilis consuetudo, vel locorum circumstantiae, prudenti Episcopi iudicio, aliud exigant, die festo Corporis Christi unica tantum sollemnisque per publicas vias processio in uno eodemque loco fieri-debet ab ecclesia digniore, eique clerici omnes religiosaeque virorum familiae, etiam exemptae, et laicorum confraternitates interesse debent, regularibus exceptis qui in strictiore clausura perpetuo vivant, aut a civitate ultra tria millia passuum distent.**

**§ 2. Ceterae paroeciae et ecclesiae etiam regulares possunt, intra octavam, proprias processiones extra ecclesiae ambitum agere; sed ubi plures sunt ecclesiae, Ordinarii loci est dies, horas ac vias praestituere quibus suam quaeque processionem agant.**

CAN. **1292.**

**Ordinarius loci, audito Capitulo cathedrali, potest ex publica causa extraordinarias processiones indicere; quibus, sicut et ordinariis ac consuetis, ii omnes interesse debent de quibus in can. 1291, § 1.**

CAN. **1293.**

**Religiosi etiam exempti nequeunt extra suas ecclesias et claustra processiones ducere sine Ordinarii loci licentia, salvo praescripto can. 1291, § 2.**

CAN. **1294.**

**§ 1. Parochus vel quivis alius nequit processiones novas inducere aut consuetas transferre vel abolere sine Ordinarii loci licentia.**

**§ 2. Processionibus alicuius ecclesiae propriis interesse debent omnes clerici eidem ecclesiae adscripti.**

CAN. **1295.**

**Curent Ordinarii ut sacrae processiones, exstirpatis, si qui sint, malis usibus, ordinate procedant eaque modestia ac reverentia ab omnibus per ficiantur, quae piis ac religiosis huiusmodi actibus maxime convenit.**

## TITULUS XVIII.

### De sacra supellectili.

CAN. **1296.**

**§ 1. Sacra supellex, praesertim quae, ad normam legum liturgicarum, benedicta aut consecrata esse debet quaeque publico in cultu adhibetur, caute custodiatur in ecclesiae sacrario aliove tuto ac decenti loco, nec ad usus profanos adhibeatur.**

**§ 2. Ad normam can. 1522 universae sacrae supellectilis inventarium fiat et accurate servetur.**

**§ 3. Circa materiam et formam sacrae supellectilis, serventur praescripta liturgica, ecclesiastica traditio et, meliore quo fieri potest modo, etiam artis sacrae leges.**

CAN. **1297.**

**Nisi aliter sit provisum, qui officio tenentur reparandae ecclesiae ad normam can. 1186, debent quoque ei providere de sacra supellectili ad cultum necessaria.**

CAN. **1298.**

**§ 1. Defuncti S. R. E. Cardinalis, qui in Urbe domicilium habebat, quamvis Episcopus suburbicaria aut Abbas *nullius* esset, quaelibet sacra supellex, exceptis annulis et crucibus pectoralibus etiam cum sacris reliquiis, aliaeque res omnes stabiliter divino cultui destinatae, nulla habita ratione qualitatis et naturae redituum quibus comparatae sint, cedunt pontificio sacrario, nisi Cardinalis eas donaverit aut testamento reliquerit alicui ecclesiae vel oratorio publico vel loco pio vel alicui personae ecclesiasticae seu religiosae.**

**§ 2. Optandum ut Cardinalis, qui huiusmodi facultate uti velit, saltem ex parte praeferat illas ecclesias, quas in titulum, administrationem seu commendam obtinuerit.**

CAN. **1299.**

**§ 1. Defuncti Episcopi residentialis, etiamsi cardinalitia dignitate fulserit, sacra supellex cedit ecclesiae cathedrali, exceptis annulis et crucibus pectoralibus etiam cum sacris reliquiis, salvo praescripto can. 1288, et iis omnibus utensilibus cuiusvis generis quae legitime probetur ab Episcopo defuncto comparata fuisse bonis ad ipsam ecclesiam non pertinentibus neque constet in ecclesiae proprietatem transiisse.**

**§ 2. Si quando Episcopus duas vel plures dioeceses successive rexerit aut simul praefuerit duabus vel pluribus dioecesibus unitis aut in perpetuam administrationem concessis, cathedralem ecclesiam habentibus propriam et distinctam, quae sacra utensilia constiterit reditibus unius tantum dioecesis fuisse comparata, ea eiusdem cathedrali ecclesiae cedunt; secus dividi debent, aequis partibus, inter singulas ecclesias cathedrales, dummodo dioecesium reditus ne sint divisi, sed unam episcopalem**

**mensam perpetuo constituant; si vero reditus divisi sint ac separati, divisio fiat inter singulas ecclesias cathedrales pro ratione fructuum quos in singulis dioecesibus Episcopus perceperit ac temporis quo eisdem praefuerit.**

**§ 3. Episcopus obligatione tenetur inventarii sacrorum utensilium authentica forma conficiendi, in quo pro rei veritate quando acquisita sint, exprimat, distincteque describat si qua non ex ecclesiae reditibus ac proventibus, sed ex propriis bonis vel ex donatione sibi facta comparaverit; secus omnia reditibus ecclesiae comparata praesumuntur.**

CAN. **1300.**

**Quae in can. 1299 praescripta sunt, applicentur quoque clerico qui in aliqua ecclesia beneficium saeculare vel religiosum obtinuerit.**

CAN. 1301.

**§ 1. S. E. E. Cardinalis, Episcopus residentialis aliique clerici beneficiarii obligatione tenentur curandi testamento vel alio instrumento in forma iuris valido ut canonica praescripta, de quibus in can. 1298-1300, debitum effectum etiam in foro civili sortiantur.**

**§ 2. Quamobrem tempestive ac forma iure civili valida personam integrae famae designent ad normam can. 380, quae, adveniente ipsorum morte, non solum sacram supellectilem, sed etiam libros, documenta aliaque quae ad ecclesiam pertinent et in eorum domo reperiuntur, occupet et cui debentur, remittat.**

CAN. **1302.**

**Rectores ecclesiarum aliique quibus credita sit cura sacrae supellectilis, sedulo debent eiusdem conservationi et decori prospicere.**

CAN. **1303.**

**§ 1. Ecclesia cathedralis debet sacram supellectilem aliaque quae ad Missae sacrificium vel ad alias pontificales functiones necessaria sint, gratis Episcopo subministrare etiam privatim celebranti non solum in ecclesia cathedrali, sed in aliis quoque civitatis vel suburbii ecclesiis.**

**§ 2. Si qua ecclesia paupertate laboret, potest Ordinarius permittere ut a sacerdotibus qui in proprium commodum inibi celebrant, propter utensilia ceteraque ad Missae sacrificium necessaria, moderata stipes exigatur.**

**§ 3. Episcopi, non autem Vicarii Capitularis aut Vicarii Generalis sine speciali mandato, est eandem stipem definire, et nemini, etiam religiosis etsi exemptis, licet ea maiorem exigere.**

**§ 4. Episcopus pro tota dioecesi eiusmodi stipem in dioecesana Synodo, si fieri possit, definiat, aut extra Synodum, audito Capitulo.**

CAN. **1304.**

**Benedictionem illius sacrae supellectilis quae ad normam legum liturgicarum benedici debet antequam ad usum sibi proprium adhibeatur, impertire possunt :**

1.° **S. R. E. Cardinales et Episcopi omnes;**

**2.° Locorum Ordinarii, charactere episcopali carentes, pro ecclesiis et oratoriis proprii territorii;**

3.° **Parochus pro ecclesiis et oratoriis in territorio suae paroeciae positis, et rectores ecclesiarum pro suis ecclesiis;**

**4.° Sacerdotes a loci Ordinario delegati, intra fines delegationis et iurisdictionis delegantis;**

5.° **Superiores religiosi, et sacerdotes eiusdem religionis ab ipsis delegati, pro propriis ecclesiis et oratoriis ac pro ecclesiis monialium sibi subiectarum.**

CAN. 1305.

§ 1. **Sacra supellex benedicta aut consecrata benedictionem aut consecrationem amittit :**

1.° **Si tales laesiones vel mutationes subierit ut pristinam amiserit formam, et iam ad suos usus non habeatur idonea;**

**2.° Si ad usus indecoros adhibita vel publicae venditioni exposita fuerit.**

**§ 2. Calix et patena non amittunt consecrationem ob consumptionem vel renovationem auraturae, salva tamen, priore in casu, gravi obligatione rursum ea inaurandi.**

CAN. 1306.

§ 1. **Curandum ne calix cum patena et ante lotionem purificatoria, pallae et corporalia, quae adhibita fuere in sacrificio Missae, tangantur, nisi a clericis vel ab iis qui eorum custodiam habent.**

**§ 2. Purificatoria, pallae et corporalia, in Missae sacrificio adhibita, ne tradantur lavanda laicis etiam religiosis, nisi prius abluta fuerint a clerico in maioribus ordinibus constituto; aqua autem primae lotionis mittatur in sacrarium vel, si hoc desit, in ignem.**

## TITULUS XIX.

## De voto et iureiurando.

### CAPUT I.

### *De voto,*

CAN. 1307.

§ 1. **Votum, idest promissio deliberata ac libera Deo facta de bono possibili et meliore, ex virtute religionis impleri debet.**

**§ 2. Msi iure prohibeantur, omnes congruenti rationis usu pollentes, sunt voti capaces.**

§ 3. **Votum metu gravi et iniusto emissum ipso iure nullum est.**

CAN. 1308.

§ 1. **Votum est *publicum,* si nomine Ecclesiae a legitimo Superiore ecclesiastico acceptetur; secus *privatum.***

**§ 2. *Sollemne,* si ab Ecclesia uti tale fuerit agnitum; secus, *simplex.***

**§ 3. *Reservatum,* cuius dispensationem sola Sedes Apostolica concedere potest.**

**§ 4. *Personale,* quo actio voventis promittitur; *reale,* quo promittitur res aliqua; *mixtum,* quod personalis et realis naturam participat.**

CAN. **1309.**

**Vota privata Sedi Apostolicae reservata sunt tantummodo votum perfectae ac perpetuae castitatis et votum ingrediendi in religionem votorum sollemnium, quae emissa fuerint absolute et post completum decimum octavum aetatis annum.**

CAN. **1310.**

**§ 1. Votum non obligat, ratione sui, nisi emittentem.**

**§ 2. Voti realis obligatio transit ad heredes, item obligatio voti mixti pro parte qua reale est.**

CAN; **1311.**

**Cessat votum lapsu temporis ad finiendam obligationem appositi, mutatione substantiali materiae promissae, deficiente conditione a qua votum pendet aut eiusdem causa finali, irritatione, dispensatione, commutatione.**

CAN. **1312.**

**§ 1. Qui potestatem dominativam in voluntatem voventis legitime exercet, potest eius vota valide et, ex iusta causa, etiam licite irrita reddere, ita ut nullo in casu obligatio postea reviviscat.**

**§ 2. Qui potestatem non quidem in voluntatem voventis, sed in voti materiam habet, potest voti obligationem tandiu suspendere, quandiu voti adimplementum sibi praeiudicium afferat.**

CAN. **1313.**

**Vota non reservata possunt iusta de causa dispensare, dummodo dispensatio ne laedat ius aliis quaesitum :**

**1.° Loci Ordinarius quod attinet ad omnes suos subditos atque etiam peregrinos;**

**2.° Superior religionis clericalis exemptae quod attinet ad personas quae can. 514, § 1, enumerantur;**

**3.° Ii quibus ab Apostolica Sede delegata fuerit dispensandi potestas.**

CAN. **1314.**

**Opus voto non reservato promissum potest in melius vel in aequale bonum ab ipso vovente commutari; in minus vero bonum ab illo cui potestas est dispensandi ad normam can. 1313.**

CAN. **1315.**

**Vota ante professionem religiosam emissa suspenduntur, donec vovens in religione permanserit.**

### CAPUT II.

### *De iureiurando.*

CAN. **1316.**

**§ 1. Iusiurandum, idest invocatio Nominis divini in testem veritatis, praestari nequit, nisi in veritate, in iudicio et in iustitia.**

**§ 2. Iusiurandum quod canones exigunt vel admittunt, per procuratorem praestari valide nequit.**

CAN. **1317.**

**§ 1. Qui libere iurat se aliquid facturum, peculiari religionis obligatione tenetur implendi quod iureiurando firmaverit.**

**§ 2. Iusiurandum per vim aut metum gravem extortum valet, sed a Superiore ecclesiastico relaxari potest.**

**§ 3. Iusiurandum nec vi nec dolo praestitum quo quis privato bono aut favori renuntiat lege ipsi concesso, servandum est quoties non vergit in dispendium salutis aeternae.**

CAN. **1318.**

**§ 1, Iusiurandum promissorium sequitur naturam et conditiones actus cui adiicitur.**

**§ 2. Si actui directe vergenti in damnum aliorum ant in praeiudicium boni publici vel salutis aeternae iusiurandum adiiciatur, nullam exinde actus consequitur firmitatem.**

CAN. **1319.**

**Obligatio iureiurando promissorio inducta desinit :**

**1.° Si remittatur ab eo in cuius commodum iusiurandum emissum fuerat;**

**2.° Si res iurata substantialiter mutetur, aut, mutatis adiunctis, fiat sive mala sive omnino indifferens, aut denique maius bonum impediat;**

**3.° Deficiente causa finali aut conditione sub qua forte iusiurandum datum sit;**

**4.° Irritatione, dispensatione, commutatione, ad normam can. 1320.**

CAN. **1320.**

**Qui irritare, dispensare, commutare possunt votum, eandem potestatem eademque ratione habent circa iusiurandum promissorium; sed si iurisiurandi dispensatio vergat in praeiudicium aliorum qui obligationem remittere recusent, una Apostolica Sedes potest iusiurandum dispensare propter necessitatem aut utilitatem Ecclesiae.**

CAN. **1321.**

**Iusiurandum stricte est interpretandum secundum ius et secundum intentionem iurantis, aut, si hic dolo agat, secundum intentionem illius cui iuratur.**

# PARS QUARTA

## DE MAGISTERIO ECCLESIASTICO

CAN. **1322.**

**§ 1. Christus Dominus fidei depositum Ecclesiae concredidit, ut ipsa, Spiritu Sancto iugiter assistente, doctrinam revelatam sancte custodiret et fideliter exponeret.**

**§ 2. Ecclesiae, independenter a qualibet civili potestate, ius est et officium gentes omnes evangelicam doctrinam docendi : hanc vero rite ediscere veramque Dei Ecclesiam amplecti omnes divina lege tenentur.**

CAN. **1323.**

**§ 1. Fide divina et catholica ea omnia credenda sunt quae verbo Dei scripto* vel tradito continentur et ab Ecclesia sive sollemni iudicio sive ordinario et universali magisterio tanquam divinitus revelata credenda proponuntur.**

**§ 2. Sollemne huiusmodi iudicium pronuntiare proprium est tum Oecumenici Concilii tum Romani Pontificis ex cathedra loquentis.**

**§ 3. Declarata seu definita dogmatice res nulla intelligitur, nisi id manifeste constiterit.**

CAN. **1324.**

**Satis non est haereticam pravitatem devitare, sed oportet illos quoque errores diligenter fugere, qui ad illam plus minusve accedunt; quare omnes debent etiam constitutiones et decreta servare quibus pravae huiusmodi opiniones a Sancta Sede proscriptae et prohibitae sunt.**

CAN. **1325.**

**§ 1. Fideles Christi fidem aperte profiteri tenentur quoties eorum silentium, tergiversatio aut ratio agendi secumferrent implicitam fidei negationem, contemptum religionis, iniuriam Dei vel scandalum proximi.**

**§ 2. Post receptum baptismum si quis, nomen retinens christianum, pertinaciter aliquam ex veritatibus fide divina et catholica credendis denegat aut de ea dubitat, haereticus; si a fide christiana totaliter recedit, apostata; si denique subesse renuit Summo Pontifici aut cum membris Ecclesiae ei subiectis communicare recusat, schismaticus est.**

**§ 3. Caveant catholici ne disputationes vel collationes, publicas praesertim, cum acatholicis habeant, sine venia Sanctae Sedis aut, si casus urgeat, loci Ordinarii.**

CAN. **1326.**

**Episcopi quoque, licet singuli vel etiam in Conciliis particularibus congregati infallibilitate docendi non polleant, fidelium tamen suis curis commissorum, sub auctoritate Romani Pontificis, veri doctores seu magistri sunt.**

## TITULUS XX.

### De diyini verbi praedicatione.

CAN. 1327.

§ 1. **Munus fidei catholicae praedicandae commissum praecipue est Romano Pontifici pro universa Ecclesia. Episcopis pro suis dioecesibus.**

§ 2. **Episcopi tenentur officio praedicandi per se ipsi Evangelium, nisi legitimo prohibeantur impedimento; et insuper, praeter parochos, debent alios quoque viros idoneos in auxilium assumere ad huiusmodi praedicationis munus salubriter exsequendum.**

CAN. 3328.

**Nemini ministerium praedicationis licet exercere, nisi a legitimo Superiore missionem receperit, facultate peculiariter data, vel officio collato, cui ex sacris canonibus praedicandi munus inhaereat.**

CAPUT **I.**

### *De catechetica institutione.*

CAN. 1329.

**Proprium ac gravissimum officium, pastorum praesertim animarum,, est catecheticam populi christiani institutionem curare.**

CAN. 1330.

**Debet parochus :**

1.° **Statis temporibus, continenti per plures dies institutione, pueros ad sacramenta poenitentiae et confirmationis rite suscipienda singulis annis praeparare;**

2.° **Peculiari omnino studio, praesertim, si nihil obsit, Quadragesimae tempore, pueros sic instituere ut sancte Sancta primum de altari libent.**

CAN. 1331.

**Praeter puerorum institutionem de qua in can.** 1330, **parochus non omittat pueros, qui primam communionem recenter receperint, uberius: ac perfectius catechismo excolere.**

CAN. 1332.

**Diebus dominicis aliisque festis de praecepto, ea hora quae suo iudicio magis apta sit ad populi frequentiam, debet insuper parochus catechismum fidelibus adultis, sermone ad eorum captum accommodato,, explicare.**

CAN. 1333.

§ 1. **Parochus in religiosa puerorum institutione potest, imo, si legitime sit impeditus, debet operam adhibere clericorum, in paroeciae ter-**

**ritorio degentium, aut etiam, si necesse sit, piorum laicorum, potissimum illorum qui in pium sodalitium *doctrinae christianae* aliudve simile in paroecia erectum adscripti sint.**

**§ 2. Presbyteri aliique clerici, nullo legitimo impedimento detenti, proprio parocho in hoc sanctissimo opere adiutores sunto, etiam sub poenis ab Ordinario infligendis.**

CAN. 1334.

**Si, Ordinarii loci iudicio, religiosorum auxilium ad catecheticam populi institutionem sit necessarium, Superiores religiosi, etiam exempti, ab eodem Ordinario requisiti, tenentur per se vel per suos subditos religiosos, sine tamen regularis disciplinae detrimento, illam populo tradere, praesertim in propriis ecclesiis.**

CAN. 1335.

**Non solum parentes aliique qui parentum locum tenent, sed heri quoque ac patrini obligatione adstringuntur curandi ut omnes sibi subiecti vel commendati catechetica institutione erudiantur.**

CAN. 1336.

**Ordinarii loci est omnia in sua dioecesi edicere quae ad populum in christiana doctrina instituendum spectent; et etiam religiosi exempti, quoties non exemptos docent, eadem servare tenentur.**

## CAPUT II.

## *De sacris concionibus.*

CAN. 1337.

**Tum clericis e clero saeculari, tum religiosis non exemptis facultatem concionandi pro suo territorio solus concedit loci Ordinarius.**

CAN. 1338.

§ 1. **Si concio habenda sit tantum ad religiosos exemptos aliosve de quibus in can.** 514, § 1, **facultatem concionandi in religione clericali dat eorum Superior secundum constitutiones; qui in casu potest eam concedere etiam iis qui de clero saeculari vel de alia religione sunt, dummodo a proprio Ordinario vel Superiore fuerint idonei iudicati.**

**§ 2. Si concio habenda sit ad alios, vel etiam ad moniales regularibus subiectas, facultatem religiosis quoque exemptis impertit Ordinarius loci in quo concio fiet; concionator autem, verba facturus monialibus exemptis, licentia Superioris regularis praeterea indiget.**

§ 3. **Facultatem vero concionandi apud sodales religionis laicalis, quamvis exemptae, dat loci Ordinarius; sed concionator nequit facultate uti sine Superioris religiosi assensu.**

CAN. 1339.

§ 1. **Ordinarii locorum religiosis qui a proprio Superiore exhibeantur, facultatem concionandi, sine gravi causa, ne denegent, concessam-**

**que ne revocent, praesertim una simul universis domus religiosae sacerdotibus, firmo tamen praescripto can. 1340.**

**§ 2. Ooncionatoribus religiosis, ut facultate recepta uti liceat, opus est praeterea sui Superioris licentia.**

CAN. **1340.**

**§ 3. Graviter onerata eorum conscientia, loci Ordinarius vel Superior religiosus facultatem vel licentiam concionandi cuiquam ne concedant, nisi prius constet de eius bonis moribus et de sufficienti doctrina per examen ad normam can. 877, § 1.**

**§ 2. Si, concessa facultate vel licentia, compererint necessarias dotes in concionatore desiderari, debent eam revocare; in dubio de doctrina, debent certis argumentis dubitationem excutere, novo etiam examine, si opus fuerit.**

**. .§ 3. Ob revocatala concionandi facultatem vel licentiam, datur recursus, sed non in suspensivo.**

CAN. **1341.**

**§ 1. Sacerdotes extradioecesani sive saeculares sive religiosi ad concionandum ne invitentur, nisi prius licentia ab Ordinario loci in quo concio habenda sit, obtenta fuerit; hic autem, nisi eorum idoneitatem aliunde compertam habeat, licentiam ne concedat, nisi prius bonum testimonium super concionatoris doctrina, pietate, moribus a proprio eiusdem Ordinario habuerit; qui, graviter onerata conscientia, secundum veritatem respondere tenetur.**

**§ 2. Licentiam tempestive petere debet parochus, si agatur de paroeciali ecclesia aliave eidem subiecta; rector ecclesiae, si de ecclesia parochi auctoritati non obnoxia; prima dignitas, de Capituli consensu, si de ecclesia capitulari; moderator seu cappellanus confraternitatis, si de ecclesia eiusdem confraternitatis propria.**

**§ 3. Si ecclesia paroecialis sit simul capitularis aut confraternitatis propria, ille licentiam petat, qui sacras functiones iure peragit.**

CAN. **1342.**

**§ 1. Concionandi facultas solis sacerdotibus vel diaconis fiat, non vero ceteris clericis, nisi rationabili de causa, iudicio Ordinarii et in casibus singularibus.**

**§ 2. Concionari in ecclesia, vetantur laici omnes, etsi religiosi.**

CAN. **1343.**

**§ 1. Ordinarii locorum ius habent concionandi in qualibet sui territorii ecclesia, quamvis exempta.**

**§ 2. Nisi agatur de magnis civitatibus, potest quoque Episcopus prohibere ne in aliis eiusdem loci ecclesiis verba fiant ad fideles, quo tempore vel concionem ipse habet vel coram se, ex causa publica atque extraordinaria, convocatis fidelibus, habendam curat.**

CAN. **1344.**

**§ 1. Diebus dominicis ceterisque per annum festis de praecepto proprium cuiusque parochi officium est, consueta homilia, praesertim intra Missam in qua maior soleat esse populi frequentia, verbum Dei populo nuntiare.**

**§ 2. Parochus huic obligationi nequit per alium habitualiter satisfacere, nisi ob iustam causam ab Ordinario probatam.**

**§ 3. Potest Ordinarius permittere ut sollemnioribus quibusdam festis aut etiam, ex iusta causa, aliquibus diebus dominicis concio omittatur.**

CAN. **1345.**

**Optandum ut in Missis quae, fidelibus adstantibus, diebus festis de praecepto in omnibus ecclesiis vel oratoriis publicis celebrantur, brevis Evangelii aut alicuius partis doctrinae christianae explanatio fiat; quod si loci Ordinarius id praeceperit, opportunis datis instructionibus, hac lege tenentur non solum sacerdotes e clero saeculari, sed etiam religiosi, exempti quoque, in suis ipsorum ecclesiis.**

CAN. **1346.**

**§ 1. Curent locorum Ordinarii ut tempore Quadragesimae, itemque, si id expedire visum fuerit, tempore Adventus, in ecclesiis cathedralibus et paroecialibus sacrae conciones frequentius ad fideles habeantur.**

**§ 2. Canonici aliique de Capitulo huic concioni, si in propria ecclesia continuo post chorum habeatur, interesse tenentur, nisi iusto impedimento detineantur; et illos Ordinarius, poenis quoque adhibitis, ad id adigere potest.**

CAN. **1347.**

**§ 1. In sacris concionibus exponenda in primis sunt quae fideles credere et facere ad salutem oportet.**

**§ 2. Divini verbi praecones abstineant profanis aut abstrusis argumentis communem audientium captum excedentibus; et evangelicum ministerium non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, non in profano inanis et ambitiosae eloquentiae apparatu et lenocinio, sed in ostensione spiritus et virtutis exerceant, non semetipsos, sed Christum crucifixum praedicantes.**

**§ 3. Si, quod absit, concionator errores aut scandala disseminet, servetur praescriptum can. 2317; si haereses, in eum praeterea, ad normam iuris, agatur.**

CAN. **1348.**

**Monendi et adhortandi diligenter fideles sunt ut sacris concionibus frequenter intersint.**

CAPUT III.

*De sacris missionibus.*

CAN. **1349.**

**§ 1. Ordinarii advigilent ut, saltem decimo quoque anno, sacram, quam vocant, missionem, ad gregem sibi commissum habendam parochi curent.**

**§ 2. Parochus, etiam religiosus, in his missionibus instituendis mandatis Ordinarii loci stare debet.**

CAN. **1350.**

**§ 1. Ordinarii locorum et parochi acatholicos, in suis dioecesibus et paroeciis degentes, commendatos sibi in Domino habeant.**

**§ 2. In aliis territoriis universa missionum cura apud acatholicos Sedi Apostolicae unice reservatur.**

CAN. **1351.**

**Ad amplexandam fidem catholicam nemo invitus cogatur.**

## TITULUS XXI.

**De Seminariis.**

CAN. **1352.**

**Ecclesiae est ius proprium et exclusivum eos instituendi qui ecclesiasticis ministeriis sese devovere cupiunt.**

CAN. **1353.**

**Dent operam sacerdotes, praesertim parochi, ut pueros, qui indicia praebeant ecclesiasticae vocationis, peculiaribus curis a saeculi contagiis arceant, ad pietatem informent, primis litterarum studiis imbuant divinaeque in eis vocationis germen foveant.**

CAN. **1354.**

**§ 1, Unaquaeque dioecesis in loco convenienti ab Episcopo electo Seminarium seu collegium habeat in quo, pro modo facultatum et dioecesis amplitudine, certus adolescentium numerus ad statum clericalem instituatur.**

**§ 2. Curandum ut in maioribus praesertim dioecesibus bina constituantur Seminaria : minus, scilicet, pro pueris litterarum scientia imbuendis, maius pro alumnis philosophiae ac theologiae vacantibus.**

**§ 3. Si constitui Seminarium dioecesanum nequeat, aut in constituto Seminario conveniens institutio," praesertim in philosophicis ac theologicis disciplinis, desideretur, Episcopus alumnos in alienum Seminarium**

**mittat, nisi Seminarium interdioecesanum vel regionale, auctoritate apostolica, constitutum fuerit.**

CAN. 1355.

**Pro Constitutione Seminarii et alumnorum sustentatione, si proprii reditus deficiant, Episcopus potest :**

1.° **Parochos aliosve ecclesiarum etiam exemptarum rectores iubere ut statis temporibus in ecclesia ad hunc finem stipem exquirant;**

2.° **Tributum seu *taxam* in sua dioecesi imperare;**

3.° **Si haec non sufficiant, attribuere Seminario aliqua beneficia simplicia.**

CAN. 1356.

§ 1. **Tributo pro Seminario obnoxia sunt, quavis appellatione remota, reprobata qualibet contraria consuetudine et abrogato quolibet contrario privilegio, mensa episcopalis, omnia beneficia etiam regularía aut iurispatronatus, paroeciae aut quasi-paroeciae, quamvis alios reditus, praeter fidelium oblationes, non habeant, domus hospitalis auctoritate ecclesiastica erecta, sodalitates canonice erectae et fabricae ecclesiarum, si suos reditus habeant, quaelibet religiosa domus, etsi exempta, nisi solis eleemosynis vivat aut in ea collegium discentium vel docentium ad commune Ecclesiae bonum promovendum actu habeatur.**

§ 2. **Hoc tributum debet esse generale eiusdemque proportionis pro omnibus, maius vel minus secundum Seminarii necessitatem, sed quinas quotannis centesimas partes** (5 *%)* **reditus vectigalis non excedens, minuendum prout reditus Seminarii augentur.**

§ 3. **Reditus tributo obnoxius is est qui, deductis oneribus et necessariis expensis, supersit in anno; nec in eo reditu computari debent distributiones quotidianae, vel, si omnes beneficii fructus distributionibus constent, tertia earundem pars; nec fidelium oblationes, nec, si omnes paroeciae reditus coalescant fidelium oblationibus, tertia earundem pars.**

CAN. 1357.

§ 1. **Episcopi est omnia et singula quae ad rectam Seminarii dioecesani administrationem, regimen, profectum necessaria et opportuna videantur, decernere, eaque ut fideliter observentur, curare, salvis praescriptionibus a Sancta Sede pro casibus peculiaribus latis.**

§ 2. **Potissimum studeat Episcopus frequenter Seminarium ipse per se visitare, in institutionem quae alumnis traditur sive litterariam et scientificam sive ecclesiasticam sedulo vigilare, et de alumnorum indole, pietate, vocatione ac profectu pleniorem sibi comparare notitiam, maxime occasione sacrarum ordinationum.**

§ 3. **Unumquodque Seminarium suas leges habeat ab Episcopo approbatas, in quibus quid agere, quid observare debeant, doceantur tum qui in eodem Seminario in spem Ecclesiae instituuntur, tum qui in horum institutionem operam suam impendunt.**

**§ 4. Seminarii interdioecesani vel regionalis regimen universum et administratio regitur normis a Sancta Sede statutis.**

CAN. **1358.**

**Curandum ut in quolibet Seminario adsint rector pro disciplina, magistri pro instructione, oeconomus pro curanda re familiari, a rectore distinctus, duo saltem confessarii ordinarii et director spiritus.**

CAN. **1359.**

**§ 1. Dioecesanis Seminariis bini constituantur coetus deputatorum, alter pro disciplina, alter pro administratione bonorum temporalium.**

**§ 2. Utrumque deputatorum coetum constituunt bini sacerdotes, ab Episcopo, audito Capitulo, electi; sed excluduntur Vicarius Generalis, familiares Episcopi, rector Seminarii, oeconomus, et confessarii ordinarii.**

**§ 3. Munus deputatorum per sexennium durat, nec electi sine gravi causa amoveantur; sed rursus eligi poterunt.**

**§ 4. Episcopus debet consilium deputatorum in negotiis maioris momenti petere.**

CAN. **1360.**

**§ 1. Firmo praescripto can. 891, ad munus rectoris, directoris spiritus, confessariorum et magistrorum Seminarii eligantur sacerdotes non doctrina tantum, sed etiam virtutibus ac prudentia praestantes, qui verbo et exemplo alumnis prodesse possint.**

**§ 2. Rectori Seminarii in propriis muneribus implendis obtemperare omnes debent.**

CAN. **1361.**

**§ 1. Praeter confessarios ordinarios, alii confessarii designentur ad quos libere alumni accedere possint.**

**§ 2. Si ii confessarii extra Seminarium degant, et alumnus aliquem eorum ácciri postulet, illum rector arcessat, nullo modo petitionis rationem inquirens neque se aegre id ferre demonstrans; si in Seminario habitent, ipsos alumnus libere adire potest, salva Seminarii disciplina.**

**§ 3. Quando agitur de alumno ad ordines admittendo vel e Seminario expeliendo, nunquam confessariorum votum exquiratur.**

CAN. **1362.**

**Reditus legati pro clericis instituendis tribui possunt alumnis in Seminarium sive maius sive minus rite receptis, licet nondum clericali tonsura initiatis, nisi aliud in tabulis fundationis expresse caveatur.**

CAN. **1363.**

**§ 1. In Seminarium ab Ordinario ne admittantur, nisi filii legitimi quorum indoles et voluntas spem afferant eos cum fructu ecclesiasticis ministeriis perpetuo inservituros.**

**§ 2. Antequam recipiantur, documenta exhibere debent de legitimitate natalium, de susceptis baptismate et confirmatione ac de vita et moribus.**

§ 3. **Dimissi ex aliis Seminariis vel ex aliqua religione ne admittantur, nisi prius Episcopus etiam secreto a Superioribus aliisve notitias requisierit de causa dimissionis, ac de moribus, indole et ingenio dimissorum, et certo compererit nihil in eis esse quod sacerdotali statui minus conveniat; quas notitias, veritati conformes, eorum conscientia graviter onerata, suppeditare Superiores debent.**

CAN, 1364.

**In inferioribus Seminarii scholis :**

1.° **Praecipuum locum obtineat religionis disciplina, quae, modo singulorum ingenio et aetati accommodato, diligentissime explicetur;**

**2.° Linguas praesertim latinam et patriam alumni accurate addiscant;**

3.° **Ea in ceteris disciplinis institutio tradatur quae conveniat communi omnium culturae et statui clericorum in regione ubi alumni sacrum ministerium exercere debent.**

CAN. 1365.

§ 1. **In philosophiam rationalem cum affinibus disciplinis alumni per integrum saltem biennium incumbant.**

**§ 2. Cursus theologicus saltem integro quadriennio contineatur, et, praeter theologiam dogmaticam et moralem, complecti praesertim debet studium sacrae Scripturae, historiae ecclesiasticae, iuris canonici, liturgiae, sacrae eloquentiae et cantus ecclesiastici..**

§ 3. **Habeantur etiam lectiones de theologia pastorali, additis practicis exercitationibus praesertim de ratione tradendi pueris aliisve catechismum, audiendi confessiones, visitandi infirmos, assistendi moribundis.**

CAN. 1366.

§ 1. **Ad magisterii munus in disciplinis philosophicis, theologicis et iuridicis, ii, ceteris paribus, iudicio Episcopi et deputatorum Seminarii, praeferantur, qui laurea doctorali potiti sint in Universitate studiorum vel Facultate a Sancta Sede recognitis, aut, si agatur de religiosis, qui simile testimonium a suis Superioribus maioribus habeant.**

**§ 2. Philosophiae rationalis ac theologiae studia et alumnorum in his disciplinis institutionem professores omnino pertractent ad Angelici Doctoris rationem, doctrinam et principia, eaque sancte teneant.**

§ 3. **Curandum ut saltem sacrae Scripturae, theologiae dogmaticae^ theologiae moralis, et historiae ecclesiasticae, totidem habeantur distincti magistri.**

CAN. 1367.

**Curent Episcopi ut alumni Seminarii :**

1.° **Singulis diebus communiter matutinas et serótinas preces recitent, per aliquod tempus mentali orationi vacent, sacrificio Missae intersint;**

**2.° Semel saltem in hebdomada ad sacramentum poenitentiae accedant et frequenter, qua par est pietate, Eucharistico pane se reficiant;**

3.° **Dominicis et festis diebus, sacris Missarum et Vesperarum sollemnibus adsint, altari inserviant sacrasque caeremonias exerceant, praesertim in ecclesia cathedrali, si id, iudicio Episcopi, sine disciplinae et studiorum detrimento fieri possit;**

**4.° Singulis annis per aliquot dies continuos exercitiis spiritualibus vacent;**

**5.° Semel saltem in hebdomada adsint instructioni de rebus spiritualibus quae pia exhortatione claudatur.**

CAN. 1368.

**Exemptum a iurisdictione paroeciali Seminarium esto; et pro omnibus qui in Seminario sunt, parochi oificium, excepta materia matrimoniali et firmo praescripto can.** 891, **obeat Seminarii rector eiusve delegatus, nisi in quibusdam Seminariis fuerit aliter a Sede Apostolica constitutum.**

CAN. 1369.

§ 1. **Seminarii rector et alii omnes moderatores sub eius auctoritate curent ut alumni statuta ab Episcopo probata studiorumque rationem adamussim servent ac spiritu vere ecclesiastico imbuantur.**

§ 2. **Saepius eis verae et christianae urbanitatis leges tradant, eosque exemplo suo ad illas colendas excitent; hortentur praeterea ut praecepta hygienica, vestium et corporis munditiam et quandam in conversando comitatem cum modestia et gravitate coniunctam, iugiter servent.**

§ 3. **Sedulo vigilent ut magistri suo munere rite fungantur.**

CAN. 1370.

**Quoties alumni ob quamlibet causam extra Seminarium morentur, servetur praescriptum can.** 972, § 2.

CAN. 1373,

**E Seminario dimittantur dyscoli, incorrigibiles, seditiosi, ii qui ob mores atque indolem ad statum ecclesiasticum idonei non videantur; itemque, qui in studiis adeo parum proficiant ut spes non affulgeat eos sufficientem doctrinam fore assecuturos; praesertim vero statim dimittantur «qui forte contra bonos mores aut fidem deliquerint.**

## TITULUS XXII.

## De scholis.

CAN. 1372.

**§ 1, Fideles omnes ita sunt a pueritia instituendi ut non solum nihil eis tradatur quod catholicae religioni morumque honestati adversetur, sed praecipuum institutio religiosa ac moralis locum obtineat.**

§ 2. **Non modo parentibus ad normam can.** 1113, **sed etiam omnibus •qui eorum locum tenent, ius et gravissimum officium est curandi christianam liberorum educationem.**

CAN. 1373.

§ 1. **In qualibet elementaría schola, pueris pro eorum aetate tradenda est institutio religiosa.**

**§ 2. Iuventus, quae medias vel superiores scholas frequentat, pleniore religionis doctrina excolatur, et locorum Ordinarii curent ut id fiat per sacerdotes zelo et doctrina praestantes.**

CAN. 1374.

**Pueri catholici scholas acatholicas, neutras, mixtas, quae nempe etiam acatholicis patent,, ne frequentent. Solius autem Ordinarii loci est decernere, ad normam instructionum Sedis Apostolicae, in quibus rerum adiunctis et quibus adhibitis cautelis, ut periculum perversionis vitetur, tolerari possit ut eae scholae celebrentur.**

CAN. 1375.

**Ecclesiae est ius scholas cuiusvis disciplinae non solum elementarias, sed etiam medias et superiores condendi.**

CAN. 1376.

§ 1. **Canonica constitutio catholicae studiorum Universitatis vel Facultatis Sedi Apostolicae reservatur.**

**§ 2. Universitas vel Facultas catholica, etiam religiosis familiis quibuslibet concredita, sua debet habere statuta a Sede Apostolica probata.**

CAN. 1377.

**Gradus academicos qui effectus canonicos in Ecclesia habeant, nemo conferre potest, nisi ex facultate ab Apostolica Sede concessa.**

CAN. 1378.

**Ius est doctoribus rite creatis deferendi, extra sacras functiones, annulum etiam cum gemma, et biretum doctorale, firmo praeterea praescripto sacrorum canonum, qui in collatione quorundam officiorum et beneficiorum ecclesiasticorum statuunt eos, ceteris paribus, iudicio Ordinarii, esse praeferendus, qui lauream vel licentiam obtinuerint.**

CAN. 1379.

§ 1. **Si scholae catholicae ad normam can.** 1373 **sive elementariae sive mediae desint, curandum, praesertim a locorum Ordinariis, ut condantur.**

**§ 2. Itemque si publicae studiorum Universitates doctrina sensuque catholico imbutae non sint, optandum ut in natione vel regione Universitas catholica condatur.**

§ 3. **Fideles ne omittant adiutricem operam pro viribus conferre in catholicas scholas condendas et sustentandas.**

CAN. 1380.

**Optandum ut locorum Ordinarii, pro sua prudentia, clericos, pietate et ingenio praestantes, ad scholas mittant alicuius Universitatis aut**

**Facultatis ab Ecclesia conditae vel approbatae, ut inibi studia praesertim philosophiae, theologiae ac iuris canonici perficiant et academicos gradus consequantur.**

CAN. 1381.

§ 1. **Religiosa iuventutis institutio in scholis quibuslibet auctoritati et inspectioni Ecclesiae subiicitur.**

§ 2. **Ordinariis locorum ius et officium est vigilandi ne in quibusvis scholis sui territorii quidquam contra fidem vel bonos mores tradatur aut fiat.**

§ 3. **Eisdem similiter ius est approbandi religionis magistros et libros; itemque, religionis morumque causa, exigendi ut tum magistri tum libri removeantur.**

CAN. 1382.

**Ordinarii locorum sive ipsi per se sive per alios possunt quoque scholas quaslibet, oratoria, recreatoria, patronatus, etc., in iis quae religiosam et moralem institutionem spectant, visitare; a qua visitatione quorumlibet religiosorum scholae exemptae non sunt, nisi agatur de scholis internis pro professis religionis exemptae.**

CAN. 1383.

**In religiosa alumnorum alicuius collegii institutione servetur praescriptum can.** 891.

## TITULUS XXIII.

## De praevia censura librorum eorumque prohibitione.

CAN. 1384.

§ 1. **Ecclesiae est ius exigendi ne libros, quos ipsa iudicio suo antea non recognoverit, fideles edant, et a quibusvis editos ex iusta causa prohibendi.**

§ 2. **Quae sub hoc titulo de libris praescribuntur, publicationibus diariis, periodicis et aliis editis scriptis quibuslibet applicentur, nisi aliud constet.**

### CAPUT I.

### *De praevia librorum censura.*

CAN. 1385.

§ 1. **Nisi censura ecclesiastica praecesserit, ne edantur etiam a laicis:**

1.° **Libri sacrarum Scripturarum vel eorundem adnotationes et commentaria;**

2.° **Libri qui divinas Scripturas, sacram theologiam, historiam ecclesiasticam, ius canonicum, theologiam naturalem, ethicen aliasve huiusmodi religiosas ac morales disciplinas spectant; libri ac libelli pre-**

**cum, devotionis vel doctrinae institutionisque religiosae, moralis, asceticae, mysticae aliique huiusmodi, quamvis ad fovendam pietatem conducere videantur; ac generaliter scripta in quibus aliquid sit quod religionis ac morum honestatis peculiariter intersit;**

3.° **Imagines sacrae quovis modo imprimendae, sive preces adiunctas habeant, sive sine illis edantur.**

§ 2. **Licentiam edendi libros et imagines de quibus in** § 1, **dare potest vel loci Ordinarius proprius auctoris, vel Ordinarius loci in quo libri vel imagines publici iuris fiant, vel Ordinarius loci in quo imprimantur, ita tamen ut, si quis ex iis Ordinariis licentiam denegaverit, eam ab alio Ordinario petere auctor nequeat, nisi eundem certiorem fecerit de denegata ab alio licentia.**

§ 3. **Religiosi vero licentiam quoque sui Superioris maioris antea consequi debent.**

CAN. 1386.

§ 1. **Vetantur clerici saeculares sine consensu suorum Ordinariorum, religiosi vero sine licentia sui Superioris maioris et Ordinarii loci, libros quoque, qui de rebus profanis tractent, edere, et in diariis, foliis vel libellis periodicis scribere vel eadem moderari.**

§ 2. **In diariis vero, foliis vel libellis periodicis qui religionem catholicam aut bonos mores impetere solent, nec laici catholici quidpiam conscribant, nisi iusta ac rationabili causa suadente, ab Ordinario loci probata.**

CAN. 1387.

**Quae ad causas beatificationum et canonizationum Servorum Dei quoquo modo pertinent, sine licentia Sacrorum Rituum Congregationis edi nequeunt.**

CAN. 1388.

§ 1. **Indulgentiarum libri omnes, summaria, libelli, folia, etc., in quibus earum concessiones continentur, ne edantur sine licentia Ordinarii loci.**

§ 2. **Requiritur vero expressa licentia Sedis Apostolicae ut typis edere liceat, quovis idiomate, tum collectionem authenticam precum piorumque operum quibus Sedes Apostolica indulgentias annexuit, tum elenchum indulgentiarum apostolicarum, tum summarium indulgentiarum vel antea collectum, sed nunquam approbatum, vel nunc primum ex diversis concessionibus colligendum.**

CAN. 1389.

**Collectiones decretorum Romanarum Congregationum rursus edi nequeunt, nisi impetrata prius licentia et servatis conditionibus a Moderatoribus uniuscuiusque Congregationis praescriptis.**

CAN. 1390.

**In edendis libris liturgicis eorumque partibus, itemque litaniis a Sancta Sede approbatis, debet de concordantia cum editionibus appro-**

**batis constare ex attestatione Ordinarii loci in quo imprimuntur aut publici iuris fiunt.**

CAN. **1391.**

**Versiones sacrarum Scripturarum in linguam vernaculam typis imprimi nequeunt, nisi sint a Sede Apostolica probatae, aut nisi edantur sub vigilantia Episcoporum et cum adnotationibus praecipue excerptis ex sanctis Ecclesiae Patribus atque ex doctis catholicisque scriptoribus.**

CAN. **1392.**

**§ 1. Approbatio textus originalis alicuius operis, neque eiusdem in aliam linguam translationibus neque aliis editionibus suffragatur; quare et translationes et novae editiones operis approbati nova approbatione communiri debent.**

**§ 2. Excerpta e periodicis capita seorsim edita novae editiones non censentur nec proinde nova approbatione indigent.**

CAN. **1393.**

**§ 1. In universis Curiis episcopalibus censores ex officio adsint, qui edenda cognoscant.**

**§ 2. Examinatores in suo obeundo officio, omni personarum acceptione deposita, tantummodo prae oculis habeant Ecclesiae dogmata et communem catholicorum doctrinam quae Conciliorum generalium decretis aut Sedis Apostolicae constitutionibus seu praescriptionibus atque probatorum doctorum consensu continetur.**

**§ 3. Censores ex utroque clero eligantur aetate, eruditione, prudentia commendati, qui in doctrinis probandis improbandisque medio tutoque itinere eant.**

**§ 4. Censor sententiam scripto dare debet. Quae si faverit, Ordinarius potestatem edendi faciat, cui tamen praeponatur censoris iudicium, inscripto eius nomine. Extraordinariis tantum in adiunctis ac perquam raro, prudenti Ordinarii arbitrio, censoris mentio omitti poterit.**

**§ 5. Auctoribus censoris nomen pateat nunquam, antequam hic faventem sententiam ediderit.**

CAN. **1394.**

**§ 1. Licentia, qua Ordinarius potestatem edendi facit, in scriptis concedatur, in principio aut in fine libri, folii vel imaginis imprimenda, expresso nomine concedentis itemque loco et tempore concessionis.**

**§ 2. Si vero licentia deneganda videatur, roganti auctori, nisi gravis causa aliud exigat, rationes indicentur.**

## CAPUT II.

## *De prohibitione librorum.*

CAN. **1395.**

**§ 1. Ius et officium libros ex iusta causa prohibendi competit non solum supremae auctoritati ecclesiasticae pro universa Ecclesia, sed pro suis subditis Conciliis quoque particularibus et locorum Ordinariis.**

**§ 2. Ab hac prohibitione datur ad Sanctam Sedem recursus, non tamen in suspensivo.**

**§ 3. Etiam Abbas monasterii sui iuris et supremus religionis clericalis exemptae Moderator, cum suo Capitulo vel Consilio, potest libros ex iusta causa suis subditis prohibere; idemque, si periculum sit in mora,, possunt alii Superiores maiores cum proprio Consilio, ea tamen lege ut. rem quantocius deferant ad supremum Moderatorem.**

CAN. **1396.**

**Libri ab Apostolica Sede damnati ubique locorum et in quodcunque vertantur idioma prohibiti censeantur.**

CAN. **1397.**

**§ 1. Omnium fidelium est, maxime clericorum et in dignitate ecclesiastica constitutorum eorumque qui doctrina praecellant, libros quos perniciosos iudicaverint, ad locorum Ordinarios aut ad Apostolicam Sedem deferre; id autem peculiari titulo pertinet ad Legatos Sanctae Sedis, locorum Ordinarios, atque Rectores Universitatum catholicarum.**

**§ 2. Expedit ut in pravorum librorum denuntiatione non solum libri inscriptio indicetur, sed etiam, quantum fieri potest, causae exponantur cur liber prohibendus existimetur.**

**§ 3. Iis ad quos denuntiatio defertur, sanctum esto denuntiantium nomina secreta servare.**

**§ 4. Locorum Ordinarii per se aut, ubi opus fuerit, per sacerdotes idóneos vigilent in libros, qui in proprio territorio edantur aut venale» prostent.**

**§ 5. Libros qui subtilius examen exigant vel de quibus ad salutarem effectum consequendum supremae auctoritatis sententia requiri videatur,, ad Apostolicae Sedis iudicium Ordinarii deferant.**

CAN. **1.398.**

**§ 1. Prohibitio librorum id efficit ut liber sine debita licentia nec edi, nec legi, nec retineri, nec vendi, nec in aliam linguam verti, nec ullo modo cum aliis communicari possit.**

**§ 2. Liber quoquo modo prohibitus rursus in lucem edi nequit, nisi, factis correctionibus, licentiam is dederit qui librum prohibuerat eiusve Superior vel successor.**

CAN. **1399.**

**Ipso iure prohibentur :**

**1.° Editiones textus originalis et antiquarum versionum catholicarum sacrae Scripturae, etiam Ecclesiae Orientalis, ab acatholicis quibuslibet publicatae; itemque eiusdem versiones in quamvis linguam, ab eisdem confectae vel editae;**

**2.° Libri quorumvis scriptorum, haeresim vel schisma propugnantes, aut ipsa religionis fundamenta quoquo modo evertere nitentes;**

**3.° Libri qui religionem aut bonos mores, data opera, impetunt^**

4.° **Libri quorumvis acatholicorum, qui ex professo de religione •tractant, nisi constet nihil in eis contra fidem catholicam contineri;**

5.° **Libri de quibus in can.** 1385, § 1, **n.** 1 **et can.** 1391; **itemque ex illis de quibus in cit. can.** 1385, § 1, **n.** 2, **libri ac libelli qui novas apparitiones, revelationes, visiones, prophetias, miracula enarrant, vel qui novas inducunt devotiones, etiam sub praetextu quod sint privatae, si -editi fuerint non servatis canonum praescriptionibus;**

**6.° Libri qui quodlibet ex catholicis dogmatibus impugnant vel derident, qui errores ab Apostolica Sede proscriptos tuentur, qui cultui divino detrahunt, qui disciplinam ecclesiasticam evertere contendunt, et qui data opera ecclesiasticam hierarchiam, aut statum clericalem vel religiosum probris afficiunt;**

**7.° Libri qui cuiusvis generis superstitionem, sortilegia, divinationem, magiam, evocationem spirituum, aliaque id genus docent vel commendant;**

8.° **Libri qui duellum vel suicidium, vel divortium licita statuunt, qui de sectis massonicis vel aliis eiusdem generis societatibus agentes, eas utiles et non perniciosas Ecclesiae et civili societati esse contendunt;**

9.° **Libri qui res lascivas seu obscenas ex professo tractant, narrant, aut docent;**

10.° **Editiones librorum liturgicorum a Sede Apostolica approbatorum, in quibus quidpiam immutatum fuerit, ita ut cum authenticis editionibus a Sancta Sede approbatis non congruant;**

11.° **Libri quibus divulgantur indulgentiae apocryphae vel a Sancta Sede proscriptae aut revocatae;**

12.° **Imagines quoquo modo impressae Domini Nostri Iesu Christi, Beatae Mariae Virginis, Angelorum atque Sanctorum vel aliorum Servorum Dei ab Ecclesiae sensu et decretis alienae.**

CAN. 1400.

**Usus librorum de quibus in can.** 1399, **n.** 1, **ac librorum editorum -contra praescriptum can.** 1391, **iis dumtaxat permittitur qui studiis theologicis vel biblicis quovis modo operam dant, dummodo iidem libri fideliter et integre editi sint neque impugnentur in eorum prolegomenis aut .adnotationibus catholicae fidei dogmata.**

CAN. 1401.

**S. *E.* E. Cardinales, Episcopi, etiam titulares, aliique Ordinarii, necessariis adhibitis cautelis, ecclesiastica librorum prohibitione non adstringuntur.**

CAN. 1402.

§ 1. **Ordinarii licentiam, ad libros quod attinet ipso iure vel decreto Sedis Apostolicae prohibitos, concedere suis subditis valent pro singulis tantum libris atque in casibus dumtaxat urgentibus.**

§ 2. **Quod si generalem a Sede Apostolica facultatem impetraverint suis subditis permittendi ut libros proscriptos retineant ac legant, eam nonnisi cum delectu et iusta ac rationabili causa concedant.**

CAN. **1403.**

**§ 1. Qui facultatem apostolicam consecuti sunt legendi et retinendi libros prohibitos, nequeunt ideo legere et retinere libros quoslibet a suis Ordinariis proscriptos, nisi in apostolico indulto expressa iisdem facta fuerit potestas legendi et retinendi libros a quibuslibet damnatos.**

**§ 2. Insuper gravi praecepto tenentur libros prohibitos ita custodiendi, ut hi ad aliorum manus non perveniant.**

CAN. **1404.**

**Librorum venditores libros de obscenis ex professo tractantes ne vendant, commodent, retineant; ceteros prohibitos venales ne habeant, nisi debitam licentiam a Sede Apostolica impetraverint, neve cuiquam vendant, nisi prudenter existimare possint ab emptore legitime peti.**

CAN. **1405.**

**§ 1. Licentia a quovis obtenta nullo modo quis eximitur a prohibitione iuris naturalis legendi libros qui ipsi proximum spirituale periculum praestant.**

**§ %. Ordinarii locorum aliique curam animarum habentes opportune moneant fideles de periculo et damno lectionis librorum pravorum, praesertim prohibitorum.**

## TITULUS XXIV.

### De fidei professione.

CAN. **1406.**

**§ 1. Obligatione emittendi professionem fidei, secundum formulam a Sede Apostolica probatam, tenentur :**

**1.° Coram praeside eiusve delegato, qui Oecumenico vel particulari Concilio aut Synodo dioecesanae intersunt cum voto seu consultivo seu deliberativo; praeses autem coram eodem Concilio vel Synodo;**

**2.° Coram Sacri Collegii Decano, Cardinalibus primis in ordine presbyterorum et diaconorum et S. R. E. Camerario, promoti ad cardinalitiam dignitatem;**

**3.° Coram delegato ab Apostolica Sede, promoti ad sedem episcopalem etiam non residentialem, vel ad regimen Abbatiae vel Praelaturae *nullius*, Vicariatus Apostolici, Praefecturae Apostolicae;**

**4.° Coram Capitulo cathedrali, Vicarius Capitularis;**

**5.° Coram loci Ordinario eiusve delegato et coram Capitulo, qui ad dignitatem vel canonicatum promoti sunt;**

**6.° Coram loci Ordinario eiusve delegato et coram aliis consultoribus, assumpti ad officium consultorum dioecesanorum;**

**7.° Coram loci Ordinario eiusve delegato, Vicarius Generalis, parochi et ii quibus provisum fuit de beneficiis quibusvis, etiam manualibus, curam animarum habentibus; rector, professores sacrae theologiae, iuris canonici et philosophiae in Seminariis, initio cuiuslibet anni scho-**

**lastici vel saltem initio suscepti muneris; omnes promovendi ad ordinem subdiaconatus; librorum censores, de quibus in can. 1393; sacerdotes confessionibus excipiendis destinati et sacri concionatores, antequam facultate donentur ea munia exercendi;**

**8.° Coram Ordinario eiusve delegato Rector Universitatis vel Facultatis; coram Rectore vero Universitatis vel Facultatis eiusve delegato, professores omnes in Universitate seu Facultate canonice erecta, initio cuiusque anni scholastici vel saltem initio suscepti muneris; itemque qui, periculo facto, academicis gradibus donantur;**

**9.° Coram Capitulo vel Superiore qui eos nominavit eorumve delegato, Superiores in religionibus clericalibus. -**

**§ 2. Qui, priore dimisso, aliud officium vel beneficium aut dignitatem etiam eiusdem speciei consequuntur, rursus debent fidei professionem emittere ad normam huius canonis.**

CAN. 1407.

**Obligationi fidei professionem emittendi non satisfacit qui eam per procuratorem vel coram laico emittit.**

CAN. **1408.**

**Reprobatur quaelibet consuetudo contra canones huius tituli.**

# PARS QUINTA

## DE BENEFICIIS ALIISQUE INSTITUTIS ECCLESIASTICIS NON COLLEGIALIBUS

### TITULUS XXV.

**De beneficiis ecclesiasticis.**

CAN. **1409.**

**Beneficium ecclesiasticum est ens iuridicum a competente ecclesiastica auctoritate in perpetuum constitutum seu erectum, constans officio sacro et iure percipiendi reditus ex dote officio adnexos.**

CAN. **1410.**

**Dotem beneficii constituunt sive bona quorum proprietas est penes ipsum ens iuridicum, sive certae et debitae praestationes alicuius familiae vel personae moralis, sive certae et voluntariae fidelium oblationes, quae ad beneficii rectorem spectent, sive iura, ut dicitur, stolae intra fines taxationis dioecesanae vel legitimae consuetudinis, sive chorales distributiones, exclusa tertia earundem parte, si omnes reditus beneficii choralibus distributionibus constent.**

CAN. **1411.**

**Beneficia ecclesiastica dicuntur :**

**1.° *Consistorialia,* quae in Consistorio conferri solent; cetera *non. consistorialia;***

**2.° *Saecularia* vel *religiosa,* prout ad solos clericos saeculares vel solos clericos religiosos spectant; omnia autem beneficia, erecta extra ecclesias vel domus religiosorum, in dubio saecularia esse praesumuntur;**

**3.° *Duplicia* seu *residentialia,* vel *simplicia* seu *non residentialia,* prout, praeter officium beneficiale, adnexam habent, vel minus, obligationem residendi;**

**4.° *Manualia, temporaria* seu *amovibilia,* vel *perpetua* seu *inamovibilia,* prout conferuntur revocabiliter vel in perpetuum;**

**5.° *Curata* vel *non curata,* prout curam animarum adnexam habent vel non.**

CAN. **1412.**

**Licet aliquam cum beneficiis similitudinem praeseferant, in iure tamen beneficii nomine non veniunt :**

**1.° Vicariae paroeciales non in perpetuum erectae;**

**2.° Cappellaniae laicales, quae scilicet erectae non sunt a competente auctoritate ecclesiastica;**

**3.° Coadiutoriae cum vel sine futura successione;**

**4.° Pensiones personales;**

**5.° Commenda temporaria, idest concessio redituum alicuius ecclesiae aut monasterii alicui facta ita ut, eo deficiente, reditus ipsi ad ecclesiam vel monasterium revertantur.**

CAN. **1413.**

**§ 1. Nisi aliud appareat, canones qui sequuntur, de beneficiis tantum non consistorialibus proprie dictis intelligi debent.**

**§ 2. Canones 147-195 etiam officiis beneficialibus seu beneficiis applicantur.**

CAPUT **I.**

## *De constitutione seu erectione beneficiorum.*

CAN. **1414.**

**§ 1. Beneficia consistorialia una Sedes Apostolica erigit.**

**§ 2. Praeter Romanum Pontificem, Ordinarii in suo quisque territorio beneficia non consistorialia erigere possunt, salvo praescripto can. 394, § 2.**

**§ 3. Attamen Vicarii Generales nequeunt beneficia erigere nisi ex peculiari mandato.**

**§ 4. Etiam Cardinalis in proprio titulo vel diaconia potest beneficia non curata erigere, nisi ecclesia sit religionis clericalis exemptae.**

CAN. 1415.

§ 1. **Beneficia ne erigantur, nisi constet ea stabilem et congruam • dotem habere, ex qua reditus perpetuo percipiantur ad normam can.** 1410.

§ 2. **Si dos in numerata pecunia constituatur, Ordinarius, audito dioecesano administrationis Consilio de quo in can.** 1520, **curare debet ut quamprimum collocetur in tutis et frugiferis fundis vel nominibus.**

**§ 3. Non prohibetur tamenj ubi congrua dos constitui nequeat, paroecias aut quasi-paroecias erigere, si prudenter praevideat ea quae necessaria sunt aliunde non defutura.**

CAN. 1416.

**Ante erectionem beneficii vocentur et audiantur, si qui sint, ii quorum interest.**

CAN. 1437.

§ 1. **In limine fundationis fundator potest, de consensu Ordinarii, conditiones etiam iuri communi contrarias apponere, dummodo sint honestae et naturae beneficii ne répugnent.**

§ 2. **Conditiones semel admissae supprimi aut immutari ab Ordinario loci valide nequeunt, nisi agatur de mutationibus Ecclesiae favorabilibus et accedat consensus ipsius fundatoris, vel, si agatur de iure patronatus, patroni.**

CAN. 1418.

**Erectio beneficiorum fiat per legitimum instrumentum, in quo definiatur locus ubi beneficium erectum est, et describantur dos beneficii ac iura et onera beneficiarii.**

## CAPUT II.

## *De unione, translatione, divisione, dismembratione, conversione et suppressione beneficiorum.*

CAN. 1419.

**Unio beneficiorum est :**

1.° ***Exstinctiva,* cum aut ex suppressis duobus vel pluribus beneficiis novum atque unicum beneficium efficitur, aut unum vel plura ita alii uniuntur ut esse desinant;**

2.° ***Aeque principalis,* cum unita beneficia remanent prout sunt, neque alterum alteri subiicitur;**

**3.° *Minus principalis,* seu per *subiectionem* vel *accessionem,* cum beneficia remanent, sed unum aut plura alii tanquam accessorium principali subiiciuntur.**

CAN. 1420.

§ 1. **In unione exstinctiva, beneficio quod emergit aut remanet, omnia iura et onera exstinctörum competunt, et, si inter se componi nequeant, meliora ac favorabilior.** :A•

**§ 2. In aeque principali, quodlibet beneficium conservat suam naturam, iura et onera, sed, vi peractae unionis, uni eidemque clerico unitorum beneficiorum tituli conferri debent.**

**§ 3. In minus principali, beneficium accessorium sequitur principale, ita ut clericus, qui principale obtinet, eo ipso et accessorium consequatur atque utriusque onera implere debeat.**

CAN. **1421.**

***Translatio* beneficii habetur cum beneficii sedes de alio in alium locum deducitur; *divisio,* cum ex uno duo vel plura beneficia fiunt; *dismembratio,* cum pars territorii aut bonorum alicuius beneficii ex eodem detrahitur et alii beneficio vel causae piae aut ecclesiastico instituto assignatur; *conversio,* cum beneficium in aliam speciem mutatur; *suppressio,* cum prorsus exstinguitur.**

CAN. **1422.**

**Unio exstinctiva beneficiorum, eorum suppressio, aut dismembratio quae detractis bonis beneficialibus fiat quin novum erigatur beneficium; unio aeque aut minus principalis beneficii religiosi cum saeculari et contra, itemque beneficii religiosi translatio, divisio et dismembratio quaelibet uni Sedi Apostolicae reservantur.**

CAN. **1423.**

**§ 1. Ordinarii locorum, non autem Vicarius Capitularis, nec Vicarius Generalis sine mandato speciali, possunt, ob Ecclesiae necessitatem vel magnam et evidentem utilitatem, aeque aut minus principaliter unire quaslibet paroeciales ecclesias inter se aut cum beneficio non curato, ita tamen ut altero in casu, si unio fiat minus principalis, beneficium non curatum sit accessorium.**

**§ 2. Nequeunt vero paroeciam unire cum mensa capitulari vel episcopali, cum monasteriis, ecclesiis religiosorum aut alia persona morali, neque cum dignitatibus et beneficiis ecclesiae cathedralis vel collegiatae; sed possunt eam cum ecclesia cathedrali aut collegiali, quae in territorio paroeciae sita sit, ita unire ut reditus paroeciae cedant in commodum ipsius ecclesiae, relicta parocho vel vicario congrua portione.**

**§ 3. Unio beneficiorum a locorum Ordinariis fieri non potest, nisi in perpetuum.**

CAN. **1424.**

**Ordinarii nunquam possunt beneficia quaevis unire sive curata sive non curata, cum detrimento eorum qui eadem actu obtinent, ipsis invitis; neque beneficium iuris patronatus cum beneficio liberae collationis sine patronorum consensu; neque beneficia unius dioecesis cum beneficiis alterius dioecesis, etiamsi ambae dioeceses aeque principaliter unitae ab uno Episcopo regantur; neque beneficia exempta vel Sedi Apostolicae reservata cum aliis quibuslibet.**

CAN. 1425.

**§ 1. Si a Sede Apostolica paroecia domui religiosae uniatur *ad temporalia tantum* quod attinet, domus religiosa particeps fit solummodo fructuum paroeciae, et Superior religiosus sacerdotem e clero saeculari in eadem instituendum, assignata congrua portione, Ordinario loci praesentare debet.**

§ 2. **Sin autem *pleno iure*, paroecia fit religiosa, et Superior potest sacerdotem e sua religione ad curam animarum exercendam nominare, sed Ordinarii loci est eundem probare et instituere, eiusque iurisdictioni, correctioni et visitationi ipse subesse debet in iis rebus quae ad curam animarum pertinent, ad normam can.** 631.

CAN. 1426.

**Propter canonicas causas de quibus in can.** 1423, § .1, **Ordinarii possunt quoque beneficii saecularis paroecialis sedem de alio in alium eiusdem paroeciae locum transferre; alia autem beneficia, tunc solum cum ecclesia^ in qua fundata erant, collapsa sit et restaurari nequeat, possunt in matrices vel alias ecclesias locorum eorundem seu vicinorum, erectis, si fieri possit, altaribus vel sacellis sub iisdem invocationibus, transferre cum omnibus emolumentis et oneribus priori ecclesiae adiunctis.**

CAN. 1427.

§ 1. **Possunt etiam Ordinarii ex iusta et canonica causa paroecias quaslibet, invitis quoque earum rectoribus et sine populi consensu, dividere, vicariam perpetuam Vel novam paroeciam erigentes, aut earum territorium dismembrare.**

§ 2. **Causa canonica ut divisio aut dismembratio paroeciae fieri possit, ea tantum est, si aut magna sit difficultas accedendi ad ecclesiam paroecialem, aut nimia sit paroecianorum multitudo, quorum bono spirituali subveniri nequeat ad normam can.** 476, § 1,

§ 3. **Paroeciam dividens, Ordinarius debet vicariae perpetuae aut paroeciae noviter erectae congruam portionem assignare, servato praescripto can.** 1500; **quae, nisi aliunde haberi queat, desumi debet ex reditibus ad ecclesiam matricem quoquo modo pertinentibus, dummodo sufficientes reditus eidem matrici ecclesiae remaneant.**

§ 4. **Si vicaria perpetua aut nova paroecia dotetur ex reditibus ecclesiae a qua dividitur, debet matrici honorem deferre modo et finibus ab Ordinario praestituendis; qui tamen vetatur baptismalem fontem matrici ipsi reservare.**

§ 5. **Divisa paroecia quae ad aliquam religionem iure spectat, vicaria perpetua aut paroecia noviter erecta non est religiosa; pariter divisa paroecia iuris patronatus, nova paroecia est liberae collationis.**

CAN. 1428.

§ 1. **Locorum Ordinarii uniones, translationes, divisiones, dismembrationes beneficiorum ne faciant nisi per authenticam scripturam, au-**

ditis Capitulo cathedrali et iis, si qui sint, quorum intersit, praesertim rectoribus ecclesiarum.

§ 2. Unio, translatio, divisio, dismembratio facta sine canonica causa irrita est.

§ 3. Adversus decretum Ordinarii unientis, transferentis, dividentis aut dismembrantis beneficia, datur in devolutivo tantum recursus ad Sanctam Sedem.

### CAN. 1429.

§ 1. Beneficiis quibuslibet nequeunt Ordinarii locorum pensiones perpetuas aut temporarias imponere quae ad vitam pensionarii durent, sed possunt, dum beneficium conferunt, ex iusta causa in ipso collationis actu exprimenda, eisdem imponere pensiones temporarias, quae durent ad vitam beneficiarii, salva huic congrua portione.

§ 2. Beneficiis autem paroecialibus non possunt, nisi in commodum parochi vel vicarii eiusdem paroeciae a munere abeuntis, imponere pensiones, quae tamen ne excedant tertiam partem reditus paroeciae, quibusvis deductis expensis et incertis reditibus.

§ 3. Pensiones beneficiis sive a Romano Pontifice sive ab aliis collatoribus impositae, cessant morte pensionarii, qui tamen nequit eas alienare, nisi id expresse concessum sit.

### CAN. 1430.

§ 1. Beneficia curata ab Ordinariis in non curata converti nequeunt, nec beneficia religiosa in saecularia, nec saecularia in religiosa.

§ 2. E contrario possunt beneficia simplicia ab Ordinariis locorum in curata converti, dummodo ne obstent conditiones a fundatore expressae.

## CAPUT III.

## *De beneficiorum collatione.*

### CAN. 1431.

Ius Romano Pontifici est beneficia in universa Ecclesia conferendi eorumque collationem sibimet reservandi.

### CAN. 1432.

§ 1. Ad collationem beneficiorum vacantium, Cardinalis in proprio titulo vel diaconia et Ordinarius loci in proprio territorio habent intentionem in iure fundatam.

§ 2. Conferre autem beneficia nequit Vicarius Generalis sine speciali mandato; Vicarius autem Capitularis nec paroecias vacantes, nisi ad normam can. 455, § 3, neque alia beneficia perpetua liberae collationis.

§ 3. Si Ordinarius intra semestre ab habita certa vacationis notitia beneficium non contulerit, huius collatio devolvitur ad Sedem Apostolicam, salvo praescripto can. 458.

CAN. 1433.

Coadiutores in beneficiis cum vel sine futura successione ab una Sede Apostolica constitui possunt, salvo tamen praescripto can. 475, 476,

CAN. 1434.

Beneficia Sedi Apostolicae reservata ab inferioribus invalide conferuntur.

CAN. 1435.

§ 1. Praeter omnia beneficia consistorialia et omnes dignitates ecclesiarum cathedralium et collegiatarum ad normam can. 396, sunt reservata Sedi Apostolicae, quanquam vacanti, sola beneficia quae infra memorantur :

1.° Omnia beneficia, etiam curata, quae vacaverint per obitum, promotionem, renuntiationem vel translationem S. R. E. Cardinalium, Legatorum Romani Pontificis, officialium maiorum Sacrarum Congregationum, Tribunalium et Ofiäciorum Romanae Curiae et Familiarium, etiam honoris tantum, Summi Pontificis tempore vacationis beneficii;

2.° Quae, fundata extra Romanam Curiam, vacaverint per" beneficiarii obitum in ipsa Urbe;

3.° Quae invalide ob simoniae vitium collata fuerint;

4.° Denique beneficia quibus Romanus Pontifex per se vel per delegatum manus apposuit his qui sequuntur modis : si electionem ad beneficium irritam declaraverit, vel vetuerit electores ad electionem procedere; si renuntiationem admiserit; si beneficiarium promoverit, transtulerit, beneficio privaverit; si beneficium in commendam dederit.

§ 2. At nunquam sunt reservata, nisi id expresse dicatur, beneficia manualia aut iuris patronatus laicalis vel mixti.

§ 3. Quod attinet ad collationem beneficiorum quae Romae fundata sint, leges peculiares de eisdem vigentes serventur.

CAN. 1436.

Beneficium ecclesiasticum clerico invito et provisionem non expresse acceptanti valide conferri nequit.

CAN. 1437.

Nemo potest beneficium sibi ipse conferre.

CAN. 1438.

Omnia beneficia saecularia ad vitam beneficiarii conferenda sunt, nisi aliud ferat vel lex fundationis, vel consuetudo immemorabilis vel peculiare indultum.

CAN. 1439.

§ 1. Nullus clericus habilis est ad acceptanda et retinenda sive in titulum sive in commendam perpetuam plura beneficia incompatibilia, ad normam can. 156.

**§ 2. Incompatibilia sunt non solum duo beneficia, quorum onera universa idem beneficiarius per se implere simul nequeat, sed etiam duo beneficia quorum alterutrum ad honestam ipsius sustentationem sufficiat.**

CAN. **1440.**

**Beneficia ecclesiastica sine deminutione conferantur, salvo praescripto can. 1429, §§ 1, 2.**

CAN. **1441.**

**Tanquam simoniacae reprobantur deductiones ex fructibus, compensationes ac solutiones a clerico in actu provisionis faciendae, quae collatori, patrono aliisve cedant.**

CAN. **1442.**

**Beneficia saecularia nonnisi clericis e clero saeculari conferenda sunt; religiosa sodalibus illius religionis, ad quam beneficia pertinent.**

CAN. 1443.

**§ 1. Nemo possessionem beneficii sibi collati aut propria auctoritate capiat, aut non emissa fidei professione, si agatur de beneficiis pro quibus haec fidei professio praescripta sit.**

**§ 2. Si agatur de beneficiis non consistorialibus, missio in possessionem, seu institutio corporalis, ad loci Ordinarium spectat,[1] qui ad id alium ecclesiasticum virum delegare poterit.**

CAN. **1444.**

**§ 1. Missio in beneficii possessionem fiat secundum modum iure peculiari praescriptum, vel legitima consuetudine receptum, nisi iusta ex causa Ordinarius ab eo modo seu ritu expresse in scriptis dispensaverit; quo in casu haec dispensatio locum tenet captae possessionis.**

**§ 2. Loci Ordinarius praefiniat tempus intra quod possessio beneficii capi debeat; quo inutiliter praeterlapso, nisi iustum obstiterit impedimentum, beneficium vacare declaret ad normam can. 188, n. 2.**

CAN. **1445.**

**Possessio beneficii etiam per procuratorem, speciale mandatum habentem, capi potest.**

CAN. 1446.

**Si clericus qui beneficium possidet, probaverit se in eiusdem bene fieri possessione pacifice per integrum triennium fuisse bona fide, etsi forte cum titulo invalido, dummodo absit simonia, beneficium ex legitima praescriptione obtinet.**

CAN. **1447.**

**Qui beneficium postulat ab alio pacifice possessum, quod cèrto modo vacare contendat, debet in supplici libello exprimere nomen possessoris, tempus possessionis et causam specialem ex qua constet nullum possessori in eo beneficio ius competere; beneficium autem postulanti conferri non potest, nisi prius causa in petitorio fuerit, ad normam iuris, definita.**

## CAPUT IV.

### *De iure patronatus.*

CAN. **1448.**

Ius patronatus est sumina privilegiorum, cum quibusdam oneribus, quae ex Ecclesiae concessione competunt fundatoribus catholicis ecclesiae, cappellae aut beneficii, vel etiam eis qui ab illis causam habent.

CAN. **1449.**

Ius patronatus est :

1.° *Reale,* vel *personale,* prout alicui rei cohaeret vel directe ad personam spectat;

2.° *Ecclesiasticum, laicale, mixtum,* prout titulus, quo quis iure patronatus potitur, est ecclesiasticus, vel laicalis, vel mixtus;

3.° *Hereditarium, familiare, gentilitium, mixtum,* prout transit ad heredes, vel ad eos qui de familia aut gente sunt fundatoris, vel ad eos qui simul sunt heredes et de familia vel gente fundatoris.

CAN. **1450.**

§ 1. Nullum patronatus ius ullo titulo constitui in posterum valide potest. '

§ 2. Loci autem Ordinarius potest :

1.° Fidelibus qui ex toto vel ex parte ecclesias exstruxerint vel beneficia fundaverint, spiritualia suffragia, eorum liberalitati proportionata, concedere vel ad tempus vel etiam in perpetuum;

2.° Fundationem beneficii admittere ea adiecta conditione, ut beneficium prima vice conferatur clerico fundatori vel alii clerico a fundatore designato.

CAN. **1451.**

§ 1. Curent locorum Ordinarii ut patroni, loco iuris patronatus quo fruuntur aut saltem loco iuris praesentandi, spiritualia suffragia etiam perpetua pro se suisve acceptent.

§ 2. Si patroni id noluerint, eorum ius patronatus canonibus qui sequuntur, regatur.

CAN. **3452.**

Electiones ac praesentationes populares ad beneficia etiam paroecialia, sicubi vigent, tolerari tantum possunt, si populus clericum seligat inter tres ab Ordinario loci designatos.

CAN. **1453.**

§ 1. Ius patronatus personale transmitti valide nequit ad infideles, publice apostatas, haereticos, schismaticus, adscriptos societatibus secretis ab Ecclesia damnatis, nec ad quoslibet excommunicatos post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam.

§ 2. Ut ad alios ius patronatus personale transmitti valide possit,

**requiritur consensus Ordinarii in scriptis datus, salvis legibus fundationis itemque praescripto can,** 1470, § 1, **n.** 4.

§ 3. **Si res, cui ius patronatus reale cohaeret, ad aliquam personam de qua in §** 1 **transeat, ius patronatus suspensum manet.**

CAN. 1454.

**Nullum ius patronatus admittatur, nisi authenticis documentis aut aliis legitimis probationibus evincatur.**

CAN. 1455.

**Privilegia patronorum sunt :**

1.° **Praesentandi clericum ad ecclesiam vacantem vel beneficium vacans;**

**2.° Salva exsecutione onerum et honesta beneficiarii sustentatione, alimenta ex aequitate obtinendi ex ecclesiali vel beneficii reditibus, si qui supersint, quoties patronus ad inopiam nulla sua culpa redactus fuerit, etiamsi ipse iuri patronatus renuntiaverit in commodum Ecclesiae, vel pensio in limine fundationis ipsi patrono fuerit reservata, quae ad sublevandam eius inopiam non sufficiat;**

3.° **Habendi, si ita ferant legitimae locorum consuetudines, in sui patronatus ecclesia stemma gentis vel familiae, praecedentiam ante ceteros laicos in processionibus vel similibus functionibus, digniorem sedem in ecclesia, sed extra presbyterium et sine baldachino.**

CAN. 1456.

**Uxor per seipsam ius patronatus exercet, minores per parentes aut per tutores; quod si parentes vel tutores acatholici sint, ius patronatus interim suspensum manet.**

CAN. 1457.

**Praesentatio, nullo iusto obstante impedimento, sive agatur de patronatu laicali sive de ecclesiastico et mixto, fieri debet, nisi brevius tempus lege fundationis vel legitima consuetudine praescriptum fuerit, saltem intra quatuor menses a die quo is, cui ius est instituendi, patronum certiorem fecerit de vacatione beneficii et de sacerdotibus qui in concursu fuerunt probati, si agatur de beneficio quod per concursum conferri debet.**

CAN. 1458.

**§ 1. Si intra praescriptum tempus praesentatio facta non fuerit, ecclesia vel beneficium pro eo casu fit liberae collationis.**

**§ 2. Si vero lis, quae intra utile tempus dirimi nequeat, exoriatur sive circa ius praesentandi inter Ordinarium et patronum vel inter ipsos patronos, sive circa ius praelationis inter ipsos praesentatos, suspendatur collatio usque ad finem controversiae, et interim, si opus sit, oeconomum ecclesiae vel beneficio vacanti Ordinarius praeficiat.**

CAN. 1459.

§ 1. **Si plures singulares personae sint patroni, possunt tum pro se tum pro suis successoribus de alternis praesentationibus inter se convenire.**

§ 2. **Ut autem haec conventio sit valida, accedat oportet Ordinarii consensus in scriptis datus, qui tamen semel praestitus nequit valide ab eodem Ordinario vel eius successoribus, patronis invitis, revocari.**

CAN. 1460.

§ 1. **Si ius patronatus collegialiter exerceatur, ille praesentatus habeatur, qui maiorem suffragiorum numerum retulerit, ad normam can.** 101; **quod si, duobus scrutiniis sine effectu institutis, in tertio scrutinio plures maiorem prae ceteris, sed aequalem inter se suffragiorum numerum habuerint, ii omnes praesentati censeantur.**

§ 2. **Si ius patronatus penes singulares personas sit', quae inter se de alternis praesentationibus non convenerint, ille praesentatus habeatur, qui maiorem saltem relative suffragiorum numerum retulerit; et si plures eundem, maiorem quam ceteri, suffragiorum numerum habuerint, omnes censeantur praesentati.**

§ 3. **Qui ex diversis titulis ius patronatus obtinet, tot habet in praesentatione suffragia, quot titulos.**

§ 4. **Quilibet patronus, antequam praesentatio acceptetur, non unum tantum, sed plures praesentare potest, tum una simul tum etiam successive, intra tempus tamen praescriptum, modo illos ne excludat quos prius praesentavit.**

CAN. 1461.

. **Nemo potest praesentare seipsum neque aliis patronis accedere ut suffragiorum numerum ad praesentationem necessarium pro se compleat.**

CAN. 1462.

**Si ecclesiae vel beneficio provideri debeat per concursum^ patronus, etiam laicus, non potest praesentare, nisi clericum legitime ex concursu probatum.**

CAN. 1463.

**Persona praesentata debet esse idonea, idest, ipso praesentationis vel saltem acceptationis die, qualitatibus omnibus praedita, quae iure seu communi seu peculiari vel lege fundationis requiruntur.**

CAN, 1464.

§ 1. **Praesentatio fieri debet loci Ordinario, cuius est iudicare utrum idonea sit persona praesentata.**

§ 2. **Ordinarius ad suum formandum iudicium, debet ad normam can.** 149 **de persona praesentata diligenter inquirere et opportunas notitias, etiam secretas, si opus fuerit, assumere.**

§ 3. **Ordinarius non cogitur patrono patefacere rationes cur personam praesentatam admittere non possit.**

CAN. 1465.

§ .1. **Si praesentatus non idoneus fuerit repertus, patronus, dummodo tempus, utile ad praesentandum sua negligentia lapsum ne sit, potest alium intra tempus de quo in can.** 1457 **praesentare; sed si ne hic quidem idoneus repertus fuerit, ecclesia vel beneficium pro eo casu fit liberae collationis, nisi patronus vel praesentatus intra decem dies a significatione recusationis recursum acudicio Ordinarii ad Sedem Apostolicam interposuerit; quo pendente, suspendatur collatio usque ad finem controversiae et interim, si opus sit, oeconomum ecclesiae vel beneficio vacanti Ordinarius praeficiat.**

§ 2. **Praesentatio, labe simoniaca infecta, est ipso iure irrita, et etiam institutionem forte subsecutam irritam reddit.**

CAN. 1466.

§ 1. **Legitime praesentatus, et idoueus repertus, acceptata praesentatione, ius habet ad canonicam institutionem.**

§ 2. **Ius concedendi canonicam institutionem proprium est Ordinarii loci, non autem Vicarii Generalis sine mandato speciali.**

§ 3. **Si plures et omnes idonei praesentati sint, Ordinarius eligit quem magis idoneum in Domino iudicaverit.**

CAN. 1467.

**Institutio canonica pro quolibet beneficio etiam non curato dari debet, nullo iusto obstante impedimento, intra duos menses ex quo praesentatio facta sit.**

CAN. 1468.

**Si praesentatus ante canonicam institutionem renuntiaverit vel mortuus fuerit, patronus rursus ius praesentandi habet.**

CAN. 1469.

§ 1. **Onera seu officia patronorum sunt :**

1.° **Ordinarium loci monere, si bona ecclesiae seu beneficii dilapidari viderint, quia tamen se immisceant administrationi eorundem bonorum;**

2.° **Aedificare denuo ecclesiam collapsam aut reparationes, iudicio Ordinarii, necessarias in eadem facere, si ex titulo aedificationis ius patronatus habeant, et nisi onus aedificandae denuo vel reparandae ecclesiae aliis incumbat ad normam can.** 1186;

3.° **Supplere reditus, si ex titulo dotationis ius patronatus proveniat, cum ecclesiae vel beneficii reditus ita defecerint, ut nequeat amplius vel cultus decenter in ecclesia exerceri, vel beneficium conferri.**

§ 2. **Si ecclesia collapsa fuerit vel necessariis indigeat reparationibus, aut si reditus defecerint ad normam §** 1, **nn.** 2, 3, **ius patronatus interim quiescit.**

§ 3. **Si patronus, intra tempus ab Ordinario sub poena cessationis patronatus praefiniendum, ecclesiam denuo aedificaverit vel restauraverit**

**aut reditus auxerit, ius patronatus revigescit; secus ipso iure et sine ulla declaratione cessat.**

CAN. 1470.

§ 1. **Praeter casum de quo in can.** 1469, § 3, **ius patronatus exstinguitur :**

1.° **Si patronus iuri suo renuntiaverit; eius tamen renuntiatio ex integro fieri potest aut ex parte; nunquam vero potest aliis compatronis, si qui sint, damnum afferre;**

2.° **Si Sancta Sedes ius patronatus revocaverit aut ipsam ecclesiam vel beneficium perpetuo suppresserit;**

3.° **Si contra ius patronatus legitime praescriptum fuerit;**

4.° **Si res, cui ius patronatus inhaeret, pereat, aut exstinguatur familia, gens, linea cui secundum tabulas fundationis reservatur; quo in altero casu nec ius patronatus hereditarium evadit, nec Ordinarius valide permittere poterit donationem iuris patronatus alii fieri;**

**5.° Si, consentiente patrono, ecclesia vel beneficium uniatur alii liberae collationis, aut ecclesia fiat electiva vel regularis;**

6.° **Si patronus ius patronatus simoniace in alium transferre attentaverit; si lapsus fuerit in apostasiam, haeresim aut schisma; si bona ac iura ecclesiae vel beneficii iniuste usurpaverit aut detineat; si rectorem vel alium clericum ecclesiae servitio addictum aut beneficiarium per se vel per alios occiderit vel mutilaverit.**

§ 2. **Propter crimina de quibus in §** 1, **n.** 6, **ius patronatus amittit solus patronus reus et, ob delictum postremo memoratum, eius quoque heredes.**

§ 3. **lit ex delictis enumeratis in §** 1, **n.** 6, **patroni censeantur ius patronatus amisisse, requiritur et sufficit sententia declaratoria.**

**§ 4. Censura aut infamia iuris innodati post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam, usque dum censura vel infamia perdurant, nequeunt ius patronatus exercere eiusque privilegiis uti.**

CAN. 1471.

**Si cui Sedes Apostolica sive in concordatis sive extra concordata indultum concesserit praesentandi ad ecclesiam vacantem vel ad beneficium vacans, non inde ius patronatus oritur, et privilegium praesentationis strictam interpretationem pati oportet ex tenore indulti.**

## CAPUT V.

## *De iuribus et obligationibus beneficiariorum.*

CAN. 1472.

**Quilibet beneficiarii, capta legitime beneficii possessione, omnibus iuribus fruitur tam temporalibus quam spiritualibus, quae beneficio adnexa sint.**

CAN. 1473.

**Etsi beneficiatus alia bona non beneficialia habeat, libere uti frui potest fructibus beneficialibus qui ad eius honestam sustentationem sint**

**necessarii; obligatione autem tenetur impertiendi superfluos pro pauperibus aut piis causis, salvo praescripto can. 239, § 1, n. 19.**

CAN. **1474.**

**Si ad beneficium obtinendum susceptio alicuius ordinis requiratur, beneficiarius talem ordinem ante beneficii collationem iam receperit oportet.**

CAN. **1475:**

**§ 1. Beneficiarius tenetur peculiaria onera beneficio adnexa fideliter adimplere et praeterea canonicas horas quotidie recitare.**

**§ 2. Si, nullo legitimo detentus impedimento, obligationi recitandi horas canonicas non satisfecerit, fructus pro rata omissionis non facit suos, eosque fabricae ecclesiae aut Seminario dioecesano tradat vel in pauperes eroget.**

CAN. **1476.**

**§ 1. Beneficiarius bona ad suum beneficium pertinentia, ut beneficii curator, administrare debet, ad normam iuris.**

**§ 2. Si negligens aliove modo in culpa fuerit, damna resarcire beneficio debet, atque ad ea compensanda ab Ordinario loci compellendus est; et, si sit parochus, a paroecia amoveri poterit ad normam can. 2147 seqq.**

CAN. **1477.**

**§ 1. Sumptus ordinario modo connexi cum bonorum beneficialium administratione et fructuum perceptione, a beneficiario ferendi sunt.**

**§ 2. Impensae pro extraordinariis domus beneficialis reparationibus, ab iis ferendae sunt quibus onus reficiendi beneficialem ecclesiam incumbit, nisi fundationis tabulae aut legitimae conventiones et consuetudines aliud caveant.**

**§ 3. Minores reparationes quae ipsi incumbunt, beneficiarius quamprimum perficiat, ne maiorum necessitas enascatur.**

CAN. **1478.**

**Ordinarius loci obligatione tenetur advigilandi etiam per vicarios foraneos ut beneficialia bona conserventur et rite administrentur.**

CAN. **1479.**

**In locatione bonorum beneficialium anticipatae solutiones ultra semestre prohibentur sine licentia Ordinarii loci, qui in casibus extraordinariis congruis praescriptionibus caveat ne talis locatio in damnum vergat loci pii aut successorum in beneficio.**

CAN. **1480.**

**Annui reditus beneficii inter successorem et antecessorem eiusve heredes, in casu obitus, pro rata temporis quo beneficio uterque deservierit, distribuantur, omnibus proventibus et oneribus currentis anni**

**computatis, nisi legitima consuetudo aut peculiaria statuta rite approbata alium iustae compositionis modum induxerint.**

CAN. **1481.**

**Deductis cuiuslibet generis expensis et salvo praescripto can. 4fp, n. 1, fructus beneficii vacantis pro altera dimidia parte accrescunt doti beneficii vel massae communi, pro altera cedunt fabricae ecclesiae seu sacrario, salva legitima consuetudine qua fructus omnes in bonum commune dioeceseos erogentur.**

CAN. **1482.**

**Quod ad mediam annatam, quam vocant, attinet, ea, ubi viget, retineatur, et peculiaria statuta ac laudabiles consuetudines in unaquaque regione circa eam vigentes serventur.**

CAN. **1483.**

**§ 1. Bona mensae episcopalis ab Episcopo diligenter administrentur.**

**§ 2. Domus episcopalis sarta tectaque conservetur et, si opus sit, restauretur et reparetur impensis eiusdem mensae, quoties huiusmodi onera ex peculiari titulo aliis non incumbant.**

**§ 3. Curent quoque Episcopi ut, accurato inventario confecto, utensilia omnia vel bona mobilia domui episcopali forte addicta atque in mensae dominio constituta, ad successorem ex toto secureque transmittantur.**

## CAPUT **VI.**

### *De dimissione et permutatione beneficiorum.*

CAN. **1484.**

**Ordinarius ne admittat dimissionem beneficii a clerico in maioribus ordinibus constituto factam, nisi constet eum necessaria ad honestam sustentationem aliunde habere, et firmo praescripto can. 584.**

CAN. **1485.**

**Dimissio beneficii, cuius titulo clericus ordinatus fuit, irrita est, nisi expressa mentio fiat clericum illius titulo promotum fuisse, eidemque, de consensu Ordinarii, alium legitimum ordinationis titulum substituisse.**

CAN. **1486.**

**Dimissionem beneficiorum in commodum aliorum vel sub aliqua conditione, quae ipsam beneficii provisionem aut redituum erogationem attingat. Ordinarius admittere nequit, nisi in casu quo beneficium sit litigiosum et dimissio fiat ab alterutro ex litigantibus in commodum alterius.**

CAN. **1487.**

**§ 1. Permutatio duorum beneficiorum fieri valide nequit, nisi propter Ecclesiae necessitatem vel utilitatem aliave iusta de causa, sine aliorum**

**detrimento, de consensu patroni, si agatur de beneficio iuris patronatus, et Ordinarii loci, non autem Vicarii Generalis sine peculiari mandato, nec Vicarii Capitularis, et servato praescripto can. 186.**

**§ 2. Ordinarius intra mensem consensum praestet vel deneget; et permutatio valet a momento consensus ab"Ordinario praestiti.**

**§ 3. Beneficiorum permutatio admitti nequit ab Ordinario, si utrumque aut alterutrum beneficium sit Sedi Apostolicae reservatum.**

CAN. **1488.**

**§ i. Si beneficia permutanda inaequalia sint, nequeunt compensari reservatione fructuum aut praestatione pecuniae seu cuiusque rei pretio aestimabilis.**

**§ 2. Permutatio fieri nequit inter plures quam duos beneficiarios.**

## TITULUS XXVI. *

### De aliis institutis ecclesiasticis non collegialibus.

CAN. **1489.**

**§ 1. Hospitalia, orphanotrophia aliaque similia instituta, ad opera religionis vel caritatis sive spiritualis sive temporalis destinata, possunt ab Ordinario loci erigi et per eius decretum persona iuridica in Ecclesia constitui.**

**§ 2. Loci Ordinarius haec instituta ne approbet,,nisi finis fundationis utilis reapse sit, et talis constituta fuerit dos, quae, omnibus per-, pensis, sufficiat vel sufficiens fore prudenter praevideatur ad illum assequendum.**

**§ 3. Horum institutorum administrare bona sui cuiusque rectoris est, secundum normas tabulae fundationis; hic vero iisdem obligationibus tenetur, iisdemque iuribus fruitur, quibus administratores aliorum bonorum ecclesiasticorum.**

CAN. **1490.**

**§ 1. In tabulis fundationis pius fundator accurate describat totam instituti constitutionem, finem, dotationem, administrationem et regimen, usum redituum et successionem in bona, casu exstinctionis ipsius instituti.**

**§ 2. Huiusmodi tabulae duplici exemplari conficiendae sunt, quorum alterum in archivo instituti, alterum in archivo Curiae reponatur.**

CAN. **1491.**

**§ 1. Loci Ordinarius omnia huiusmodi instituta, etiam in personam moralem erecta et quovis modo exempta, visitare potest et debet.**

**§ 2. Imo licet in personam moralem ñon sint erecta et domui religiosae concredita, si quidem agatur de domo religiosa iuris dioecesani, iurisdictioni Ordinarii loci penitus subduntur; si de domo religiosa iuris pontificii, episcopali vigilantiae subsunt quod spectat ad religionis ma-**

**gisteria, honestatem morum, exercitationes pietatis, sacrorum administrationem.**

CAN. **1492.**

**§ 1. Etiamsi fundatione, praescriptione aut privilegio apostolico pium institutum a iurisdictione et visitatione Ordinarii loci exemptum fuerit, ius tamen Ordinario est redditionem rationum exigendi, reprobata contraria consuetudine.**

**§ 2. Si fundator velit administratores non teneri rationem Ordinario loci reddere, fundatio ne acceptetur.**

CAN. **1493.**

**Ordinarius loci advigilet ut piae fidelium voluntates, in horum institutorum fundatione expressae, plene serventur.**

CAN. **1494.**

**Sine venia'Sedis Apostolicae haec instituta supprimi, uniri, vel in usus a fundatione alienos converti nequeunt, nisi in tabulis fundationis aliud caveatur.**

# PARS SEXTA

## DE BOMS ECCLESIAE TEMPOBALIBUS

CAN. **1495.**

**§ 1. Ecclesia catholica et Apostolica Sedes nativum ius habent libere et independenter a civili potestate acquirendi, retinendi et administrandi bona temporalia ad fines sibi proprios prosequendos.**

**§ 2. Etiam ecclesiis singularibus aliisque personis moralibus quae ab ecclesiastica auctoritate in iuridicam personam erectae sint, ius est, ad normam sacrorum canonum, bona temporalia acquirendi, retinendi et administrandi.**

CAN. **1496.**

**Ecclesiae ius quoque est, independens a civili potestate, exigendi a fidelibus quae ad cultum divinum, ad honestam clericorum aliorumque ministrorum sustentationem et ad reliquos fines sibi proprios sint necessaria.**

CAN. **1497.**

**§ 1. Bona temporalia, sive corporalia, tum immobilia tum mobilia, sive incorporalia, quae vel ad Ecclesiam universam et ad Apostolicam Sedem vel ad aliam in Ecclesia personam moralem pertineant, sunt *"bona ecclesiastica.***

**§ 2. Dicuntur *sacra,* quae consecratione vel benedictione ad divinum cultum destinata sunt; *pretiosa,* quibus notabilis valor sit, artis vel historiae vel materiae causa.**

CAN. **1498.**

**In canonibus qui sequuntur, nomine Ecclesiae significatur non solum Ecclesia universa aut Sedes Apostolica, sed etiam quaelibet persona moralis in Ecclesia, nisi ex contextu sermonis vel ex natura rei aliud appareat.**

## TITULUS XXVII.

## De bonis ecclesiasticis acquirendis.

CAN. **1499.**

**§ 1. Ecclesia acquirere bona temporalia potest omnibus iustis modis iuris sive naturalis sive positivi, quibus id aliis licet.**

**§ 2. Dominium bonorum, sub suprema auctoritate Sedis Apostolicae, ad eam pertinet moralem personam, quae eadem bona legitime acquisiverit.**

CAN. **1500.**

**Diviso territorio personae moralis ecclesiasticae ita ut vel illius pars alii personae morali uniatur, vel distincta persona moralis pro parte dismembrata erigatur, etiam bona communia quae in commodum totius territorii erant destinata, et aes alienum quod prò toto territorio contractum fuerat, ab auctoritate ecclesiastica, cui divisio competat, cum debita proportione ex bono et aequo dividi debent, salvis piorum fundatorum seu oblatorum voluntatibus, iuribus legitime quaesitis, ac legibus peculiaribus, quibus persona moralis regatur.**

CAN. **1501.**

**Exstincta persona morali ecclesiastica, eius bona fiunt personae moralis ecclesiasticae immediate superioris, salvis semper fundatorum seu oblatorum voluntatibus, iuribus legitime quaesitis atque legibus peculiaribus quibus exstincta persona moralis regebatur.**

CAN. **1502.**

**Ad decimarum et primitiarum solutionem quod attinet, peculiaria statuta ac laudabiles consuetudines in unaquaque regione serventur.**

CAN. **1503.**

**Salvis praescriptis can. 621-624, vetantur privati tam clerici quam laici sine Sedis Apostolicae aut proprii Ordinarii et Ordinarii loci licentia, in scriptis data, stipem cogere pro quolibet pio aut ecclesiastico instituto vel fine.**

CAN. **1504.**

**Omnes ecclesiae vel beneficia iurisdictioni Episcopi subiecta, itemque laicorum confraternitates, debent quotannis in signum subiectionis solvere Episcopo cathedraticum seu moderatam taxam determinandam ad normam can. 1507, nisi iam antiqua consuetudine fuerit determinata.**

CAN.. 1505.

**Loci Ordinarius, praeter tributum, pro Seminario, de quo in can. 1355, 1356, aut beneficialem pensionem de qua in can. Iá29, potest, speciali dioecesis necessitate impellente, omnibus beneficiariis, sive saecularibus sive religiosis, extraordinariam et moderatam exactionem imponere.**

CAN. 3506.

**Aliud tributum in bonum dioecesis vel pro patrono imponere ecclesiis, beneficiis aliisque institutis ecclesiasticis, quanquam sibi subiectis, Ordinarius potest tantummodo in actu fundationis vel consecrationis; sed nullum imponi tributum potest super eleemosynis Missarum sive manualium sive fundatarum.**

CAN. 1507.

**§ 1. Salvo praescripto can. 1056 et can. 1234, praefinire taxas pro variis actibus iurisdictionis voluntariae vel pro exsecutione rescriptorum Sedis Apostolicae vel occasione ministrationis Sacramentorum vel Sacramentalium, in tota ecclesiastica provincia solvendas, est Concilii provincialis aut conventus Episcoporum provinciae; sed nulla vi praefinitio eiusmodi pollet, nisi prius a Sede Apostolica approbata fuerit.**

**§ 2. Ad taxas pro actibus iudicialibus quod spectat, servetur praescriptum can. 1909***

CAN. 3508.

**Praescriptionem, tanquam acquirendi et se liberandi modum, prout est in legislatione civili respectivae nationis, Ecclesia pro bonis ecclesiasticis recipit, salvo praescripto canonum qui sequuntur.**

CAN. 1509.

**Praescriptioni obnoxia non sunt :**

**1.° Quae sunt iuris divini sive naturalis sive positivi;**

**2.° Quae obtineri possunt ex solo privilegio apostolico;**

**3.° Iura spiritualia, quorum laici non sunt capaces, si agatur de praescriptione in commodum laicorum;**

**4.° Fines certi et indubii provinciarum ecclesiasticarum, dioecesium, paroeciarum, vicariatuum apostolicorum, praefecturarum apostolicarum, abbatiarum vel praelaturarum *nullius;***

**5.° Eleemosynae et onera Missarum;**

**6.° Beneficium ecclesiasticum sine titulo;**

**7.° Ius visitationis et obedientiae, ita ut subditi a nullo Praelato visitari possint et nulli Praelato iam subsint;**

**8.° Solutio eathedratici.**

CAN. 1510.

§ 1. Res sacrae quae in dominio privatorum sunt, praescriptione acquiri a privatis personis possunt, quae tamen eas adhibere nequeunt ad profanos usus; si vero consecrationem vel benedictionem amiserint, libere acquiri possunt etiam ad usus profanos, non tamen sordidos.

**§ 2. Res sacrae, quae in dominio privatorum non sunt, non a persona privata, sed a persona morali ecclesiastica contra aliam personam moralem ecclesiasticam praescribi possunt.**

CAN. **1511.**

**"§ 1. Res immobiles, mobiles pretiosae, iura et actiones sive personales sive reales, quae pertinent ad Sedem Apostolicam, spatio centum annorum praescribuntur.**

**§ 2. Quae ad aliam personam moralem ecclesiasticam, spatio triginta annorum.**

CAN. **1512.**

**Nulla valet praescriptio, nisi bona fide nitatur, non solum initio possessionis, sed toto possessionis tempore ad praescriptionem requisito.**

CAN. **1513.**

**§ 1. Qui èx iure naturae et ecclesiastico libere valet de suis bonis statuere, potest ad causas pias, sive per actum inter vivos sive per actum mortis causa, bona relinquere.**

**§ 2. In ultimis voluntatibus in bonum Ecclesiae serventur, si fieri possit, sollemnitates iuris civilis; hae si omissae fuerint, heredes moneantur ut testatoris voluntatem adimpleant.**

CAN. **1514.**

**Voluntates fidelium facultates suas in pias causas donantium vel relinquentium, sive per actum inter vivos, sive per actum mortis causa, diligentissime impleantur etiam circa modum administrationis et erogationis bonorum, salvo praescripto can. 1515, § 3.**

CAN. **1515.**

**§ 1. Ordinarii omnium piarum voluntatum tam mortis causa quam inter vivos exsecutores sunt.**

**§ 2. Hoc ex iure Ordinarii vigilare possunt, ac debent, etiam per visitationem, ut piae voluntates impleantur, et alii exsecutores delegati debent, perfuncti munere, illis reddere rationem.**

**§ 3. Clausulae huic Ordinariorum iuri contrariae, ultimis voluntatibus adiectae, tanquam non appositae habeantur.**

CAN. **1516.**

**§ 1. Clericus vel religiosus qui bona ad pias causas sive per actum inter vivos, sive ex testamento fiduciarie accepit, debet de sua fiducia Ordinarium certiorem reddere, eique omnia istiusmodi bona seu mobilia seu immobilia cum oneribus adiunctis indicare; quod si donator id expresse et omnino prohibuerit, fiduciam ne acceptet.**

**§ 2. Ordinarius debet exigere ut bona fiduciaria in tuto collocentur et vigilare pro exsecutione piae voluntatis ad normam can. 1515.**

**§ 3. Bonis fiduciariis alicui religioso commissis, si quidem bona sint attributa loci seu dioecesis ecclesiis, incolis aut piis causis iuvandis, Or-**

**dinarius de quo in §§ 1, 2, est loci Ordinarius; secus, est Ordinarius eiusdem religiosi proprius.**

CAN. **1517.**

**§ 1. Ultimarum voluntatum reductio, moderatio, commutatio, quae fieri ex iusta tantum et necessaria causa debent. Sedi Apostolicae reservantur, nisi fundator hanc potestatem etiam Ordinario loci expresse concesserit.**

**§ 2. Si tamen exsecutio onerum impositorum, ob imminutos reditus aliamve causam, nulla administratorum culpa, impossibilis evaserit, tunc Ordinarius quoque, auditis iis quorum interest, et servata, meliore quo fieri potest modo, fundatoris voluntate, poterit eadem onera aeque imminuere, excepta Missarum reductione quae semper Sedi Apostolicae unice competit.**

## TITULUS XXVIII.

### De bonis ecclesiasticis administrandis.

CAN. **1518.**

**Romanus Pontifex est omnium bonorum ecclesiasticorum supremus administrator et dispensator.**

CAN. **1519.**

**§ 1. Loci Ordinarii est sedulo advigilare administrationi omnium bonorum ecclesiasticorum quae in suo territorio sint nec ex .eius iurisdictione fuerint subducta, salvis legitimis praescriptionibus, quae eidem potiora iura tribuant.**

**§ 2. Habita ratione iurium, legitimarum consuetudinum et circumstantiarum, Ordinarii, opportune editis peculiaribus instructionibus intra fines iuris communis, universum administrationis bonorum ecclesiasticorum negotium ordinandum curent.**

CAN. **1520.**

**§ 1. Ad hoc munus rite obeundum quilibet Ordinarius in sua civitate episcopali Consilium instituat, quod constet praeside, qui est ipsemet Ordinarius, et duobus vel pluribus viris idoneis, iuris etiam civilis, quantum fieri potest, peritis, ab ipso Ordinario, audito Capitulo, eligendis, nisi iure vel consuetudine peculiari iam alio aequivalenti modo legitime fuerit provisum.**

**§ 2. Citra apostolicum indultum, ii a munere administratoris excluduntur, qui cum Ordinario loci primo vel secundo consanguinitatis vel affinitatis gradu coniuncti sint.**

**§ 3. Loci Ordinarius in administrativis actibus maioris momenti Consilium administrationis audire ne praetermittat; huius tamen sodales votum habent tantum consultivum, nisi iure communi in casibus specialiter expressis vel ex tabulis fundationis eorum consensus exigatur.**

**§ 4. Sodales huius Consilii iusiurandum de munere bene ac fideliter adimplendo coram Ordinario emittant.**

CAN. **1521.**

**§ 1. Praeter hoc dioecesanum Consilium administrationis, Ordinarius loci in administrationem bonorum quae ad aliquam ecclesiam vel locum pium pertinent et ex iure vel tabulis fundationis suum non habent administratorem, assumat viros providos, idoneos et boni testimonii, quibus, elapso triennio, alios sufficiat, nisi locorum circumstantiae aliud suadeant.**

**§ 2. Quod si laicis partes quaedam in administratione bonorum ecclesiasticorum vel ex legitimo fundationis seu erectionis titulo vel ex Ordinarii loci voluntate competant, nihilominus universa administratio nomine Ecclesiae fiat, ac salvo iure Ordinarii visitandi, exigendi rationes et praescribendi modum administrationis.**

CAN. **1522.**

**Antequam administratores bonorum ecclesiasticorum, de quibus in can, 1521, suum munus ineant :**

**1.° Debent se bene et fideliter administraturos coram Ordinario loci vel vicario foraneo iureiurando cavere;**

**2.° Fiat accuratum ac distinctum inventarium, ab omnibus subscribendum, rerum immobilium, rerum mobilium pretiosarum aliarumve cum descriptione atque aestimatione earundem; vel factum antea inventarium acceptetur, adnotatis rebus quae interim amissae vel acquisitae fuerint;**

**3.° Huius inventarii alterum exemplar conservetur in tabulario administrationis, alterum in archivo Curiae; et in utroque quaelibet immutatio adnotetur quam patrimonium subire contingat.**

CAN. **1523.**

**Administratores bonorum ecclesiasticorum diligentia boni patrisfamilias suum munus implere tenentur; ac proinde debent :**

**1.° Vigilare ne bona ecclesiastica suae curae concredita quoquo modo pereant aut detrimentum capiant;**

**2.° Praescripta servare iuris tam canonici quam civilis, aut quae a fundatore vel donatore vel legitima auctoritate imposita sint;**

**3.° Reditus bonorum ac proventus accurate et iusto tempore exigere exactosque loco tuto servare et secundum fundatoris mentem aut statutas leges vel normas impendere;**

**4.° Pecuniam ecclesiae, quae de expensis supersit et utiliter collocari potest, de consensu Ordinarii, in emolumentum ipsius ecclesiae occupare;**

**5.° Accepti et expensi libros bene ordinatos habere;**

**6.° Documenta et instrumenta, quibus iura ecclesiae in bona nituntur, rite ordinare et in ecclesiae archivo vel armario convenienti et apto custodire; authentica vero eorum exemplaria, ubi commode fieri potest, in archivo vel armario Curiae deponere.**

CAN. **1524.**

**Omnes, et praesertim clerici, religiosi ac rerum ecclesiasticarum administratores, in operum locatione debent assignare operariis hone-**

**stam iustamque mercedem; curare ut iidem pietati, idoneo temporis spatio, vacent; nullo pacto eos abducere a domestica cura parsimoniaeque studio, neque plus eisdem imponere operis quam vires ferre queant neque id genus quod cum aetate sexuque dissideat.**

CAN. 1525.

§ 1. **Reprobata contraria consuetudine, administratores tam ecclesiastici quam laici cuiusvis ecclesiae etiam cathedralis aut loci pii canonice erecti aut confraternitatis singulis annis officio tenentur reddendi rationem administrationis Ordinario loci.**

§ 2. **Si ex peculiari iure aliis ad id designatis ratio reddenda sit, tunc etiam Ordinarius loci vel eius delegatus cum his admittatur^ ea lege ut aliter factae liberationes ipsis administratoribus minime suffragentur.**

CAN. 1526.

**Administratores litem nomine ecclesiae ne inchoent vel contestentur, nisi licentiam obtinuerint scripto datam Ordinarii loci, aut saltem, si res urgeat, vicarii foranei, qui statim Ordinarium de concessa licentia certiorem reddere debet.**

• CAN. 3527.

§ 1. **Nisi prius ab Ordinario loci facultatem impetraverint, scriptis dandam, administratores invalide actus ponunt qui ordinariae administrationis fines et modum excedant.**

§ 2. **Ecclesia non tenetur respondere de contractibus ab administratoribus sine licentia competentis Superioris initis, nisi quando et quatenus in rem suam versum sit.**

CAN. 1528.

**Etsi ad administrationem non teneantur titulo beneficii vel officii ecclesiastici, administratores qui munus expresse vel tacite susceptum arbitratu suo dimittunt ita ut damnum exinde ecclesiae obveniat, ad restitutionem tenentur.**

## TITULUS XXIX.

## De contractibus.

CAN. 1529.

**Quae ius civile in territorio statuit de contractibus tam in genere, quam in specie, sive nominatis sive innominatis, et de solutionibus, eadem iure canonico in materia ecclesiastica iisdem cum effectibus serventur, nisi iuri divino contraria sint aut aliud iure canonico caveatur.**

CAN. 1530.

§ 1. **Salvo praescripto can.** 1281, **ad alienandas res ecclesiasticas immobiles aut mobiles, quae servando servari possunt, requiritur :**

1.° **Aestimatio rei a probis peritis scripto facta;**

**2.° Iusta causa, idest urgens necessitas, vel evidens utilitas Ecclesiae, vel pietas;**

**3.° Licentia legitimi Superioris, sine qua alienatio invalida est.**

**§ 2. Aliae quoque opportunae cautelae, ab ipsomet Superiore pro diversis adiunctis praéscribendae, ne omittantur, ut Ecclesiae damnum vitetur.**

CAN. **1531.**

**§ 1. Res alienari minore pretio non debet quam quod in aestimatione indicatur.**

*§ 2.* **Alienatio fiat per publicam licitationem aut saltem nota reddatur, nisi aliud circumstantiae suadeant; et res ei concedatur qui, omnibus perpensis, plus obtulerit.**

**§ 3. Pecunia ex alienatione percepta caute, tuto et utiliter in commodum Ecclesiae collocetur.**

CAN. **1532.**

**§ 1. Legitimus Superior dé quo in can. 1530, § 1, n. 3, est Sedes Apostolica, si agatur:**

**1.° De rebus pretiosis;**

**2.° De rebus quae valorem excedunt triginta millium libellarum seu francorum.**

**§ 2. Si vero agatur de rebus quae valorem non excedunt mille libellarum seu francorum, est loci Ordinarius, audito administrationis Consilio, nisi res minimi momenti sit, et cum eorum consensu quorum interest.**

**§ 3. Si denique de rebus quarum pretium continetur intra mille libellas et triginta millia libellarum seu francorum, est loci Ordinarius, dummodo accesserit consensus tum Capituli cathedralis, tum Consilii administrationis, tum eorum quorum interest.**

**§ 4. Si agatur de alienanda re divisibili, in petenda licentia aut consensu pro alienatione exprimi debent partes antea alienatae; secus licentia irrita est.**

CAN. **1533.**

**Sollemnitates ad normam can. 1530-1532 requiruntur non solum in alienatione proprie dicta, sed etiam in quolibet contractu quo conditio Ecclesiae peior fieri possit.**

CAN. **1534.**

**§ 1. Ecclesiae competit actio personalis contra eum qui sine debitis sollemnitatibus bona ecclesiastica alienaverit et contra eius heredes; realis vero, si alienatio nulla fuerit, contra quemlibet possessorem, salvo iure emptoris contra male alienantem.**

**§ 2. Contra invalidam rerum ecclesiasticarum alienationem agere possunt qui rem alienavit, eius Superior, utriusque successor in officio, tandem quilibet clericus illi ecclesiae adscriptus, quae damnum passa sit.**

CAN. 1535.

**Praelati et rectores de bonis mobilibus suarum ecclesiarum donationes, praeterquam parvas et módicas secundum legitimam loci consuetudinem, facere ne praesumant, nisi iusta interveniente causa remunerationis aut pietatis aut christianae caritatis; secus donatio a successoribus revocari poterit.**

CAN. 1536.

**§ 1. Nisi contrarium probetur, praesumendum ea quae donantur rectoribus ecclesiarum, etiam religiosorum, esse ecclesiae donata.**

§ 2. **Donatio facta ecclesiae, ab eius rectore seu Superiore repudiari nequit sine licentia Ordinarii.**

§ 3. **Repudiata illegitime donatione, ob damna quae inde obvenerint actio datur restitutionis in integrum vel indemnitatis.**

§ 4. **Donatio ecclesiae facta et ab eadem legitime acceptata, propter ingratum Praelati vel rectoris animum revocari nequit.**

CAN. 1537.

**Res sacrae ne commodentur ad usum qui earundem naturae repugnet.**

CAN. 1538.

§ 1. **Si ecclesiae bona, legitima interveniente causa, oppignoranda vel hypothecae nomine obliganda sint, vel agatur de aere alieno contrahendo, legitimus Superior, qui ad normam can.** 1532 **licentiam dare debet, exigat ut antea omnes, quorum interest, audiantur, et curet ut, cum primum fieri poterit, aes alienum solvatur.**

§ 2. **Hac de causa annuae ratae ab eodem Ordinario praefiniantur quae exstinguendo debito sint destinatae.**

CAN. 1539.

§ 1. **In venditione aut permutatione rerum sacrarum nulla ratio consecrationis vel benedictionis in pretii aestimatione habeatur.**

§ 2. **Administratores possunt *titulos ad latorem,* quos vocant, commutare in alios titulos magis aut saltem aeque tutos ac frugiferos, exclusa qualibet commercii vel negotiationis specie, ac de consensu Ordinarii, dioecesani Consilii administrationis aliorumque quorum intersit.**

CAN. 1540.

**Bona ecclesiae immobilia propriis administratoribus eorumque coniunctis in primo aut secundo consanguinitatis vel affinitatis gradu non sunt vendenda aut locanda ìsine speciali Ordinarii loci licentia.**

CAN. 1541.

§ 1. **Contractus locationis alicuius fundi ecclesiastici ne fiant, nisi ad normam can.** 1531, § 2; **et in iis addantur semper conditiones de limitibus custodiendis, de bona cultione, de rite solvendo canone, de opportuna cautela pro conditionibus implendis.**

**§ 2. Pro locatione bonorum ecclesiasticorum, servato praescripto can. 1479:**

**1.° Si valor locationis excedat triginta millia libellarum seu francorum et locatio sit ultra novennium, requiritur beneplacitum apostolicum; si locatio non sit ultra novennium, servari debet praescriptum can. 1532, § 3;**

**2.° Si valor contineatur intra mille libellas et triginta millia libellarum seu francorum et locatio sit ultra novennium, servari debet praescriptum eiusdem can. 1532, § 3; si locatio non sit ultra novennium, praescriptum eiusdem can. 1532, § 2;**

**3.° Si valor non excedat mille libellas seu francos et locatio sit ultra novennium, servari debet idem praescriptum can. 1532, § 2; si locatio non sit ultra novennium, fieri potest a legitimis administratoribus, monito Ordinario.**

CAN. **1542.**

**§ 1. In emphyteusi bonorum ecclesiasticorum emphyteuta nequit canonem redimere sine licentia legitimi Superioris ecclesiastici de quo in can. 1532; quod si redemerit, eam saltem pecuniae vim ecclesiae dare debet, quae canoni respondeat.**

**§ 2. Ab emphyteuta congrua exigatur cautio pro solutione canonis et conditionibus implendis; in ipso instrumento pacti emphyteutici forum ecclesiasticum arbiter statuatur ad dirimendas controversias inter partes forte exorituras et expresse declaretur meliorationes solo cedere.**

CAN. **1543.**

**Si res fungibilis ita alicui detur ut eius fiat et postea tantundem in eodem genere restituatur, nihil lucri, ratione ipsius contractus, percipi potest; sed in praestatione rei fungibilis non est per se illicitum de lucro legali pacisci, nisi constet ipsum esse immoderatum, aut etiam de lucro maiore, si iustus ac proportionatus titulus suffragetur.**

## TITULUS XXX.

## De piis fundationibus.

CAN. **1544.**

**§ 1. Nomine piarum fundationum significantur bona temporalia alicui personae morali in Ecclesia quoquo modo data, cum onere in perpetuum vel in diuturnum tempus ex reditibus annuis aliquas Missas celebrandi, vel alias praefinitas functiones ecclesiasticas explendi, aut nonnulla pietatis et caritatis opera peragendi.**

**§ 2. Fundatio, legitime acceptata, naturam induit contractus synallagmatici :** ***do ut facias.***

CAN. **1545.**

**Loci Ordinarii est normas praescribere de dotis quantitate infra quam pia fundatio admitti nequeat et de eius fructibus rite distribuendis.**

CAN. 1546.

§ 1. **Ut huiusmodi fundationes a persona morali acceptari possint, requiritur consensus Ordinarii loci, in scriptis datus, qui eum ne praebeat, antequam legitime compererit personam moralem tum novo oneri suscipiendo, tum antiquis iam susceptis satisfacere posse; maximeque caveat ut reditus omnino respondeant oneribus adiunctis secundum cuiusque dioecesis morem.**

§ 2. **In acceptatione, constitutione et administratione fundationis patronus ecclesiae nullum ius habet.**

CAN. 1547.

**Pecunia et bona mobilia, dotationis nomine assignata, statim in loco tuto, ab eodem Ordinario designando, deponantur ad eum finem ut eadem pecunia vel bonorum mobilium pretium custodiantur, et quamprimum caute et utiliter secundum prudens eiusdem Ordinarii arbitrium, auditis et iis quorum interest et dioecesano administrationis Consilio, collocentur in commodum eiusdem fundationis cum expressa et individua mentione oneris.**

CAN. 1518.

§ 1. **Fundationes, etiam vrva voce factae, scripto consignentur.**

§ 2. **Alterum tabularum exemplar in Curiae archivo, alterum in archivo personae moralis, ad quam fundatio spectat, tuto asservetur.**

CAN. 1549.

§ 1, **Servatis praescriptis can.** 2514-1517 **et can.** 1525, **in qualibet ecclesia onerum ex piis fundationibus incumbentium tabella conficiatur quae apud rectorem in loco tuto conservetur.**

§ 2. **Pariter praeter librum de quo in can.** 843, § 1, **alter liber retineatur et apud rectorem servetur, in quo singula, onera perpetua et temporaria eorumque implementum et eleemosynae adnotentur, ut de iis omnibus exacta ratio Ordinario loci reddatur.**

CAN. 1550.

**Si agatur de piis fundationibus in ecclesiis, etiam paroecialibus, religiosorum exemptorum, iura et officia Ordinarii loci, de quibus in can.** 1545-1549, **exclusive competunt Superiori maiori.**

CAN. 1551.

§ 1. **Reductio onerum quae pias fundationes gravant, uni Sedi Apostolicae reservatur, nisi in tabulis fundationis aliud expresse caveatur, et salvo praescripto can.** 1517, § 2.

§ 2. **Indultum reducendi Missas fundatas non protenditur nec ad alias Missas ex contractu debitas nec ad alia onera piae fundationis.**

§ 3. **Indultum vero generale reducendi onera piarum fundationum ita intelligendum est, nisi aliud constet, ut indultarius potius alia onera,, quam Missas reducat.**

LIBER QUARTUS

# DE PROCESSIBUS

## PARS PRIMA

## DE IUDICIIS

CAN. **1552.**

**§ 1. Nomine iudicii ecclesiastici intelligitur controversiae in re de qua Ecclesia ius habet cognoscendi, coram tribunali ecclesiastico, legitima disceptatio et definitio.**

**§ 2. Obiectum iudicii sunt :**

**1.° Personarum physicarum vel moralium iura persequenda aut vindicanda, vel earundem personarum facta iuridica declaranda; et tunc iudicium est *contentiosum;***

**2.° Delicta in ordine ad poenam infligendam vel declarandam; et tunc iudicium est *criminale.***

CAN. **1553.**

**§ 1. Ecclesia iure proprio et exclusivo cognoscit :**

**1.° De causis quae respiciunt res spirituales et spiritualibus adnexas;**

**2.° De violatione legum ecclesiasticarum deque omnibus in quibus inest ratio peccati, quod attinet ad culpae definitionem et poenarum ecclesiasticarum irrogationem;**

**3.° De omnibus causis sive contentiosis sive criminalibus quae respiciunt personas privilegio fori gaudentes ad normam can. 120, 614, 680.**

**§ 2. In causis in quibus tum Ecclesia tum civilis potestas aeque competentes sunt, quaeque dicuntur mixti fori, est locus praeventioni.**

CAN. **1554.**

**Actor, qui causas mixti fori ad iudicem ecclesiasticum deductas ad forum saeculare iudicandas defert, congruis poenis puniri potest ad normam can. 2222 et privatur iure contra eandem personam de eadem re et de connexis causam agendi in foro ecclesiastico.**

CAN. **1555.**

**§ 1. Tribunal Congregationis S. Officii suo more institutoque procedit sibique propriam consuetudinem retinet; et etiam inferiora tribunalia,**

in causis quae ad S. Officii tribunal spectant, normas ab eodem traditas sequantur oportet.

§ 2. Cetera tribunalia servare debent praescripta canonum qui sequuntur.

§ 3. In iudicio pro dimissione religiosorum serventur praescripta can. 654-667.

### SECTIO I.

## De Iudiciis in genere.

### TITULUS I.

### De foro competenti.

#### CAN. 1556.

Prima Sedes a nemine iudicatur.

#### CAN. 1557.

§ 1. Ipsius Romani Pontificis dumtaxat ius est iudicandi :

1.° Eos qui supremum tenent populorum principatum horumque filios ac filias eosve quibus ius est proxime succedendi in principatum;

2.° Patres Cardinales;

3.° Legatos Sedis Apostolicae, et in criminalibus Episcopos, etiam titulares.

§ 2. Tribunalibus vero Sedis Apostolicae reservatur iudicare :

1.° Episcopos residentiales in contentiosis;

2.° Dioeceses aliasve personas morales ecclesiasticas quae Superiorem infra Romanum Pontificem non habent, uti religiones exemptas, Congregationes monasticas, etc.

§ 3. Alias causas quas Romanus Pontifex ad suum advocaverit iudicium, videt iudex quem ipsemet Romanus Pontifex designaverit.

#### CAN. 1558.

In causis de quibus in can. 1556, 1557, aliorum iudicum incompetentia est *absoluta.*

#### CAN. 1559.

§ 1. Nemo in prima instantia conveniri potest, nisi coram iudice ecclesiastico qui competens sit ob unum ex titulis qui in can. 1560-1568 determinantur.

§ 2. Incompetentia iudicis cui nullus ex his titulis suffragatur, dicitur *relativa.*

§ 3. Actor sequitur forum rei; quod si reus multiplex forum habeat, optio fori actori conceditur.

CAN. 1560.

**Forum necessarium habent :**

**1.° Actiones de spolio, coram Ordinario loci rei sitae;**

**2.° Causae respicientes beneficium, quamvis non residentiale, coram Ordinario loci beneficii;**

**3.° Causae quae versantur circa administrationem, coram Ordinario loci ubi administratio gesta est;**

**4.° Causae quae respiciunt hereditates aut legata pia, coram Ordinario loci domicilii testatoris, nisi agatur de mera exsecutione legati, quae videnda est secundum ordinarias competentiae normas.**

CAN. **1561.**

**§ 1. Ratione domicilii vel quasi-domicilii quilibet conveniri potest coram Ordinario loci.**

**§ 2. Ordinarius autem domicilii vel quasi-domicilii iurisdictionem in subditum, quamvis absentem, habet.**

CAN. **1562.**

**§ 1. Qui peregrinus est in Urbe, licet per breve tempus, potest in ipsa tanquam in proprio domicilio citari; sed ius habet revocandi domum, idest petendi ut ad proprium Ordinarium remittatur.**

**§ 2. Qui in Urbe ab anno commoratur, ius habet declinandi forum Ordinarii et instandi ut coram Urbis tribunalibus citetur.**

CAN. **1563.**

**Vagus proprium forum habet in loco ubi actu commoratur; religiosus in loco domus suae.**

CAN. **1564.**

**Ratione rei sitae pars conveniri potest coram Ordinario loci, ubi res litigiosa sita est, quoties actio in rem directa sit.**

CAN. **1565.**

**§ 1. Ratione contractus pars conveniri potest coram Ordinario loci in quo contractus initus est vel adimpleri debet.**

**§ 2. In actu autem contractus permittitur contrahentibus, obligationis declarandae, urgendae vel implendae gratia, locum eligere, in quo etiam absentes citari et conveniri possint.**

CAN. **1566.**

**§ 1. Ratione delicti reus forum sortitur in loco patrati delicti.**

**§ 2. Licet post delictum reus e loco discesserit, iudex loci ius habet illum citandi ad comparendum, et sententiam in eum ferendi.**

CAN. **1567.**

**Ratione connexionis seu continentiae ab uno eodemque iudice cognoscendae sunt causae inter se connexae, nisi legis praescriptum obstet.**

CAN. 1568.

**Ratione praeventionis!, cum duo vel plures iudices aeque competentes sunt, ei ius est causam cognoscendi qui prius citatione reum legitime convenit.**

## TITULUS II.
## De variis tribunalium gradibus et speciebus.

CAN. 1569.

§ 1. **Ob primatum Romani Pontificis integrum est cuilibet fideli in toto orbe catholico causam suam sive contentiosam sive criminalem, in quovis iudicii gradu et in quovis litis statu, cognoscendam ad Sanctam Sedem deferre vel apud eandem introducere.**

§ 2. **Recursus tamen ad Sedem Apostolicam interpositus non suspendit, excluso casu appellationis, exercitium iurisdictionis in iudice qui causam iam cognoscere coepit; quique idcirco poterit iudicium prosequi usque ad definitivam sententiam, nisi constiterit Sedem Apostolicam causam ad se advocasse.**

CAN. 1570.

§ 1. **Exceptis causis Sedi Apostolicae reservatis aut ad eandem advocatis, ceterae omnes cognoscuntur a diversis tribunalibus, de quibus in can.** 1572 **seqq.**

§ 2. **Quodlibet tamen tribunal, quod attinet ad partium et testium examen aut citationem, documentorum vel rei controversae inspectionem, decretorum intimationem aliaque huiusmodi, ius habet in auxilium vocandi aliud tribunal, quod normas pro singulis actibus iure praescriptas servare debet.**

CAN. 1571.

**Qui causam vidit in uno iudicii gradu, nequit eandem causam in alio iudicare.**

### CAPUT I.
### *De tribunali ordinario primae instantiae.*

#### ART. I. — *De Iudice.*

CAN. 1572.

§ 1. **In unaquaque dioecesi et pro omnibus causis a iure expresse non exceptis, iudex primae instantiae est loci Ordinarius, qui iudiciariam potestatem exercere potest ipse per se, vel per alios, secundum tamen canones qui sequuntur.**

§ 2. **Si vero agatur de iuribus aut bonis temporalibus Episcopi aut mensae vel Curiae dioecesanae, controversia dirimenda deferatur vel, Episcopo consentiente, ad dioecesanum tribunal collegiale quod constat**

**officiali et duobus iudicibus synodalibus antiquioribus, vel ad iudicem immediate superiorem.**

CAN. **1573.**

**§ 1. Quilibet Episcopus tenetur officialem eligere cum potestate ordinaria iudicandi, a Vicario Generali distinctum, nisi parvitas dioecesis aut paucitas negotiorum suadeat hoc officium ipsi Vicario Generali committi.**

**§ 2. Officialis unum constituit tribunal cum Episcopo loci : sed nequit iudicare causas quas Episcopus sibi reservat.**

**§ 3. Officiali dari possunt adiutores, quibus nomen est vice-officialium.**

**§ 4. Tum officialis tum vice-officiales esse debent sacerdotes, integrae famae, in iure canonico doctores vel ceteroqui periti, annos nati non minus triginta.**

**§ 5. Sunt amovibiles ad nutum Episcopi; vacante sede, a munere non cessant, nec a Vicario Capitulari amoveri possunt; adveniente autem novo Episcopo, indigent confirmatione.**

**§ 6. Qui Vicarius Generalis est idemque officialis, sede vacante, cessat quidem a Vicarii, non autem ab officialis munere.**

**§ 7. Si officialis eligatur in Vicarium Capitularem, ipse novum nominat officialem.**

CAN. **1574.**

**§ 1. In qualibet dioecesi presbyteri probatae vitae et in iure canonico periti, etsi extradioecesani, non plures quam duodecim eligantur ut potestate ab Episcopo delegata in litibus iudicandis partem habeant; quibus nomen esto *iudicum synodalium* aut *pro-synodalium,* si extra Synodum constituuntur.**

**§ 2. Quod ad eorum electionem, substitutionem, cessationem aut remotionem a munere attinet, serventur praescripta can. 385-388.**

**§ 3. Nomine iudicum synodalium in iure veniunt quoque iudices pro-synodales.**

CAN. **1575.**

**Unicus iudex in quolibet iudicio duos assessores consulentes sibi adsciscere potest; quos tamen ex iudicibus synodalibus eligere debet.**

CAN. **1576.**

**§ 1. Reprobata contraria consuetudine et revocato quolibet contrario privilegio :**

**1.° Causae contentiosae de vinculo sacrae ordinationis, et matrimonii, vel de iuribus aut bonis temporalibus cathedralis ecclesiae; itemque criminales in quibus res est de privatione beneficii inamovibilis aut de irroganda vel declaranda excommunicatione, tribunali collegiali trium iudicum reservantur;**

**2.° Causae vero quibus agitur de delictis quae depositionis, privationis perpetuae habitus ecclesiastici, vel degradationis poenam importat, reservantur tribunali quinque iudicum.**

§ 2. **Loci Ordinarius tribunali collegiali trium vel quinque iudicum cognitionem committere potest etiam aliarum causarum, idque praesertim faciat quando de causis agitur quae, attentis temporis, loci et personarum adiunctis et materia iudicii, difficiliores et maioris momenti videantur.**

**§ 3. Duo vel quatuor iudices qui una cum praeside tribunal collegiale constituunt, inter iudices synodales Ordinarius, nisi pro sua prudentia aliter opportunum existimaverit, eligat per turnum.**

CAN. 1577.

§ 1. **Tribunal collegiale collegialiter procedere debet, et ad maiorem suffragiorum partem sententias ferre.**

§ 2. **Eidem praeest officialis vel vice-officialis, cuius est processum dirigere, et decernere quae pro iustitiae administratione in causa quae agitur necessaria sunt.**

CAN. 1578.

**Exceptis causis de quibus in can.** 1572, § 2, **Episcopus semper potest tribunali ipse per se praeesse; sed valde expedit ut causas, praesertim criminales et contentiosas gravis momenti, iudicandas relinquat tribunali ordinario, cui praesit officialis vel vice-officialis.**

CAN. 1579.

§ 1. **Si controversia sit inter religiosos exemptos eiusdem religionis clericalis, iudex primae instantiae, nisi aliud in constitutionibus caveatur, est Superior provincialis, aut, si monasterium sit sui iuris, Abbas localis.**

§ 2. **Salvo diverso constitutionum praescripto, si res contentiosa agatur inter duas provincias, in prima instantia iudicabit ipse per se vel per delegatum supremus religionis Moderator; si inter duo monasteria, supremus Moderator Congregationis monasticae.**

**§ 3. Si demum controversia enascatur inter religiosas personas physicas vel morales diversae religionis, aut etiam inter religiosos eiusdem religionis non exemptae vel laicalis, aut inter religiosum et clericum saecularem vel laicum, iudex primae instantiae est Ordinarius loci.**

## ART. II. — *De Auditoribus et Relatoribus.*

CAN. 1580.

§ 1. **Potest Ordinarius unum aut plures auditores, seu actorum instructores, sive stabiliter sive pro certa aliqua causa constituere.**

§ 2. **Iudex auditorem eligere potest tantummodo pro causa quam cognoscit, nisi Ordinarius iam providerit.**

CAN. 1581.

**Auditores pro tribunali dioecesano, quantum fieri potest, deligantur ex iudicibus synodalibus; pro tribunali vero religiosorum deligendi semper sunt ex alumnis eiusdem religionis ad normam constitutionum.**

CAN. **1582.**

**Eorum est testes citare et audire, aliaque acta iudicialia instruere secundum tenorem mandati, non autem sententiam definitivam ferre.**

CAN. **1583.**

**Auditor in quovis litis momento ab officio removeri potest ab eo qui eundem elegit, iusta tamen de causa/et citra partium praeiudicium.**

CAN. **1584.**

**Tribunalis collegialis praeses debet unum de iudicibus collegii ponentem seu relatorem designare qui in coetu iudicum de causa referat et sententias in scriptis redigat; et ipsi idem praeses potest alium ex iusta causa substituere.**

ART. III. — ***De Notario, Promotore iustitiae, vinculi Defensore.***

CAN. **1585.**

**§ 1. Cuilibet processui interesse oportet notarium, qui actuarii officio fungatur; adeo ut nulla habeantur acta, si actuarii manu non fuerint exarata, vel saltem ab eo subscripta.**

**§ 2. Quare iudex, antequam causam cognoscere incipiat, in actuarium assumere debet unum e notariis legitime constitutis, nisi ipse Ordinarius aliquem pro ea causa iam designaverit.**

CAN. **1586.**

**Constituatur in dioecesi *promotor iustitiae* et *defensor vinculi;* ille pro causis, tum contentiosis in quibus bonum publicum, Ordinarii iudicio, in discrimen vocari potest, tum criminalibus; iste pro causis, in quibus agitur de vinculo sacrae ordinationis aut matrimonii.**

CAN. **1587.**

**§ 1. In causis in quibus eorum praesentia requiritur, promotore iustitiae aut vinculi defensore non citato, acta irrita sunt, nisi ipsi, etsi non citati, revera interfuerint.**

**§ 2. Si legitime citati aliquibus actibus non interfuerint, acta quidem valent, verum postea eorum examini subiicienda omnino sunt ut ea omnia sive voce sive scriptis possint animadvertere et proponere quae necessaria aut opportuna iudicaverint.**

CAN. **1588.**

**§ 1. Eadem persona officium promotoris iustitiae et defensoris vinculi gerere potest, nisi multiplicitas negotiorum et causarum id prohibeat.**

**§ 2. Promotor et defensor constitui possunt tum ad universitatem causarum tum pro singulis causis.**

CAN. 1589.

**§ 1. Ordinarii est promotorem iustitiae et vinculi defensorem eligere, qui sint sacerdotes integrae famae, in iure canonico doctores vel ceteroqui periti, ac prudentiae et iustitiae zelo probati.**

§ 2. **In tribunali religiosorum promotor iustitiae sit praeterea eiusdem religionis alumnus.**

CAN. 1590.

§ 1. **Promotor iustitiae et rinculi defensor electi ad universitatem causarum a munere non cessant, sede episcopali vacante, nec a Vicario Capitulari possunt removeri; adveniente autem novo Praelato, indigent confirmatione.**

§ 2. **Iusta tamen intercedente causa, Episcopus eos removere potest.**

ART. IV. — ***De Cursoribus et Apparitoribus,***

CAN. 1591.

§ 1. **Ad acta iudicialia intimanda, nisi alia sit probata tribunalis consuetudo, constituantur cursores sive pro omnibus causis sive pro causa peculiari; item apparitores ad sententias ac decreta iudicis, eo committente, exsecutioni mandanda.** *

§ 2. **Eadem persona utroque officio defungi potest.**

CAN. 1592.

**Laici ipsi sint, nisi prudentia in aliqua causa suadeat ut ecclesiastici ad id muneris assumantur; quod vero ad eorum nominationem, suspensionem et revocationem attinet, eaedem serventur regulae quae pro notariis can.** 373 **statutae sunt.**

CAN. 1593.

**Acta quae hi confecerint, publicam fidem faciunt.**

CAPUT **II.**

*De tribunali ordinario secundae instantiae.*

CAN. 1594.

§ 1. **A tribunali Episcopi Suffraganei appellatur ad Metropolitam.**

§ 2. **A causis in prima instantia pertractatis coram Metropolita fit appellatio ad loci Ordinarium, quem ipse Metropolita, probante Sede Apostolica, semel pro semper designaverit.**

§ 3. **Pro causis primum agitatis coram Archiepiscopo qui caret Suffraganeis vel coram loci Ordinario immediate Sedi Apostolicae subiecto, fit appellatio ad Metropolitam, de quo in can.** 285.

§ 4. **Inter religiosos exemptos, pro omnibus causis coram Superiore provinciali actis tribunal secundae instantiae est penes supremum Moderatorem; pro causis actis coram Abbate locali, penes supremum Moderatorem Congregationis monasticae; pro causis vero de quibus in can.** 1579, § 3, **servetur praescriptum §§** 1, 2, 3 **huius canonis.**

CAN. **1595.**

**Tribunal appellationis eodem modo quo tribunal primae instantiae constitui debet; et eaedem regulae, accommodatae ad rem, in causae discussione servandae sunt.**

CAN. **1596.**

**Si collegialiter causa in prima instantia cognita fuerit, etiam in gradu appellationis collegialiter nec a minore iudicum numero definiri debet.**

CAPUT **III.**

***De ordinariis Apostolicae Sedis tribunalibus.***

CAN. **1597.**

**"Romanus Pontifex pro toto orbe catholico ad normam can. 1569 iudex est supremus, qui vel ipse per se ius dicit, vel per tribunalia ab ipso constituta, vel per iudices a se delegatos.**

ART. **I. —** ***B e Sacra Romana Rota.***

CAN. **1598.**

**§ 1. Tribunal ordinarium a Sancta Sede constitutum pro appellationibus recipiendis est Sacra Rota Romana, quae est tribunal collegiale constans certo Auditorum numero cui praesidet Decanus, qui primus est inter pares.**

**§ 2. Ii sacerdotes esse debent laurea doctorali in utroque saltem iure praediti.**

**§ 3. Auditorum electio Romano Pontifici reservatur.**

**§ 4. Sacra Rota ius dicit aut per singulos turnos trium Auditorum, aut videntibus òmnibus, nisi aliter pro aliqua causa Summus Pontifex constituat.**

CAN. **1599.**

**§ 1. Sacra Rota iudicat :**

**1.° In secunda instantia causas quae a quorumvis Ordinariorum tribunalibus in primo gradu diiudicatae fuerint et ad Sanctam Sedem per appellationem legitimam deferantur;**

**2.° In ultima instantia causas ab ipsa Sacra Rota et ab aliis quibusvis tribunalibus in secunda vel ulteriore instantia iam cognitas, quae in rem iudicatam non transierint.**

**§ 2. Hoc tribunal iudicat etiam in prima instantia causas quas Romanus Pontifex sive motu proprio, sive ad instantiam partium ad suum tribunal advocaverit et Sacrae Rotae commiserit; easque, nisi aliud cautum sit in commissionis rescripto, Sacra Rota iudicat quoque in secunda et tertia instantia ope turnorum qui sibi invicem succedunt.**

CAN. 1600.

**Causae maiores penitus excluduntur ab ambitu competentiae huius tribunalis.**

CAN. 1601.

**Contra Ordinariorum decreta non datur appellatio seu recursus ad Sacram Rotam; sed de eiusmodi recursibus exclusive cognoscunt Sacrae Congregationes.**

ART. II. — ***De Signatura Apostolica.***

CAN. 1602.

**Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal constat nonnullis S. R. E. Cardinalibus, quorum unus Praefecti munere fungitur.**

CAN. 1603.

§ 1. **Apostolica Signatura videt potestate ordinaria :**

1.° **De violatione secreti, ac de damnis ab Auditoribus Sacrae Rotae illatis eo quod actum nullum vel iniustum posuerint;**

2.° **De exceptione suspicionis contra aliquem Sacrae Rotae Auditorem;**

3.° **De querela nullitatis contra sententiam rotalem;**

4.° **De expostulatione pro restitutione in integrum adversus rotalem sententiam quae in rem iudicatam transierit;**

**5.° De recursibus adversus sententias rotales in causis matrimonialibus quas ad novum examen Sacra Rota admittere renuit;**

6.° **De conflictu competentiae quem enasci contingat inter tribunalia inferiora, ad normam can.** 1612, § 2.

§ 2. **Videt ex potestate delegata de petitionibus per supplices libellos ad Sanctissimum porrectis ad obtinendam causae commissionem apud Sacram Rotam.**

CAN. 1604.

§ 1. **In causa criminali, de qua in can.** 1603, § 1, **n.** 1, **si forte locus sit iudicio appellationis, hoc obtinetur penes ipsum Supremum Tribunal.**

§ 2. **In casu suspicionis, Apostolica Signatura definit utrum sit locus recusationi Auditoris, necne; quo facto, iudicium ad Sacram Rotam remittit, ut, secundum suas regulas ordinarias, procedat, Auditore, contra quem exceptio mota fuit, in suo turno manente vel excluso.**

§ 3. **In casu qnaerelae nullitatis aut restitutionis in integrum aut recursus de quibus in can.** 1603, § 1, **nn.** 3, 4, 5, **de hoc tantum iudicat num sit nulla sententia rotalis, num locus sit restitutioni vel recursus sit admittendus; et nullitate declarata aut restitutione concessa vel admisso recursu, causam remittit ad Sacram Rotam, nisi Sanctissimus aliter providerit.**

§ 4. **In examine supplicum libellorum Signatura, habitis opportunis notitiis et auditis iis quorum interest, decernit utrum precibus annuendum sit, necne.**

CAN. **1605.**

**§ 1. Supremi Tribunalis Signaturae sententiae suam vim habent, quamvis rationes in facto et in iure non contineant.**

**§ 2. Nihilominus sive ad instantiam partis sive ex officio, si res postulet, Supremum Tribunal edicere potest ut praedictae rationes exponantur secundum regulas Tribunalis proprias.**

CAPUT **IV.**

***De tribunali delegato.***

CAN. **1606.**

**Delegati iudices servare tenentur regulas statutas in can. 199-207, 209.**

CAN. **1607.**

**§ 1. Iudex a Sancta Sede delegatus uti potest ministris constitutis in Curia dioecesis in qua iudicare debet; sed potest etiam alios quoscunque maluerit eligere et assumere, nisi in delegationis rescripto aliud cautum sit.**

**§ 2. Iudices vero ab Ordinariis locorum delegati uti debent ministris Curiae dioecesanae, nisi Episcopus in aliquo peculiari casu ob gravem causam proprios et extraordinarios ministros constituendos decreverit.**

## TITULUS III.

**De disciplina in tribunalibus servanda.**

CAPUT **I.**

***De officio iudicum et tribunalis ministrorum.***

CAN. **1608.**

**Iudex competens parti legitime requirenti suum ministerium ne recuset, firmo praescripto can. 1625.**

CAN. **1609.**

**§ 1. Iudex antequam aliquem ad suum trahat tribunal et iudicaturus sedeat, videat utrum ipse sit competens, necne.**

**§ 2. Eodemque modo antequam aliquem ad agendum admittat, cognoscere tenetur num is in iudicio possit iure consistere.**

**§ 3. Non est tamen necesse ut de his referatur in actis.**

CAN. **1610.**

***§ 1. Si exceptio proponatur contra iudicis competentiam, hac de re ipse iudex videre debet.**

**§ 2. In casu exceptionis de incompetentia relativa, si iudex se competentem pronuntiet, eius decisio non admittit appellationem.**

§ 3. Quod si iudex se incompetentem declaret, pars quae se gravatam reputat, potest intra decem dierum spatium appellationem ad superius tribunal interponere.

CAN. 1613.

Iudex quovis in stadio causae se absolute incompetentem agnoscens, suam incompetentiam declarare tenetur.

CAN. 1612.

§ 1. Si inter duos pluresve iudices controversia oriatur quisnam eorum ad aliquod negotium competens sit, res definienda est a tribunali immediate superiore.

§ 2. Quod si iudices, inter quos exsistit competentiae conflictus, subsint distinctis tribunalibus superioribus, controversiae definitio reservatur tribunali superiori illius iudicis, coram quo actio primo promota est; si non habeant tribunal superius, conflictus dirimatur vel a Legato Sanctae Sedis, si adsit, vel ab Apostolica Signatura.

CAN. 3613.

§ 1. Iudex cognoscendam ne suscipiat causam, in qua ratione consanguinitatis vel affinitatis in quolibet gradu lineae rectae et in primo et secundo gradu lineae collateralis, vel ratione tutelae et curatelae, intimae vitae consuetudinis, magnae simultatis, vel lucri faciendi aut damni vitandi, aliquid ipsius intersit, vel in qua antea advocatum aut procuratorem egerit.

§ 2. In iisdem rerum adiunctis ab officio suo abstinere debent iustitiae promotor et defensor vinculi.

CAN. 3614.

§ 1. Cum iudex, etsi competens, a parte recusatur ut suspectus, haec exceptio, si proponatur contra Iudicem delegatum in causa unicum vel contra collegium vel maiorem delegatorum iudicum partem, definienda est a delegante; si contra unum vel alterum ex pluribus iudicibus delegatis, etsi Collegii praesidem, a ceteris iudicibus delegatis et non suspectis; si contra Auditorem Sacrae Rotae, a Signatura Apostolica ad" normam can. 1603, § 1, n. 2; si contra officialem, ab Episcopo; si contra auditorem, a iudice principali.

§ 2. Si ipsemet Ordinarius sit iudex et contra ipsum exceptio suspicionis opponatur, vel abstineat a iudicando vel quaestionem suspicionis definiendam committat iudici immediate superiori.

§ 3. Si exceptio suspicionis opponatur contra promotorem iustitiae, defensorem vinculi aut alios tribunalis administros, de hac exceptione videt praeses in tribunali collegiali vel ipse iudex, si unicus sit.

CAN. 1615.

§ 1. Si iudex unicus aut aliquis vel etiam omnes iudices qui tribunal collegiale constituunt suspecti declarentur, personae mutari debent, non vero iudicii gradus.

§ 2. **Ordinarii antem est in locum iudicum qui suspecti declarati sunt, alios a suspicione immunes subrogare.**

**§ 3. Quod si ipsemet Ordinarius declaratus fuerit suspectus, idem peragat iudex immediate superior.**

CAN. 1616.

**Exceptio suspicionis expeditissime definienda est, auditis partibus, promotore iustitiae vel vinculi defensore, si intersint, nec in ipsos suspicio cadat.**

CAN. 1617.

**Quod ad tempus attinet quo exceptiones incompetentiae et suspicionis proponendae sint, servetur praescriptum can.** 1628.

CAN. 1618.

**In negotio quod privatorum solummodo interest, iudex procedere potest dumtaxat ad instantiam partis; sed in delictis, et in iis quae publicum Ecclesiae bonum aut animarum salutem respiciunt, etiam ex officio.**

CAN. 1619.

§ 1. **Si actor pro re sua probationes quas afferre posset, non afferat, vel reus exceptiones sibi competentes non opponat, iudex ne suppleat.**

§ 2. **Si vero agatur vel de publico bono vel de animarum salute, eas supplere potest et debet.**

CAN. 1620.

**Iudices et tribunalia curent ut quamprimum, salva iustitia, causae omnes terminentur, utque in tribunali primae instantiae ultra biennium non protrahantur, in tribunali vero secundae instantiae ultra annum.**

CAN. 1621.

§ 1. **Excepto Episcopo qui per se potestatem iudiciariam exerceat, omnes qui tribunal constituunt aut eidem opem ferunt, iusiurandum de officio rite et fideliter implendo coram Ordinario vel coram iudice a quo electi sunt, vel coram viro ecclesiastico ab alterutro delegato, praestare debent : idque ab initio suscepti officii, si sint stabiles, aut antequam causa agatur, si pro peculiari aliqua causa sint constituti.**

§ 2. **Etiam iudex a Sede Apostolica delegatus vel iudex ordinarius in religione clericali exempta idem iusiurandum praestare tenetur cum primum tribunal constituitur, adstante ipsius tribunalis notario, qui de praestito iureiurando actum redigat.**

CAN. 1622.

§ 1. **Quotiescumque iusiurandum praestatur sive a iudicibus aut tribunalis administris, sive a partibus, testibus, peritis, semper emitti debet praemissa divini Nominis invocatione et a sacerdotibus quidem tacto pectore, a ceteris fidelibus, tacto Evangeliorum libro.**

§ 2. **Iudex partem, testem aut peritum ad iusiurandum recipiens, eum regulariter commonefaciat tum de sanctitate actus et de gravissimo delicto quod admittunt iurisiurandi violatores, tum etiam de poenis, quibus obnoxii fiunt qui falsum in iudicio iurati affirmant.**

§ 3. **Iusiurandum secundum formulam a iudice probatam praestari debet coram eodem iudice aut eius delegato, adstante utraque aut alterutra parte, quae interesse iurisiurandi praestationi velit.**

CAN. 1623.

**§ 1. In iudicio criminali semper, in contentioso autem si ex revelatione alicuius actus processualis praeiudicium partibus obvenire possit, iudices et tribunalis adiutores tenentur ad secretum officii.**

§ 2. **Tenentur etiam semper ad inviolabile secretum servandum de discussione quae in tribunali collegiali ante ferendam sententiam habetur, tum etiam de variis suffragiis et opinionibus ibidem prolatis.**

§ 3. **Imo quoties causae vel probationum natura talis sit ut ex actorum vel probationum evulgatione aliorum fama periclitetur, vel praebeatur ansa dissidiis, aut scandalum aliudve id genus incommodum oriatur, iudex poterit testes, peritos, partes earumque " advocatos vel procuratores iureiurando adstringere ad secretum servandum.**

CAN. 1624.

**Iudex et omnes tribunalis administri, occasione agendi iudicii, munera quaevis acceptare prohibentur.**

CAN. 1625.

§ 1. **Iudices qui cum certe et evidenter competentes sunt, ius reddere recusant, vel qui temere se competentes declarant, vel qui ex culpabili negligentia aut dolo actum nullum cum aliorum detrimento vel iniustum ponunt aut aliud litigantibus damnum inferunt, tenentur de damnis et ab Ordinario loci vel, si de Episcopo agatur, a Sede Apostolica, ad instantiam partis aut etiam ex officio, congruis poenis pro gravitate culpae puniri possunt, non exclusa officii privatione.**

§ 2. **Iudices qui secreti legem violare vel acta secreta cum aliis quoquo modo communicare praesumpserint, puniantur mulcta pecuniaria aliisque poenis, privatione officii non exclusa, pro diversa reatus gravitate, salvis peculiaribus statutis, quibus graviores poenae praescribantur.**

§ 3. **Eisdem sanctionibus subsunt tribunalis officiales et adiutores, si officio suo, ut supra, defuerint, quos omnes etiam iudex punire potest.**

CAN. 1626.

**Cum iudex praevidet actorem probabiliter spreturum esse sententiam ecclesiasticam si forte haec ipsi sit contraria, et idcirco conventi iuribus non satis consultum iri, potest, ad eiusdem conventi instantiam vel etiam ex officio, actorem adigere ad congruam cautionem praestandam pro ecclesiasticae sententiae observantia.**

## CAPUT II.

### *De ordine cognitionum.*

CAN. 1627.

Iudices et tribunalia tenentur causas ad se delatas eo ordine cognoscere quo fuerunt propositae,, nisi aliqua earum celerem prae ceteris expeditionem exigat, quod quidem peculiari decreto a iudice seu a tribunali statuendum est.

CAN. 1628.

§ 1. Exceptiones dilatoriae, eae praesertim quae respiciunt personas et modum iudicii, proponendae et cognoscendae sunt ante contestationem litis, nisi contestata iam lite primum emerserint aut pars iureiurando affirmet eas tunc tantum sibi innotuisse.

§ 2. Exceptio tamen de incompetentia iudicis absoluta a partibus opponi potest in quovis statu et gradu causae.

§ 3. Pariter exceptio excommunicationis opponi potest in quolibet iudicii statu et gradu, dummodo ante sententiam definitivam; imo si agatur de excommunicatis vitandis, aut toleratis contra quos sententia condemnatoria vel declaratoria lata fuerit, ii ex officio semper excludi debent.

CAN. 1629.

§ 1. Exceptiones peremptoriae, quae dicuntur *litis finitae*, veluti exceptio rei iudicatae, transactionis, etc., proponi et cognosci debent ante contestationem litis; qui serius eas opposuerit, non est reiiciendus, sed condemnetur in expensis, nisi probet se oppositionem malitiose non distulisse.

§ 2. Aliae exceptiones peremptoriae proponi debent post contestatam litem, et suo tempore tractandae sunt secundum regulas circa quaestiones incidentes.

CAN. 1630.

§ 1. Actiones reconventionales satius statim post litis contestationem, utiliter quovis iudicii momento, ante sententiam tamen, proponi possunt.

§ 2. Cognoscantur autem simul cum conventionali actione, hoc est pari gradu cum ea, nisi eas separatim cognoscere necessarium sit aut iudex opportunius existimaverit.

CAN. 1631.

Quaestiones de cautione pro expensis iudicialibus praestanda aut de concessione gratuiti patrocinii, quod statim ab initio postulatum fuerit, et aliae huiusmodi videndae regulariter sunt ante litis contestationem.

CAN. 1632.

Quoties, proposita principali controversia, quaestio praeiudicialis suboriatur, id est eiusmodi ex cuius solutione pendeat solutio quaestionis principalis, illa ante omnia a iudice cognoscenda est.

CAN. **1633.**

**§ 1. Si ex principali controversia quaestiones incidentes nascantur, cognoscantur prius eae quarum solutio viam sternat ad aliarum solutionem.**

**§ 2. Quod si nullo nexu logico inter se cohaereant, quae prius ab alterutra parte propositae sunt, illae antea definiantur.**

**§ 3. Si de spolio incidat quaestio, haec ante omnia est dirimenda.**

CAPUT **III.**

***De dilationum terminis et fatalibus.***

CAN. **.1634.**

**§ 1. *Fatalia legis* quae dicuntur, idest termini perimendis iuribus a lege constituti, prorogari non possunt.**

**§ 2. Termini autem iudiciales et conventionales, ante eorum lapsum, poterunt, iusta intercedente causa, a iudice, auditis vel petentibus partibus, prorogari.**

**§ 3. Caveat tamen iudex ne nimis diuturna lis fiat ex prorogatione.**

CAN. **1635.**

**Si dies, pro actu iudiciali indicta, sit feriata nec in decreto iudicis dicatur expresse tribunal vacaturum nihilominus causis cognoscendis, terminus intelligitur prorogatus ad primam sequentem diem non feriatam.**

CAPUT **IV.**

***De loco et tempore iudicii.***

CAN. **1636.**

**Quamvis Episcopus in quolibet suae dioecesis loco, qui non sit exemptus, ius habeat erigendi tribunal, nihilominus penes suam sedem aulam statuat, quae sit ordinarius iudiciorum locus : ibique Crucifixi imago emineat, et adsit Evangeliorum liber.**

CAN. **1637.**

**Iudex e territorio suo vi expulsus vel a iurisdictione ibi exercenda impeditus, potest extra territorium iurisdictionem suam exercere et sententiam ferre, certiore tamen hac de re facto loci Ordinario.**

CAN. **1638.**

**§ 1. In unaquaque dioecesi Ordinarius publico decreto dies et horas definiri curet, pro loci ac temporum adiunctis opportunas, quibus tribunal adiri regulariter possit, et ab eo iustitiae administratio exigi.**

**§ 2. Iusta tamen de causa, et quoties periculum sit in mora, fas est fidelibus quovis tempore iudicis ministerium in sui iuris vel boni publici tutelam invocare.**

CAN. 1639.

§ 1. **Dies festi de praecepto, et ultimi tres dies hebdomadae sanctae feriati habeantur; et in iis citationes intimare, audientias habere, partes et testes excutere, probationes assumere, decreta et sententias ferre, denuntiare et exsequi vetitum est, nisi necessitas, christiana caritas, aut bonum publicum aliud postulent.**

§ 2. **Iudicis autem est in singulis casibus statuere et denuntiare, an et quae ACTA supra dictis diebus expleri debeant.**

CAPUT V.

***De personis ad disceptationem iudicialem admittendis et de modo confectionis et conservationis actorum.***

CAN. 1640.

§ 1. **Dum causae coram tribunali aguntur, extranei ab aula arceantur et ii tantummodo adsint, quos ad processum expediendum iudex necessarios esse iudicaverit.**

§ 2. **Omnes, iudicio assistentes, qui reverentiae et obedientiae tribunali debitae graviter defuerint, iudex, etiam illico et incontinenti si coram tribunali sedente in id quis peccaverit, potest censuris quoque aliisve congruis poenis ad officium reducere, advocatos praeterea et procuratores etiam iure alias causas apud tribunalia ecclesiastica pertractandi privare.**

CAN. 1641.

**Si alicui actui processuali interveniat persona linguae loci ignara et iudices ac partes linguam huius personae propriam non intelligant, interpres adhibeatur iuratus, et a iudice designatus, contra quem alterutra pars legitimam exceptionem non proposuerit.**

CAN. 1642.

§ 1. **Acta iudicialia, tum quae meritum quaestionis respiciunt, seu** ***acta causae,*** **ex gr., sententiae et cuiusque generis probationes, tum quae ad formam procedendi pertinent, seu** ***acta processus,*** **ex. gr., citationes, intimationes, etc., scripto redacta esse debent.**

§ 2. **Msi iusta causa aliud suadeat, quoad eius fieri potest, lingua latina redigantur; sed interrogationes et responsiones testium, aliaque similia, lingua vernacula confici debent.**

CAN. 1643.

§ 1. **Singula folia processus numerentur; et actuarii subscriptio cum sigillo tribunalis apponatur in unoquoque folio.**

§ 2. **Singulis actis completis vel interruptis seu ad aliam sessionem remissis, apponatur subscriptio actuarii et iudicis vel tribunalis praesidis.**

§ 3. **Quoties in actis iudicialibus partium aut testium subscriptio**

**requiritur, si pars aut testis haue facere nequeat vel nolit, id in ipsis actis adnotetur, simulque iudex et actuarius fidem faciant actum ipsum de verbo ad verbum parti aut testi perlectum fuisse, et partem aut testem vel non potuisse vel noluisse subscribere.**

CAN. **1644.**

**§ 1. In casu appellationis, actorum exemplaria ad normam can. 1642, 1643 conscripta et in fasciculum religata, cum indice omnium actorum et documentorum et cum testificatione actuarii seu cancellarii de eorum fideli transcriptione et integritate, mittantur ad superius tribunal; si exemplaria sine gravi incommodo exscribi nequeant, mittantur cum opportunis cautelis acta ipsa originalia.**

**§ 2. Si eo mittenda sint ubi vernacula lingua non sit cognita, acta ipsa in linguam latinam vertantur, adhibitis cautelis ut de fideli translatione constet.**

**§ 3. Si acta debita forma et charactere confecta non fuerint, a iudice superiore repelli possunt : quo in casu illi, quibus culpa imputanda est, acta suis impensis denuo conficere et mittere tenentur.**

CAN. **1645.**

**§ 1. Iudicio expleto, documenta partibus restitui debent, nisi in criminalibus, bono publico ita exigente, iudex aliquod retinendum censuerit.**

**§ 2. Documenta omnia, quae apud tribunal manent, in archivo Curiae deponantur sive publico sive secreto, prout eorum natura exigit.**

**§ 3. Notarii, actuarii et cancellarius sine iudicis mandato tradere prohibentur exemplar actorum iudicialium et documentorum quae sunt processui acquisita.**

**§ 4. Anonymae epistolae quae nihil ad causae meritum conferunt, et etiam subscriptae quae sint certo calumniosae, destruantur.**

## TITULUS IV.

### De partibus in causa.

CAPUT **I.**

### *De actore et de reo convento.*

CAN. **1646.**

**Quilibet potest in iudicio agere, nisi a sacris canonibus prohibeatur; reus autem legitime conventus respondere debet.**

CAN. **1647.**

**Licet actor vel reus conventus procuratorem vel advocatum constituerit, semper tamen tenetur in iudicio ipsemet adesse ad praescriptum iuris vel iudicis.**

CAN. **1648.**

**§ 1. Pro minoribus et iis qui rationis usu destituti sunt, agere et respondere tenentur eorum parentes aut tutores vel curatores.**

**§ 2. Si iudex existimet ipsorum iura esse in conflictu cum iuribus parentum Vel tutorum vel curatorum, aut ipsos tam longe distare a parentibus aut tutoribus vel curatoribus, ut hisce uti aut minime aut difficulter liceat, tunc stent in iudicio per curatorem a iudice datum.**

**§ 3. Sed in causis spiritualibus et cum spiritualibus connexis, si minores usum rationis assecuti sint, agere et respondere queunt sine patris vel tutoris consensu; et quidem, si aetatem quatuordecim annorum expleverint, etiam per seipsos; secus per tutorem ab Ordinario datum, vel etiam per procuratorem a se, Ordinarii auctoritate, constitutum.**

CAN. .1649.

**Nomine eorum de quibus in can. 100, § 3, stat in iudicio rector vel administrator, firmo praescripto can. 1653; in conflictu vero eorum iurium cum iuribus rectoris vel administratoris, procurator ab Ordinario designatus.**

CAN. **1650.**

**Bonis interdicti, et ii qui minus firmae mentis sunt, stare in iudicio per se ipsi possunt tantummodo ut de propriis delictis respondeant, aut ad praescriptum iudicis : in ceteris agere et respondere debent per suos curatores.**

CAN. **1651.**

**§ 1. Ut curator ab auctoritate civili alicui datus a iudice ecclesiastico admittatur, debet accedere consensus Ordinarii proprii illius cui datus est.**

**§ 2. Ordinarius potest quoque alium curatorem constituere pro foro ecclesiastico, si, omnibus mature perpensis, id statuendum esse prudenter censuerit.**

CAN. **1652.**

**Religiosi sine Superiorum consensu non habent personam standi in iudicio, nisi in casibus qui sequuntur :**

**1.° Si de vindicandis adversus religionem iuribus sibi ex professione quaesitis agatur;**

**2.° Si ipsi extra claustra legitime morentur et iurium suorum tuitio urgeat;**

**3.° Si contra ipsum Superiorem denuntiationem instituere velint.**

CAN. **1653.**

**§ 1. Ordinarii locorum possunt nomine ecclesiae cathedralis aut mensae episcopalis stare in iudicio; sed, ut licite agant, debent audire Capitulum cathedrale vel Consilium administrationis eorumve consensum vel consilium habere, quando periculo vertitur pecuniae summa pro**

**qua alienanda ad normam can.** 1532 **eorundem consensus vel consilium requiritur.**

§ 2. **Beneficiarii omnes nomine beneficii possunt in iudicio agere aut respondere; quod tamen ut licite faciant, servare debent praescriptum can.** 1526.

§ 3. **Praelati ac Superiores Capitulorum, sodalitatum et quorumlibet collegiorum stare in iudicio nequeunt, nomine suae cuiusque communitatis, sine eiusdem consensu ad normam statutorum.**

§ 4. **Adversus eos de quibus in §§** 1-3, **si sine praescripto consensu aut consilio in iudicio egerint, piae causae aut communitati ius est ad refectionem damnorum.**

§ 5. **In casu vero defectus vel negligentiae illius qui administratoris munere fungitur, potest ipse loci Ordinarius per se vel per alium stare in iudicio nomine personarum moralium quae sub eius iurisdictione sunt.**

§ 6. **Superiores religiosi nequeunt nomine suae communitatis stare in iudicio, nisi ad normam constitutionum.**

CAN. 1654.

**§ 1, Excommunicati s vitandis aut tolerati» post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam permittitur ut per se ipsi agant tantummodo ad impugnandum iustitiam aut legitimitatem ipsius excommunicationis; per procuratorem, ad aliud quodvis animae suae praeiudicium avertendum; in reliquis ab agendo repelluntur.**

§ 2. **Alii excommunicati generatim stare in iudicio queunt.**

CAPUT **II.**

***De procuratoribus ad lites et advocatis.***

CAN. 1655.

§ 1. **In iudicio criminali reus aut a se electum aut a iudice datum semper habere debet advocatum.**

§ 2. **Etiam in iudicio contentioso, si agatur de minoribus aut de iudicio in quo bonum publicum vertitur, iudex parti carenti defensorem ex officio attribuat, aut, si casus ferat, parti etiam habenti alium adiungat.**

§ 3. **Praeter hos casus pars libere potest advocatum et procuratorem constituere, sed potest quoque in iudicio per se ipsa agere et respondere, nisi iudex procuratoris vel advocati ministerium necessarium existimaverit.**

§ 4. **At Episcopus, si quando in causa est, aliquem constituat, qui eius personam, procuratorio nomine, gerat.**

CAN. 1656.

§ 1. **Unicum quisque potest eligere procuratorem, qui nequit alium sibimet substituere, nisi expressa facultas eidem facta fuerit.**

§ 2. **Quod si, iusta causa suadente, plures ab eodem deputentur, M ita constituantur, ut detur inter ipsos locus praeventioni.**

§ 3. **Advocati autem plures simul constitui queunt.**

I 4. **Utrumque munus, procuratoris et advocati, etiam in eadem causa et pro eodem cliente eadem persona exercere potest.**

CAN. 1657.

§ 1. **Procurator et advocatus esse debent catholici, aetate maiores, bonae famae; acatholicus non admittitur, nisi per exceptionem et ex necessitate.**

§ 2. **Advocatus debet praeterea esse doctor vel alioqui vere peritus, saltem in iure canonico.**

§ 3. **Religiosus admitti potest, nisi aliud in constitutionibus caveatur, in causis tantum in quibus vertitur utilitas suae religionis, de licentia tamen Superioris.**

CAN. 3658.

§ 1. **Quilibet pro lubitu a parte potest eligi et deputari procurator, dummodo secundum praecedentem canonem idoneus sit, quin opus sit ut Ordinarii approbatio antecesserit.**

§ 2. **Advocatus autem, ut ad patrocinium admittatur, indiget approbatione Ordinarii, quae aut generalis sit ad omnes causas aut specialis pro certa causa.**

§ 3. **In iudicio coram Sanctae Sedis delegato, ipsius delegati est approbare et admittere advocatum, quo pars uti se velle ostenderit.**

§ 4. **Procurator et advocatus, in causis quae ad normam can.** 1579, §§ 1, 2 **aguntur in religionis tribunali, eligendi sunt ex eadem religione et ante patrocinii susceptionem approbandi ab eo, qui partes iudicis in causa agit; in causis vero quae ad normam eiusdem canonis §** 3 **apud tribunal Ordinarii loci pertractantur, admitti potest etiam religioni extraneus.**

CAN. 1659.

§ 1. **Procurator ne prius a iudice admittatur quam speciale mandatum ad lites scriptum, etiam in calce ipsius citationis, mandantis subscriptione munitum, et locum, diem, mensem et annum referens, apud tribunal deposuerit.**

§ 2. **Quod si mandans scribere nesciat, hoc ipsum ex scriptura constet necesse est, et parochus vel notarius Curiae vel duo testes, loco mandantis, mandatum subsignent.**

CAN. 1660.

**Mandatum procurationis asservari debet in actis causae.**

CAN. 1661.

**Advocatus, ut causae patrocinium suscipiat, habeat necesse est a parte vel a iudice commissionem ad instar mandati procuratorii, de qua in actis constare debet.**

CAN. 1662.

**Nisi speciale mandatum habuerit, procurator non potest renuntiare actioni, instantiae vel actis iudicialibus, nec transigere, pacisci, compro-**

**mittere in arbitros, deferre aut referre iusiurandum, et generatim ea agere pro quibus ius requirit mandatum speciale.**

CAN. 1663,

**Tum procurator tum advocatus possunt a iudice, dato decreto, repelli sive ex officio sive ad instantiam partis, iusta tamen de causa.**

CAN. 1664.

§ 1. **Advocati et procuratores possunt ab eo a quo constituti sunt, removeri, salva obligatione solvendi honoraria ipsis debita; verum ut remotio effectum sortiatur, necesse est ut ipsis intimetur, et, si lis iam contestata fuerit, iudex et adversa pars certiores facti sint de remotione.**

**§ 2. Lata definitiva sententia, ius et officium appellandi, si mandans non renuat, procuratori manet.**

CAN. 1665.

§ 1. **Vetatur uterque emere litem, aut sibi de immodico emolumento vel rei litigiosae parte vindicata pacisci.**

**§ 2. Quae si fecerint, nulla est pactio, et a iudice vel ab Ordinario poterunt poena pecuniaria mulctari; advocatus praeterea tum ab officio suspendi, tum etiam, si recidivus sit, destitui et titulo privari.**

CAN. 1666.

**Advocati ac procuratores qui ob dona aut pollicitationes aut quamlibet aliam rationem suum officium prodiderint, ab officio repellantur, et, praeter damnorum refectionem, muleta pecuniaria aliisve congruis poenis plectantur.**

## TITULUS V.

### De actionibus et exceptionibus.

CAN. 1667.

**Quodlibet ius non solum actione munitur, nisi aliud expresse cautum sit, sed etiam exceptione, quae semper competit et est suapte natura perpetua.**

CAN. 1668.

§ 1. **Qui ad rem sibi vindicandam, seu ad ius suum in iudicio persequendum titulo agit iuris auctoritate subnixo, actione dimicat quae *petitoria* dicitur.**

**§ 2. Si vero rei possessionem vel iuris quasi-possessionem postulat,, eius actio *possessoria* vocatur.**

CAN. 1669.

§ 1. **Actor pluribus simul actionibus, quae tamen secum ipsae non confligant, sive de eadem re, sive de diversis, reum convenire potest, sì aditi tribunalis competentiam non egrediantur.**

**§ 2. Reus non prohibetur pluribus exceptionibus etiam contrariis uti***

CAN. 1670.

§ 1. **Actor potest una instantia cumulare actiones possessorias et petitorias, nisi spolii exceptio ex adverso opponatur.**

§ 2. **Pariter fas est reo convento in petitorio, actorem reconvenire in possessorio; et viceversa, nisi res sit de spolio.**

CAN. 1671.

§ 1. **Item fas est actori, antequam conclusum fuerit in causa, ab instituto iudicio petitorio regredi ad possessorium adipiscendae vel recuperandae.**

§ 2. **Imo ex iusta causa iudex etiam post conclusionem in causa, sed ante sententiam definitivam, hunc regressum permittere potest.**

§ 3. **Iudicis est, attentis partium allegationibus, aut utramque quaestionem unica sententia definire, aut prius uni, postea alteri satisfacere, prouti magis expedire ipsi videatur ad celeriorem et pleniorem iurium tuitionem.**

CAPUT I..

*De rei sequestratione et inhibitione exercitii iuris.*

CAN. 1672.

§ 1. **Qui ostenderit super aliqua re ab alio detenta ius se habere sibique damnum imminere nisi res ipsa custodienda- tradatur, ius habet obtinendi a iudice eiusdem rei sequestrationem.**

§ 2. **In similibus rerum adiunctis obtinere potest ut iuris exercitium alicui inhibeatur.**

§ 3. **Sequestratio rei et inhibitio exercitii iuris a iudice decerni potest ex officio, instante praesertim promotore iustitiae aut defensore vinculi, quoties bonum publicum id postulare videatur.**

CAN. 1673.

§ 1. **Ad crediti quoque securitatem sequestratio rei admittitur, dummodo de creditoris iure liquido constet et servata norma de qua in can.** 1923, § 1.

§ 2. **Sequestratio extenditur etiam ad res debitoris quae depositi causa aut quolibet alio titulo apud alias personas reperiantur.**

CAN. 1674.

**Sequestratio rei et suspensio exercitii iuris decerni nullatenus possunt, si damnum quod timetur, possit aliter reparari et idonea cautio de eo reparando offeratur.**

CAN. 1675.

§ 1. **Ad custodiam rei sequestrationi subiectae idonea persona, proponentibus partibus, a iudice designetur, quae sequester dicitur; si partes inter se dissentiant, iudex ex officio sequestrem deligat.**

**§ 2. Sequester in re custodienda, curanda et servanda non minorem diligentiam adhibere debet quam suis adhibet rebus, eamque postea, cui iudex decreverit, reddere tenetur cum omni causa.**

**§ 3. Iudex congruam decernat mercedem sequestri, si eam petat.**

## CAPUT II.

### *De actionibus ex novi operis nuntiatione et damno infecto.*

#### CAN. 1676.

**§ 1. Qui ex aliquo novo opere damnum timet suae rei obventurum, potest illud iudici nuntiare ut opus interrumpatur, donec utriusque partis iura, iudicis sententia, definiantur.**

**§ 2. Is cui intimata fuerit prohibitio, continuo ab opere cessare debet, sed, dummodo idonee caveat se in pristinum omnia restituturum si absoluto iudicio victus discesserit, poterit a iudice continuationem eiusdem impetrare.**

**§ 3. Nuntianti novum opus ad ius suum demonstrandum duo menses praefiniuntur; qui ex iusta et necessaria causa a iudice, audita altera parte, prorogari vel reduci poterunt.**

#### CAN. 1677.

**Si vetus opus magna ex parte immutetur, idem ius esto quod de novo opere can. 1676 constitutum est.**

#### CAN. 1678.

**Qui grave damnum rei suae imminere pertimescit ex alieno aedificio quod ruinam minatur, ex arbore aut ex alia re quacunque, actionem habet *de damno infecto* ad obtinendam periculi remotionem, aut cautionem de damno vel avertendo, vel compensando, si forte evenerit.**

## CAPUT III.

### *De actionibus ob nullitatem actorum.*

#### CAN. 1679.

**Si actus aut contractus sit ipso iure nullus, datur ei, cuius interest, actio ad obtinendam a iudice declarationem nullitatis.**

#### CAN. 1680.

**§ 1. Nullitas actus tunc tantum habetur, cum in eo deficiunt quae actum ipsum essentialiter constituunt, aut sollemnia seu conditiones desiderantur a sacris canonibus requisitae sub poena nullitatis.**

**§ 2. Nullitas alicuius actus non importat nullitatem actorum qui praecedunt aut subsequuntur et ab actu non dependent.**

#### CAN. 1681.

**Qui actum posuit nullitatis vitio infectum, tenetur de damnis et expensis erga partem-laesam.**

CAN. 1682.

**Nullitas actus a iudice declarari non potest ex officio, nisi aut publice id intersit, aut agatur de pauperibus vel de minoribus aliisve qui minorum iure censentur.**

CAN. 1688.

**Iudex inferior de confirmatione, a Romano Pontifice actui vel instrumento adiecta, videre non potest, nisi Apostolicae Sedis praecesserit mandatum.**

CAPUT **IV.**

***De actionibus rescissoriis et de restitutione in integrum.***

CAN. 1684.

§ 1. **Si quis motus metu gravi iniuste incusso, vel dolo circumventus actum posuerit vel contractum inierit qui ipso iure non sit nullus, poterit, metu vel dolo probato, obtinere actus vel contractus rescissionem actione quae vocatur *rescissoria.***

§ 2. **Eadem actione intra biennium uti potest, qui gravem ex contractu laesionem ultra dimidium ex errore passus est.**

CAN. 1685.

**Institui haec actio potest :**

**l.° Contra eum qui metum intulit aut dolum patravit, quamvis ipse non in suum, sed in alterius commodum talia peregerit;**

2.° **Contra quemlibet malae fidei et etiam bonae fidei possessorem, qui res metu vel dolo extortas possidet, salvo iure regressus contra quemlibet usque ad ipsum metus vel doli auctorem.**

CAN. 1686.

**Si is qui metum intulit aut dolum patravit, urgeat actus vel contractus exsecutionem, parti laesae seu deceptae competit exceptio metus vel doli.**

CAN. 1687.

§ 1. **Minoribus vel minorum iure fruentibus graviter laesis eorumque heredibus et successoribus, ad laesionem reparandam ex negotio seu actu valido rescindibili, praeter alia ordinaria remedia, suppetit remedium extraordinarium restitutionis in integrum.**

§ 2. **Hoc beneficium maioribus quoque conceditur quos deficit rescissoria actio aut aliud ordinarium remedium, dummodo iustam subesse causam et laesionem sibi imputandam non esse probaverint.**

CAN. 1688.

§ 1. **Restitutio.in integrum peti debet ab ordinario iudice, qui competens est respectu illius, contra quem petitur, intra quadriennium ab adepta maioritate computandum, si agatur de minoribus, a die laesionis factae et cessati impedimenti, si de maioribus aut personis moralibus.**

§ 2. **Minoribus vel minorum iure f mentii as restitutio concedi potest a iudice etiam ex officio, audito vel instante promotore iustitiae.**

CAN. 1689.

**Restitutio in integrum id efficit ut omnia revocentur in pristinum, idest restituantur in statum quo erant ante laesionem, salvis iuribus quae alii, bona fine, ante petitam restitutionem quaesiverint.**

CAPUT **V.**

***De mutuis petitionibus seu de actionibus reconventionalibus.***

CAN. 1690.

§ 1. **Actio quam reus coram eodem iudice in eodem iudicio instituit contra actorem ad submovendam vel minuendam eius petitionem, dicitur** ***reconventio.***

§ 2. **Reconventio reconventionis non admittitur.**

CAN. 1691.

**Actio reconventionalis locum habere potest in omnibus causis contentiosis, exceptis causis spolii; in criminalibus vero non admittitur, nisi ad normam can.** 2218, § 3.

CAN. 1692.

**Proponenda est iudici coram quo actio principalis instituta est, licet ad unam causam dumtaxat delegato vel alioquin incompetenti, nisi sit absolute incompetens.**

CAPUT VT.

***De actionibus seu remediis possessoriis.***

CAN. 1693.

**Qui ad possessionem alicuius rei adipiscendam, rei ad alicuius iuris exercitium obtinendum munitur titulo legitimo, petere potest, ut in rei possessionem vel iuris exercitium immittatur.**

CAN. 1694.

**Non solum possessio, sed etiam simplex detentio praestat, ad normam canonum qui sequuntur, actionem vel exceptionem possessoriam.**

CAN. .1695.

§ 1. **Qui annum integrum in possessione rei vel in quasi-possessione iuris manserit, si molestiam patiatur quominus suam possessionem vel quasi-possessionem retineat, habet actionem** ***retinendae possessionis.***

§ 2. **Haec actio non admittitur nisi intra annum ab illata molestia adversus molestiae auctorem ut a molestiis desistat.**

CAN. 1696.

§ 1. **Etiam qui vi, clam vel precario POSSIDET, actione *retinendae possessionis* uti potest adversus quemlibet deturbatorem : non autem contra personam a qua ipse rem vi vel clam surripuit aut precario accepit.**

**§ 2. In causis quae ad bonum publicum spectant, iustitiae promotori ius est opponendi vitium possessionis adversus eum qui vi, clam vel precario possidet.**

CAN. 1697.

§ 1. **Si inter duos controversia oriatur uter eorum possideat, ille in possessione praeferendus est qui intra annum frequentiores et potiores possessionis actus exercuit.**

**§ 2. In dubio iudex possessionem pro indiviso utrique parti attribuat.**

**§ 3. Si rei vel iuris indoles aut contentionum et rixarum periculum non patiantur ut litigantibus pro indiviso possessio interim attribuatur, iudex rem apud sequestrem deponi, aut iuris quasi-possessionem suspendi iubeat usque ad iudicii petitorii exitum.**

CAN. 1698.

§ 1. **Qui vi aut clam quoquo modo a possessione rei vel quasi-possessione iuris deiectus est, adversus quemlibet spolii auctorem vel rei detentorem habet actionem *recuperandae possessionis* vel de spolio et spolii exceptionem.**

**§ 2. Haec actio non admittitur praeterlapso anno postquam spolium passus rei notitiam habuit; exceptio, contra, perpetua est.**

CAN. 1699.

§ 1. **Spoliatus adversus spoliantem excipiens et probans spolium, non tenetur respondere, nisi prius fuerit in suam possessionem restitutus.**

**§ 2. Spoliatus ut in possessionem restituatur, nil aliud probare debet, nisi spoliationem ipsam.**

**§ 3. Sed si in restitutione rei vel exercitii iuris aliquod occurrat periculum (ex. gr., saevitiarum, cum vir contra uxorem postulat restitutionem coniugalis consortii), iudex, ad instantiam partis vel promotoris iustitiae, pro diversis personarum causarumve adiunctis decernat aut restitutionem suspendi, aut rem vel personam apud sequestrem custodiri, donec causa petitorio iudicio definiatur.**

CAN. 1700.

**Iudicia possessoria absolvenda sunt, citata dumtaxat adversa parte in iudiciis retinendae vel recuperandae; citatis vero omnibus iis quorum interest, in iudiciis adipiscendae.**

### CAPUT VII.
### *Dê exstinctione actionum.*

CAN. **1701.**

**In contentiosis actiones tum reales tum personales exstinguuntur praescriptione ad normam can. 1508-1512; actiones autem de statu personarum nunquam exstinguuntur.**

CAN. **1702.**

**Omnis criminalis actio perimitur morte rei, condonatione legitimae potestatis, et lapsu temporis utilis ad actionem criminalem proponendam.**

CAN. **1703.**

**Firmo praescripto can. 1555, § 1 de delictis Sacrae Congregationi S. Officii reservatis, tempus utile ad actionem criminalem proponendam est triennium, nisi agatur :**

**1.° De actione iniuriarum, quae uno anno perimitur;**

**2.° De actione ob delicta qualificata contra VI et VII divinum praeceptum, quae quinquennio perimitur;**

**3.° De actionibus ob simoniam vel homicidium, contra quae actio criminalis decennio perdurat.**

CAN. **1704.**

**Sublata per praescriptionem actione criminali :**

**1.° Non est hoc ipso sublata actio contentiosa, forte ex delicto orta, ad damna sarcienda;**

**2.° Ordinarius remediis can. 2222, § 2 statutis uti adhuc potest.**

CAN. **1705.**

**§ 1. Praescriptio in contentiosis currit ex quo actio primum potuit iure proponi; in criminalibus, a die patrati delicti.**

**§ 2. Si delictum habeat tractum, ut vocant, successivum, non currit praescriptio, nisi a die qua delicti tractus cessaverit.**

**§ 3. In delicto habituali vel continuato praescriptio non decurrit nisi post ultimum actum; et conventus ob aliquem criminosum actum non praescriptum, tenetur de antiquioribus, qui cum eodem actu connectuntur, etiamsi singulatim sumpti ob praescriptionem excluderentur.**

## TITULUS VI.
## De causae introductione.

### CAPUT I.
### *De libello litis introductorio.*

CAN. **1706.**

**Qui aliquem convenire vult, debet libellum competenti iudici exhibere, in quo controversiae obiectum proponatur, et ministerium iudicis ad deducta iura persequenda expostuletur.**

CAN. 1707.

§ 1. **Qui scribere nescit, aut legitime impeditur quominus libellum exhibeat, oretenus petitionem suam coram tribunali proponere potest.**

**§ 2. Item in causis facilioris investigationis et minoris momenti ac propterea cito expediendis, iudicis arbitrio relinquitur petitionis admissio oretenus sibi facta.**

**§ 3. In utroque tamen casu iudex notarium iubeat scriptis actum redigere qui actori legendus est et ab eo probandus.**

CAN. 1708.

**Libellus quo lis introducitur debet :**

1.° **Exprimere coram quo iudice causa introducatur, quid petatur, et a quo petatur;**

**2.° Indicare, generatim saltem, quo iure innitatur actor ad comprobanda ea quae allegantur et asseruntur ;**

**3.° Subscribi ab actore vel eius procuratore, appositis die, mense et anno, nec non loco in quo actor vel eius procurator habitant, aut residere se dixerint actorum recipiendorum gratia.**

CAN. 1709.

§ 1. **Iudex vel tribunal, postquam viderit et rem esse suae competentiae et actori legitimam personam esse standi in iudicio, debet quantocius libellum aut admittere aut reiicere, adiectis in hoc altero casu reiectionis causis.**

**§ 2. Si iudicis decreto libellus reiectus fuerit ob vitia quae emendari possunt, actor novum libellum rite confectum POTEST eidem iudici denuo exhibere; quod si iudex emendatum libellum reiecerit, novae reiectionis rationes exponere debet.**

**§ 3. Adversus libelli reiectionem integrum semper est parti intra tempus utile decem dierum recursum interponere ad superius tribunal : a quo, audita parte, et promotore iustitiae aut vinculi defensore, quaestio reiectionis expeditissime definienda est.**

CAN. 1710.

**Si iudex continuo mense ab exhibito libello decretum non ediderit quo libellum admittit vel reiicit ad normam can.** 1709, **pars cuius interest instare potest ut iudex suo munere fungatur; quod si nihilominus iudex sileat, lapsis quinque diebus a facta instantia, poterit recursum ad Ordinarium loci, si ipse iudex non sit, vel ad superius tribunal interponere ut vel iudex ad definiendam causam adigatur vel alius in eius locum subrogetur.**

CAPUT **II.**

## *De citatione et denuntiatione actorum iudicialium.*

CAN. 1711.

**§ 1. Libello vel orali petitione admissa, locus est vocationi in ius seu citationi alterius partis.**

§ 2. **Quod si partes litigantes sponte coram iudice se sistant ad causam agendam, opus non est citatione, sed actuarius significet in actis partes sponte sua iudicio adfuisse.**

CAN. 1712.

§ 1. **Citatio fit a iudice, et libello litis introductorio inscribitur aut adiungitur.**

§ 2. **Denuntiatur autem reo, et, si sint plures, singulis.**

§ 3. **Debet insuper actori nota fieri, ut statuta die et hora ipse quoque coram iudice se sistat.**

CAN. 1713.

**Si lis moveatur ei qui non habet liberam administrationem rerum, de quibus disceptatur, citatio denuntianda est ei qui ipsius nomine iudicium suscipere tenetur ad normam can.** 1648-1654.

CAN. 1714.

**Quaelibet citatio est peremptoria; nec iteretur necesse est, nisi in casu de quo in can.** 1845, § 2.

CAN. 1715.

§ 1. **Citatio denuntietur per schedam, quae praeceptum iudicis parti conventae factum ad comparendum exprimat, idest a quo iudice, ob quam causam saltem verbis generalibus indicatam, quo actore, reus, nomine et cognomine rite designatus, conveniatur; nec non locum, et tempus, idest annum, mensem, diem et horam ad comparendum praefixam perspicue indicet.**

§ 2. **Citatio, sigillo tribunalis munita, subscribenda est a iudice vel ab eius auditore et a notario.**

CAN. 1716.

**Citatio duplici scheda conficiatur, quarum altera remittatur reo convento, altera asservetur in actis.**

CAN. 1717.

§ 1. **Citationis scheda, si fieri poterit, per Curiae cursorem tradenda est ipsi convento ubicunque is invenitur.**

§ 2. **Ad hoc cursor etiam fines alterius dioecesis ingredi potest, si iudex id expedire censuerit et eidem cursori mandaverit.**

§ 3. **Si cursor personam conventam non invenerit in loco ubi commoratur, relinquere poterit citatoriam schedam alicui de eius familia aut famulatu, si hic eam recipere paratus sit ac spondeat se reo convento quamprimum schedam acceptam traditurum; sin minus eam ad iudicem referat, ut transmittatur ad normam can.** 1719, 1720.

CAN. 1718.

**Reus qui citatoriam schedam recipere recuset, legitime citatus habeatur.**

CAN. **1719.**

**Si ob distantiam vel aliam causam difficulter per cursorem tradi possit reo convento scheda citatoria, poterit iussu iudicis transmitti per tabellarios publicos, dummodo commendata et cum syngrapha receptionis, vel alio modo qui secundum locorum leges et conditiones tutissimus sit.**

CAN. **1720.**

**§ 1. Quoties, diligenti inquisitione peracta, adhuc ignoratur ubi commoretur reus, locus est citationi per edictum.**

**§ 2. Hoc autem fit affigendo per cursorem ad fores Curiae schedam citationis ad modum edicti per tempus prudenti iudicis arbitrio determinandum et in aliqua publica ephemeride eam inserendo; si vero utrumque fieri nequeat, alterutrum sufficiet.**

CAN. **1721.**

**§ 1. Cursor, cum in manu rei conventi citationis schedam relinquit, debet eam subsignare, adnotatis die et hora qua reo tradita est.**

**§ 2. Idem peragat si eam relinquat in manibus alicuius de familia aut famulatu rei conventi, addito insuper nomine personae cui schedam tradidit.**

**§ 3. Si citatio fiat per edictum, cursor in edicti calce signet qua die et hora edictum affixum ad fores Curiae fuerit et quandiu affixum manserit.**

**§ 4. Si reus receptionem schedae recuset, cursor schedam ipsam subsignatam, addita die et hora recusationis, iudici remittat.**

CAN. **1722.**

**§ 1. Cursor quae peregit ad iudicem referat in scriptis manu propria subsignatis, quae in actis serventur.**

**§ 2. Si per tabellariorum officium citatio transmittatur, asservetur in actis fides eiusdem officii.**

CAN. **1723.**

**Si scheda citatoria non referat quae in can. 1715 praescribuntur aut non fuerit legitime intimata, nullius momenti sunt tum citatio tum acta processus.**

CAN. **1724.**

**Regulae superius statutae pro rei citatione, ceteris quoque iudicii actibus, pro diversa tamen eorum natura, accommodandae et applicandae sunt, ut decretorum vel sententiarum denuntiationi aliisque huiusmodi.**

CAN. **1725.**

**Cum citatio legitime peracta fuerit aut partes sponte in iudicium venerint :**

**1.° Res desinit esse integra;**

**2.° Causa fit propria illius iudicis aut tribunalis, coram quo actio instituta est;**

**3.° In iudice delegato firma redditur iurisdictio ita ut non exspiret resoluto iure delegantis ;**

**4.° Interrumpitur praescriptio, nisi aliud cautum sit, ad normam can. 1508;**

**5.° Lis pendere incipit; et ideo statim locum habet principium : *dlite pendente, nihil innovetur ».***

## TITULUS VII.

## De litis contestatione.

CAN. **1726.**

**Obiectum seu materia iudicii constituitur ipsa litis contestatione, seu formali conventi contradictione petitioni actoris, facta animo litigandi coram iudice.**

CAN; **1727.**

**Ad litis contestationem nulla necessaria est sollemnitas, sed sufficit ut partibus coram iudice vel eius delegato comparentibus, in actis inseratur petitio actoris et contradictio conventi, unde constet qua de re agatur seu quinam sint controversiae termini.**

CAN. **1728.**

**In causis tamen implicatioribus, in quibus petitio actoris nec perspicua sit nec simplex vel contradictio conventi difficultatibus scateat, iudex, ex ofiicio aut ad instantiam actoris vel conventi, partes citet ad rite definiendos controversiae articulos, idest ad causae *dubia,* ut dicitur, *concordanda.***

CAN. **1729.**

**§ 1. Si die dubiis concordandis praestituta, pars in ius vocata non compareat nec iustam absentiae excusationem alleget, contumax declaretur, et dubiorum formula statuatur ex ofiicio, parte, quae praesens fuerit, id postulante. Parti autem contumaci statim id notum fiat êx ofiicio ut quas velit exceptiones contra dubiorum seu articulorum formulam possit proponere et a contumacia se purgare, intra tempus quod iudici congruum videatur.**

**§ 2. Partibus praesentibus et in formula dubiorum seu articulorum concordibus, si iudex, quod ad se attinet, nihil excipiendum putaverit, eius rei fiat mentio in decreto quo formula firmatur.**

**§ 3. Si vero partes dissentiant aut earum conclusiones iudici non probentur, iudex ipse controversiam dirimat decreto.**

**§ 4. Dubiorum seu articulorum formula semel statuta mutari non potest, nisi novo decreto, ex gravi causa, ad instantiam partis, vel promotoris iustitiae, vel defensoris vinculi, audita utraque vel altera parte eiusque rationibus perpensis.**

CAN. **1730.**

**Antequam litis contestatio locum habuerit, iudex ad testium aliarumve probationum receptionem ne procedat, nisi in casu contumaciae,**

**aut nisi testium depositionem recipere oporteat, ne ipsa ob probabilem testis mortem, ob discessum eiusdem vel ob aliam iustam causam recipi postea nequeat, aut difficulter possit.**

CAN. **1731.**

**Lite contestata :**

**1.° Haud licet actori libellum mutare, nisi, reo consentiente, iudex, iustis de causis, censeat mutationem esse admittendam, salva semper reo compensatione damnorum et expensarum, si quae debeatur. Libellus non censetur mutatus, si coarctetur aut mutetur probationis modus; si minuantur aut petitio aut accessoria petitionis; si facti adiuncta in libello pridem posita ita illustrentur, compleantur aut emendentur, ut controversiae obiectum idem remaneat; si in locum rei petatur pretium, foenus aut aliquid aequivalens;**

**2.° Iudex congruum tempus partibus praestituat probationibus proponendis et explendis; quod quidem poterit, instantibus partibus, arbitrio suo prorogare, dummodo ne lis, ultra quam aequum sit, protrahatur;**

**3.° Possessor rei alienae desinit esse bonae fidei; quapropter damnatus rem restituere, non solum rem ipsam, sed et rei fructus a litis contestatae tempore restituere tenetur et damna praeterea sarcire, si qua secuta fuerint.**

## TITULUS VIII.

### De litis instantia.

CAN. **1732.**

**Instantiae initium fit litis contestatione; finis autem omnibus modis, quibus iudicium terminatur, sed et antea non solum interrumpí, verum etiam finiri potest sive peremptione sive renuntiatione.**

CAN. **1733.**

**Si pars litigans moriatur aut statum mutet aut cesset ab officio cuius ratione agit :**

**1.° Causa nondum conclusa, instantia interrumpitur, donec heres defuncti aut successor litem instauret;**

**2.° Causa conclusa, instantia non interrumpitur, sed iudex procedere debet ad ulteriora, citato procuratore, si adsit, secus defuncti herede vel successore.**

CAN. **1734.**

**Si controvertatur cuinam ex clericis litigantibus ius sit ad beneficium, et alter, lite pendente, moriatur, aut beneficio renuntiet, instantia non interrumpitur, sed contra superstitem eam prosequitur promotor iustitiae qui pro beneficii aut ecclesiae libertate dimicet, nisi beneficium sit liberae collationis Ordinarii et hic praeferat causam ut victam superstiti adiudicare.**

CAN. 1735.

**Procuratore aut curatore a munere cessante, tandiu interrupta manet instantia, quandiu pars aut ii ad quos pertinet novum procuratorem vel curatorem nominaverint aut per se ipsi in posterum agere se velle professi fuerint.**

CAN. 1736.

**Si nullus actus processualis, quin aliquod obstet impedimentum, ponatur in tribunali primae instantiae per biennium aut in gradu appellationis per annum, instantia perimitur, et in altero casu sententia per appellationem oppugnata transit in rem iudicatam.**

CAN. 1737.

**Peremptio obtinet ipso iure et adversus omnes, minores quoque aliosve minoribus aequiparatos, eaque ex officio etiam excipi debet, salvo iure regressus ad indemnitatem adversus tutores, administratores, procuratores qui culpa se caruisse non probaverint.**

CAN. 1738.

**Peremptio exstinguit acta processus, non vero acta causae; imo haec vim habere possunt etiam in alia instantia, dummodo ea inter easdem personas et super eadem re intercedat; sed ad extraneos quod attinet, non aliam vim obtinent, nisi documentorum.**

CAN. 1739.

**In casu peremptionis, quas quisque ex litigatoribus fecerit, has ipse ferat expensas perempti iudicii.**

CAN. 1740.

§ 1. **In quolibet statu et gradu iudicii potest actor instantiae renuntiare; item tum actor tum reus possunt processus actis renuntiare sive omnibus sive nonnullis tantum.**

§ 2. **Renuntiatio ut valeat, peragenda est in scriptis, et a parte vel ab eius procuratore, speciali tamen mandato munito, debet subscribi, alteri parti communicari, ab eaque acceptari, vel saltem non impugnari, et a iudice admitti.**

CAN. 1741.

**Admissa, pro actis quibus renuntiatum est, eosdem parit effectus ac peremptio instantiae : et obligat renuntiantem ad solvendas expensas actorum, quibus renuntiatum fuit.**

## TITULUS IX.

### De INTERROGATIONIBUS PARTIBUS IN IUDICIO FACIENDIS.

CAN. 1742.

§ 1. **Iudex ad eruendam veritatem facti quod publice interest ut extra dubium ponatur, debet partes interrogare.**

§ 2. **In aliis casibus potest unum ex contendentibus interrogare non**

**solum ad instantiam alterius partis, sed etiam ex officio, quoties agitur de illustranda probatione adducta.**

**§ 3. Interrogatio partium fieri a iudice potest in quovis stadio iudicii ante conclusionem in causa; post conclusionem in causa servetur praescriptum can. 1861.**

CAN. **1743.**

**§ 1. Iudici legitime interroganti partes respondere tenentur et fateri veritatem, nisi agatur de delicto ab ipsis commisso.**

**§ 2. Si pars legitime interrogata respondere recuset, quanti facienda sit haec recusatio, utrum iusta sit, an confessioni aequiparanda, necne, iudicis est aestimare.**

**§ 3. Pars, quae respondere debet, si illegitime respondere recusaverit aut si postquam responderit mendax reperta fuerit, puniatur, ad tempus a iudice pro rerum adiunctis definiendum remotione ab actibus legitimis ecclesiasticis; et si ante responsionem iusiurandum de veritate dicenda praestiterit, laicus interdicto personali, clericus suspensione plectatur.**

CAN. **1744.**

**Iusiurandum de veritate dicenda in causis criminalibus nequit iudex accusato deferre; in contentiosis, quoties bonum publicum in causa est,, debet illud a partibus exigere; in aliis, potest pro sua prudentia.**

CAN. **1745.**

**§ 1. Tum actor tum reus invicem, tum etiam promotor iustitiae et defensor vinculi possunt iudici exhibere articulos, seu quaesita, super "quibus pars interrogetur, quaeque vulgo *positiones* dicuntur.**

**§ 2. In positionibus exarandis, admittendis et parti proponendis regulae cum proportione serventur quae in can. 1773-1781 statutae sunt.**

CAN. **1746.**

**Ad iusiurandum praestandum vel interrogationibus respondendum partes personaliter coram iudice se sistere debent, exceptis iis de quibus in can. 1770, § 2, nn. 3, 2.**

## TITULUS X.

## De probationibus.

CAN. **1747.**

**Non indigent probatione :**

**1.° Facta notoria, ad normam can. 2197;**

**2.° Quae ab ipsa lege praesumuntur;**

**3.° Facta ab uno ex contendentibus asserta et ab altero admissa,, nisi a iure vel a iudice probatio nihilominus exigatur.**

CAN. **1748.**

**§ 1. Onus probandi incumbit ei qui asserit.**

**§ 2. Actore non probante, reus absolvitur.**

CAN. **1749.**

**Probationes quae ad moras iudicio nectendas postulari videntur, ceu examen testis longe dissiti, aut cuius domicilium nescitur, vel cognitio «documenti quod cito haberi non potest, iudex ne admittat, nisi hae probationes necessariae videantur quia ceterae deficiant aut satis non sint.**

CAPUT **I.**

***De confessione partium.***

CAN. **1750.**

**Assertio de aliquo facto, in scriptis aut oretenus ab una parte contra «e et pro adversario coram iudice, sive sponte, sive iudice interrogante peracta, dicitur confessio iudicialis.**

CAN. **1751.**

**Si agatur de negotio aliquo privato et in causa non sit bonum publicum, confessio iudicialis unius partis, dummodo libere et considerate facta, relevat alteram ab onere probandi.**

CAN. **1752.**

**Pars, aliquid confessa in iudicio, non potest contra confessionem suam venire, nisi aut in continenti hoc faciat, aut probet confessionem ipsam vel carere conditionibus in can. 1750 expressis vel errori facti esse adscribendam.**

CAN. **1753.**

**Confessio sive scriptis, sive oretenus, ipsimet adversario aut aliis •extra iudicium facta, dicitur extraiudicialis : eaque in iudicium deducta, iudicis est, perpensis omnibus rerum adiunctis, aestimare quanti facienda sit.**

CAPUT **II.**

***De testibus et attestationibus.***

CAN. **1754.**

**Probatio per testes in quibuslibet causis admittitur, sub iudicis tamen moderatione, secundum modum praefinitum in canonibus qui sequuntur.**

CAN. **1755.**

**§ 1. Testes iudici legitime interroganti respondere et veritatem fateri debent. . &**

**§ 2. Salvo praescripto can. 1757, § 3, n. 2, ab hac obligatione eximuntur :**

**1.° Parochi aliique sacerdotes quod attinet ad ea quae ipsis manifestata sunt ratione sacri ministerii extra sacramentalem confessionem; -civitatum magistratus, medici, obstetrices, advocati, notarii aliique qui**

**ad secretum officii etiam ratione praestiti consilii tenentur, quod attinet ad negotia huic secreto obnoxia;**

**2.° Qui ex testificatione sua sibi vel consanguineis vel affinibus in quolibet gradu lineae rectae et in primo gradu lineae collateralis, infamiam, periculosas vexationes, aliave mala valde gravia obventura timent.**

§ 3. **Testes iudici legitime interroganti scienter falsum affirmantes aut verum occultantes puniantur ad normam can.** 1743, § 3; **eademque poena mulctentur omnes, qui testem vel peritum donis, pollicitationibus aut alio quovis modo inducere praesumpserint ad falsum testimonium dicendum aut ad veritatem occultandam.**

ARTM. — ***Qui testes esse possint.***

CAN. 1756.

**Omnes possunt esse testes, nisi expresse a iure repellantur vel in totum vel ex parte.**

CAN. 1757.

**§ 1. Ut non idonei repelluntur a testimonio ferendo impuberes et mente debiles.**

**§ 2. Ut suspecti :**

1.° **Excommunicati, periurii, infames, post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam;**

**2.° Qui ita abiectis sunt moribus ut fide digni non habeantur;**

3.° **Publici gravesque partis inimici.**

§ 3. **Ut incapaces :**

1.° **Qui partes sunt in causa, aut partium vice funguntur, veluti tutor in causa pupilli, Superior aut administrator in causa suae communitatis aut piae causae, cuius nomine in iudicio consistit, iudex eiusve assistentes, advocatus aliique qui partibus in eadem causa assistunt vel astiterunt;**

**2.° Sacerdotes, quod attinet ad ea omnia quae ipsis ex confessione sacramentali innotuerunt, etsi a vinculo sigilli soluti sint; imo audita a quovis et quoquo modo occasione confessionis ne ut indicium quidem veritatis recipi possunt;**

3.° **Coniux in causa sui coniugis, consanguineus et affinis in causa consanguinei vel affinis, in quolibet gradu lineae rectae et in primo gradu collateralis, nisi agatur de causis quae ad statum civilem aut religiosum personae spectant, cuius notitia aliunde haberi nequeat, et bonum publicum exigat ut habeatur.**

CAN. 1758.

**Non idonei et suspecti audiri poterunt ex decreto iudicis, quo id expedire declaretur; sed eorum testimonium valebit tantummodo ut indicium et probationis adminiculum, et generatim iniurati audiantur.**

ART. II. — *A quibus, quomodo, et quot testes induci et qui excludi possint.*

CAN. **1759.**

**§ 1. Testes a partibus inducuntur.**

**§ 2. Possunt quoque induci a promotore iustitiae et defensore vinculi, si id ad causam intersit.**

**§ 3. Sed ipse iudex, quoties agatur de minoribus aliisve qui minoribus aequiparantur, et generatim quoties publicum bonum id exigat, potest testes ex ofiicio inducere.**

**§ 4. Pars, quae testem induxit, potest eius examini renunciare; sed adversarius postulare potest ut, hac non obstante renuntiatione, testis examini subiiciatur.**

CAN. **1760.**

**§ 1. Si quis sponte compareat testimonii reddendi gratia, iudex poterit eius testimonium admittere vel repellere prout expedire censuerit.**

**§ 2. Debet autem testem, qui se sponte obtulerit, repellere cum comparere sibi videatur moras iudicio nectendi causa vel iustitiae et veritati quoquo modo oificiendi.**

CAN. **1761.**

**§ 1. Cum probatio per testes postulatur, eorum nomina et domicilium tribunali indicentur; praeterea exhibeantur positiones seu articuli argumentorum super quibus testes sint interrogandi.**

**§ 2. Si ne intra diem quidem peremptorium a iudice praestitutum, obtemperatum fuerit, postulatio deserta censetur.**

CAN. **1762.**

**Iudici ius et obligatio est nimiam multitudinem testium refrenandi.**

CAN. **1763.**

**Partes debent sibi invicem nota facere testium nomina antequam eorum examen inchoetur, aut, si id, prudenti iudicis existimatione, fieri sine gravi, difficultate nequeat, saltem ante testificationum publicationem.**

CAN. **1764.**

**§ 1. Testes debent ex ofiicio excludi, si iudici liquido constet eos a testimonio ferendo prohiberi, salvo praescripto can. 1758.**

**§ 2. Ast etiam, postulante adversario, testes excludendi sunt, si iusta exclusionis causa demonstretur, quae exclusio dicitur *reprobatio personae testis.***

**§ 3. Pars nequit reprobare personam testis quem ipsa induxit, nisi nova reprobationis causa supervenerit, quamvis possit eius dicta reprobare.**

**§ 4. Reprobatio testis fieri debet intra triduum postquam testium nomina cum parte communicata fuerunt, nec postea facta admittatur,**

**nisi a parte demonstretur vel saltem iuramento affirmetur defectum testis antea sibi notum non fuisse.**

§ 5. **Iudex autem reprobationis discussionem in finem litis reservet, nisi contra testem stet praesumptio iuris, aut defectus sit notorius vel statim ac facile probari possit vel postea probari nequeat.**

CAN. 1765.

**Citatio testium fit ministerio iudicis, decreto interveniente, et intimanda est testibus ad normam can.** 1715-1723.

CAN. 1766.

§ 1. **Testis rite citatus parere debet aut causam suae absentiae iudici notam facere.**

§ 2. **Testis inobediens, qui nempe sine legitima causa non comparuit, aut, etsi comparuit, renuit respondere vel iusiurandum praestare vel attestationi subscribere, a iudice potest congruis poenis coerceri et insuper mulctari pro rata damni quod ex eius inobedientia partibus obveniat.**

## ART. III. — *De iureiurando testium.*

CAN. 1767.

§ 1. **Testis, antequam testimonium edat, iusiurandum praestare debet de tota ac sola veritate dicenda, salvo praescripto can.** 1758.

§ 2. **Partes earumve procuratores praestationi iurisiurandi testium assistere possunt, salvo praescripto can.** 1763.

§ 3. **Testibus, si de iure partium mere privato agatur, poterit iusiurandum, utraque parte consentiente, remitti.**

**§ 4. Sed etiam cum iusiurandum a teste non exigitur, iudex testem commonefaciat gravis obligationis, qua semper tenetur, veritatem dicendi.**

CAN. 1768.

**Testes, tametsi iusiurandum praestiterint de veritate dicenda, poterunt nihilominus pro prudenti iudicis arbitrio, absoluto examine, adigi ad iusiurandum de *veritate dictorum* sive circa omnes positionum articulos sive circa aliquos tantum, quoties gravitas negotii et editae testificationis adiuncta id postulare videantur.**

CAN. 1769.

**Testes adigi etiam iureiurando possunt ad secretum servandum circa propositas interrogationes dataque interrogationibus responsa, usque dum acta et allegata publici iuris fiant; imo etiam perpetuo ad normam can.** 1623, § 3.

## ART. IV. — *De testium examine.*

CAN. 1770.

§ 1. **Testes sunt examini subiiciendi in ipsa tribunalis sede.**

§ 2. **Ab hac generali regula excipiuntur :**

1.° **S. R. E. Cardinales, Episcopi et personae illustres quae suae civitatis iure eximuntur ab obligatione comparendi coram iudice testifi-**

**candi causa : ii omnes eligere ipsi possunt locum ubi testificentur, de quo iudicem certiorem facere debent;**

**2.° Qui morbo aliove corporis vel animi impedimento aut conditione vitae, uti moniales, tribunalis sedem adire nequeunt; ii domi audiendi sunt;**

**3.° Qui extra dioecesim degentes, in dioecesim reverti et ad tribunalis sedem accedere sine gravi incommodo nequeunt; ii audiendi sunt a tribunali loci in quo commorantur ad normam can. 1570, § 2, secundum interrogationes et instructiones a causae iudice transmissas;**

**4.° Qui in dioecesi quidem commorantur, sed in locis ita dissitis a tribunalis sede, ut sine gravibus impensis neque ipsi iudicem adire, neque a iudice adiri possint. Hoc in casu iudex debet propiorem aliquem sacerdotem dignum et idoneum deputare, ut cum assistentia alicuius, qui actuarii munere fungatur, examen horum testium perficiat, transmissis pariter eidem interrogationibus faciendis, datisque opportunis instructionibus.**

CAN. **1771.**

**Examini testium partes assistere nequeunt, nisi iudex eas admittendas censuerit.**

CAN. **1772.**

**§ 1. Testes seorsim singuli examinandi sunt.**

**§ 2. Prudenti tamen iudicis arbitrio relinquitur post edita testimonia testes inter se aut cum parte conferre, seu, vulgo, *confrontare.***

**§ 3. Id autem fieri poterit si haec omnia simul concurrant, scilicet :**

**1.° Si testes inter se aut cum parte in re gravi et causae substantiam attingente dissentiant;**

**2.° Si nulla alia facilior ad veritatem detegendam suppetat via;**

**3.° Si scandali vel dissidiorum periculum non sit ex collatione pertimescendum.**

CAN. **1773.**

**§ 1. Examen fit a iudice, vel ab eius delegato aut auditore, cui assistat oportet notarius.**

**§ 2. In examine interrogationes non ab alio quam a iudice vel ab eo qui iudicis locum tenet, testibus deferendae sunt. Quapropter si partes, vel promotor iustitiae, vel defensor vinculi examini intersint et novas interrogationes testi faciendas habeant, has non testi, sed iudici vel eius locum tenenti proponere debent, ut eas ipse deferat.**

CAN. **1774.**

**Testis primo interrogari debet non modo de generalibus personae adiunctis, hoc est, de nomine, cognomine, origine, aetate, religione, conditione, domicilio, sed etiam quae ipsi cum partibus in causa sit necessitudo; deinde deferendae sunt interrogationes quae causam ipsam respiciunt et suscitandum unde et quomodo ea quae asserit, habeat cognita.**

CAN. **1775.**

**Interrogationes breves sunto, non plura simul complectentes, non captiosae, non subdolae, non suggerentes responsionem, remotae a cuiusvis offensione et pertinentes ad causam quae agitur.**

CAN. **1776.**

**§ 1. Interrogationes non sunt cum testibus antea communicandae.**

**§ 2. Attamen si ea quae testificanda sunt ita a memoria sint remota, ut nisi prius recolantur, certo affirmari nequeant, poterit iudex nonnulla testem praemonere, si id sine periculo fieri posse censeat.**

CAN. **1777.**

**Testes oretenus testimonium dicant, et scriptum ne legant, nisi de calculo et rationibus agatur; tunc enim adnotationes, quas secum attulerunt, poterunt consulere.**

CAN. **1778.**

**Responsio ex continenti redigenda est scripto ab actuario non solum quod attinet ad substantiam, sed etiam ad ipsa editi testimonii verba, nisi iudex, attenta causae exiguitate, satis habeat unam depositionis substantiam referri.**

CAN. **1779.**

**Actuarius in actis mentionem faciat de praestito, remisso aut recusato iureiurando, de partium aliorumque praesentia, de interrogationibus ex officio additis et generatim de omnibus memoria dignis quae forte acciderint, cum testes excutiebantur.**

CAN. **1780.**

**§ 1. Testi, antequam ab auditorio discedat, debent legi quae actuarius de iis quae ipse viva voce testatus est, scripto redegit, data eidem testi facultate addendi, supprimendi, corrigendi, variandi.**

**§ 2. Denique actui subscribere debent testis, iudex et notarius.**

CAN. **1781.**

**Testes, quamvis iam excussi, poterunt, parte postulante aut ex officio, antequam acta seu testificationes publici iuris fiant, denuo ad examen vocari, si iudex id necessarium vel utile ducat, dummodo tamen omnis collusionis vel corruptelae absit periculum.**

ART. V. — ***De testimoniorum evulgatione eorumque reprobatione.***

CAN. **1782.**

**§ 1. Cum partes aut earum procuratores examini non interfuerunt, testimonia statim post absolutum omnium testium examen poterunt, decreto iudicis, evulgari.**

**§ 2. Sed poterit iudex differre testimoniorum evulgationem in tempus quo cetera probationum capitula fuerint absoluta, si id e re existimet.**

CAN. 1783.

**Post testificationum evulgationem :**

**l.° Oessat facultas reprobandi testis personam, excepto casu de quo in can.** 1764, § 4;

2.° **Sed est ius reprobandi testes sive quod attinet ad modum examinis, cum scilicet obiiciuntur regulae iuris in examine peragendo neglectae, sive quod attinet ad testificationes ipsas, cum nempe testimonia impugnantur de falso aut de variatione, contradictione, obscuritate, defectu scientiae et similibus.**

CAN. 1784.

**Eeprobationem iudex decreto suo reiiciat, si eam futili inniti fundamento aut ad retardandum iudicium factam animadvertat.**

CAN. 1785.

**Si iudicium reprobationis admittatur, iudex brevem terminum parti postulanti praestituat ad probandam reprobationem, et deinde procedat uti in aliis incidentibus causis.**

CAN. 1786.

**Post evulgatas testificationes, testes iam auditi denuo super iisdem articulis ne interrogentur, neque novi testes admittantur, nisi caute et ex gravi ratione in causis quae nunquam transeunt in rem iudicatam; ex gravissima ratione in ceteris; et in quolibet casu omni fraudis et subornationis periculo remoto, altera parte audita, et requisito voto promotoris iustitiae vel defensoris vinculi, si hi iudicio intersint; quae omnia iudex decreto suo definiat.**

ART. VI. — *De indemnitate testium.*

CAN. 1787.

§ 1. **Testis ius habet ad petendam compensationem impensarum, quas sustinuerit ratione itineris et commorationis in loco iudicii, et ad congruam indemnitatem pro interruptione sui negotii vel operis.**

§ 2. **Iudicis est, auditis parte ac teste, et, si opus sit, etiam peritis, taxare indemnitatem et impensas testi solvendas.**

CAN. 1788.

**Si intra peremptorium terminum a iudice praestitutum congrua pecuniae quantitas de qua in can.** 1909, § 2, **ab eo qui testes inducere vult deposita non sit, is testium examini renuntiasse censeatur.**

ART. VII. — *De testimoniorum fide.*

CAN. 1789.

**In aestimandis testimoniis iudex prae oculis habeat:**

1.° **Quae conditio sit personae, quaeve honestas et an aliqua dignitate testis praefulgeat;**

**2.° Utrum de scientia propria, praesertim de visu et auditu proprio testificetur, an de credulitate, de fama, aut de auditu ab aliis;**

**3.° Utrum testis constans sit et firmiter sibi cohaereat; an varius, incertus, vel vacillans;**

**4.° Denique utrum testimonii contestes habeat, an sit singularis.**

CAN. **1790.**

**Si testes inter se discrepent, iudex perpendat utrum edita ab eis testimonia sibi invicem adversentur, an sint dumtaxat diversa vel adminiculativa.**

CAN. **1791.**

**§ 1. Unius testis depositio plenam fidem non facit, nisi sit testis qualificatus qui deponat de rebus ex officio gestis.**

**§ 2. Si sub iuramenti fide duae vel tres personae, omni exceptione maiores, sibi firmiter cohaerentes, de aliqua re vel facto in iudicio testificentur de scientia propria, sufficiens probatio habetur; nisi in aliqua causa iudex ob maximam negotii gravitatem, vel ob indicia quae aliquod dubium de veritate rei assertae ingerunt, necessariam censeat pleniorem probationem.**

## CAPUT **III.**

## ***De peritis.***

CAN. **1792,**

**Peritorum opera utendum est quoties ex iuris vel iudicis praescripto eorum examen et votum requiritur ad factum aliquod comprobandum vel ad veram alicuius rei naturam dignoscendam.**

CAN. **1793.**

**§ 1. Iudicis est peritos eligere vel designare.**

**§ 2. Hanc designationem in causis mere privatis iudex facere potest rogatu utriusque partis vel etiam alterutrius, altera tamen consentiente; in causis vero bonum publicum respicientibus, audito promotore iustitiae aut vinculi defensore.**

**§ 3. Prudenti iudicis arbitrio relinquitur unum pluresve peritos eligere pro causae natura et rei difficultate, nisi lex ipsa numerum peritorum praefiniat.**

CAN. **1794.**

**Peritorum est peritiam suam ad veritatis et iustitiae leges exigere, neque falsum affirmando neque verum occultando; in quo si deliquerint, puniantur ad normam can. 1743, § 3.**

CAN. **1795.**

**§ 1. Ad periti munus, ceteris paribus, deligantur, qui competentis magistratus auctoritate idonei fuerint comprobati.**

§ 2. **Qui a testimonio ferendo excluduntur ad normam can.** 1757, **ne ad peritorum quidem officium assumi possunt.**

CAN. 1796.

§ 1. **Easdem ob causas quibus testes, possunt et periti recusari.**

§ 2. **Iudex suo decreto edicat utrum sit admittenda recusatio, necne, et, recusatione admissa, in locum periti recusati alium sufficiat.**

CAN. 1797.

§ 1. **Periti demandatum munus suscipere censentur praestatione iurisiurandi de munere fideliter implendo.**

§ 2. **Partes non solum interesse possunt iurisiurandi praestationi, sed etiam exsecutioni muneris perito demandati, nisi aliud rei natura vel honestas exigat aut lex vel iudex statuat.**

CAN. 1798.

**Post iusiurandum praestitum, si periti intra praefinitum tempus mandato non paruerint aut sine iusta causa exsecutionem defugiant, tenentur damnorum.**

CAN. 1799.

§ 1. **Iudex, attentis iis quae a litigantibus forte deducantur, omnia et singula capita decreto suo definiat circa quae periti opera versari debeat.**

§ 2. **Tempus intra quod examen perficiendum est et votum proferendum, si necessarium vel opportunum iudici videatur, potest ab ipso iudice praefiniri et etiam, auditis partibus, prorogari.**

CAN. 1800.

§ 1. **Si dubitetur quis scriptum aliquod exaraverit, iudex praeter scripturam quaestioni obnoxiam assignet peritis, proponentibus partibus, scripturas cum quibus illa comparari et conf erri debeat.**

§ 2. **Si de scripturis, quae sint inter se comparandae, partes dissentiant, iudex seligat, comparationis gratia, eas, quas pars ipsa alias recognovit, aut quas qui accusatur auctor scripturae controversae, scripsit ut persona publica et in archivis aut alio publico tabulario custodiuntur; aut eius subscriptiones quas ex fide notarii vel personae publicae constet coram ipsis fuisse exaratas.**

**§ 3. Quod si scripturae a partibus et a iudice pro comparatione designatae, peritorum iudicio, investigationi non sufficiant, et is cui scriptura controversa tribuitur, in vivis sit, iudex ad instantiam partis aut etiam ex officio eum citet, ut manu propria coram iudice vel eius delegato scribat quidquid periti, iudex ipse, eiusve delegatus dictaturi sint.**

**§ 4. Recusatio scribendi, non probata legitima recusationis causa, habetur ut confessio genuinitatis scripturae controversae in praeiudicium recúsanos.**

CAN. **1801.**

**§ 1. Periti votum suum vel in scriptis proferre possunt, vel oretenus coram indice; sed si ore proferatur, statim in scriptis redigi debet a notario et a peritis subscribi.**

**§ 2. Peritus autem, praesertim si sententiam suam in scriptis protulerit, accersiri potest a iudice ut explicationes, quae ulterius necessariae videantur, suppeditet.**

**§ 3. Periti debent indicare perspicue qua via et ratione processerint in explendo munere sibi demandato et quibus potissimum argumentis sententia ab ipsis prolata nitatur.**

CAN. **1802.**

**Periti suam quisque relationem a ceteris distinctam conficiant, nisi, lege non contradicente, iudex unam a singulis subscribendam fieri iubeat; quod si fiat, sententiarum discrimina, si qua fuerint, diligenter adnotentur.**

CAN. **1803.**

**§ 1. Si periti inter se discrepent., licet iudici aut peritioris suffragium super relatis a primis peritis exquirere aut novos de integro peritos adhibere.**

**§ 2. Eadem facultas iudici est quoties periti post electionem in suspicionem inciderint vel impares atque non idonei muneri perspecti fuerint.**

CAN. **1804.**

**§ 1. Iudex non peritorum tantum conclusiones, etsi concordes, sed cetera quoque causae adiuncta attente perpendat.**

**§ 2. Cum reddit rationes decidendi, exprimere debet quibus motus argumentis peritorum conclusiones aut admiserit aut reiecerit.**

CAN. **1805.**

**Peritorum expensas et honoraria iudex, receptam uniuscuiusque loci consuetudinem prae oculis habens, ex bono et aequo taxare debet, salvo iure recursus ad normam can. 1913, § 1.**

## CAPUT **IV.**

## *De accessu et recognitione iudiciali.*

CAN. **1806.**

**Si ad controversiae locum iudex accedere atque ipsam rem controversam inspicere necessarium existimet, decreto id praestituat, quo ea quae in accessu praestanda sint, auditis partibus, summatim describat.**

CAN. **1807.**

**Iudex recognitionem peragere potest vel ipse per se vel per auditorem aut iudicem delegatum.**

CAN. **1808.**

**§ 1. Iudex, rem vel locum recognoscens, peritos adhibere potest, si ipsorum opera necessaria vel utilis videatur.**

**§ 2. Si periti adhibeantur, serventur, quantum fieri potest, quae praescripta sunt can. 1793-1805.**

CAN. **1809.**

**Si iurgii vel perturbationis periculum pertimescendum iudici videatur, poterit ipse prohibere ne partes vel earum advocati iudiciali recognitioni intersint.**

CAN. **1810.**

**Iudex testes, vel ex ofiicio accitos vel a partibus ante recognitionem rite productos, potest in ipso iudiciali accessu examini subiicere, si id expedire videatur ad pleniorem probationem aut ad removenda dubia ob quae recognitio decerni debuit.**

CAN. **1811.**

**§ 1. Notarius diligenter curet ut constet ex actis qua die et hora recognitio facta sit, quae personae interfuerint, quae, recognitione durante, aut dicta aut peracta aut a iudice decreta sint.**

**§ 2. Peractae recognitionis instrumenta tum iudex tum notarius subscribant.**

## CAPUT V.

## *De probatione per instrumenta.*

### ART. I. — *De natura et fide instrumentorum.*

CAN. **1812.**

**In quolibet iudicii genere admittitur probatio per documenta tum publica tum privata.**

CAN. **1813.**

**§ 1. Praecipua documenta publica ecclesiastica haec sunt :**

**1.° Acta Summi Pontificis et Curiae Romanae et Ordinariorum in exercitio suorum munerum authentica forma exarata, itemque attestationes authenticae de iisdem actibus datae ab illis vel eorum notariis;**

**2.° Instrumenta a notariis ecclesiasticis confecta;**

**3.° Acta iudicialia ecclesiastica;**

**4.° Inscriptiones baptismi, confirmationis, ordinationis, professionis religiosae, matrimonii, mortis, quae habentur in regestis Curiae vel paroeciae, vel religionis, et attestationes scriptae ex iisdem desumptae et a parochis, vel Ordinariis, vel notariis ecclesiasticis confectae aut earum exemplaria authentica.**

**§ 2. Documenta publica civilia ea sunt quae secundum uniuscuiusque loci leges talia iure censentur.**

**§ 3. Litterae, contractus, testamenta et scripta quaelibet a privatis confecta, privatorum documentorum numero habentur.**

CAN. **1814.**

**Documenta publica sive ecclesiastica sive civilia genuina praesumuntur, donec contrarium evidentibus argumentis evincatur.**

CAN. **1815.**

**Recognitio aut impugnatio scripturae proponi potest in iudicio tum incidenter, tum ad instar causae principalis.**

CAN. **1816.**

**Documenta publica fidem faciunt de iis quae directe et principaliter in eisdem affirmantur.**

CAN. **1817.**

**Documentum privatum;, sive agnitum a parte sive recognitum a iudice, probat adversus auctorem vel subscriptorem et causam ab eis habentes, perinde ac confessio extra iudicium facta; sed per se non habet vim probandi adversus extraneos.**

CAN. **1818.**

**Si abrasa, correcta, interpolata aliove vitio documenta infecta demonstrentur, iudicis est aestimare an et quanti huiusmodi documenta facienda sint.**

ART. IL — *De productione documentorum et actione ad exhibendum.*

CAN. **1819.**

**Documenta vim probandi in iudicio non habent, nisi originalia sint aut in exemplari authentico exhibita et penes tribunalis cancellariam deposita, exceptis documentis quae publici iuris sunt, ceu leges rite promulgatae.**

CAN. **1820.**

**Documenta in forma authentica sunt exhibenda et in iudicio deponenda, ut a iudice et ab adversario examinari possint.**

CAN. **1821.**

**§ 1. Si dubium excitetur utrum fideliter exscriptum sit exemplar, an non, iudex ad instantiam partis vel etiam ex officio decernere potest, ut ipsum documentum exhibeatur, unde exemplar est desumptum.**

**§ 2. Si id fieri aut minime aut valde difficulter possit, iudex potest auditorem delegare aut loci Ordinarium rogare pro examine et collatione documenti, praescribens quibus de articulis et quemadmodum fieri debeat collatio; collationi vero utraque pars assistere potest.**

CAN. **1822.**

**Documenta communia quaeve de communi agunt negotio, ut testamenta et instrumenta quae respiciunt successiones, bonorum partitiones,**

**contractus aliaque huiusmodi de quibus lis est inter partes, quilibet ex litigantibus potest postulare ut in iure exhibeantur ab ea parte quae illa possidere dicitur.**

CAN. **1823.**

**§ 1. Nemo tamen exhibere tenetur documenta, etsi communia, quae communicari nequeunt sine periculo damni ad normam can. 1755, § 2, n. 2 aut sine periculo violationis secreti servandi.**

**§ 2. Attamen si qua saltem documenti particula, quam produci intersit, describi possit, et in exemplari exhiberi sine memoratis incommodis, iudex decernere potest ut eadem exhibeatur.**

CAN. **1824.**

**§ 1. Si pars exhibere recuset documentum de iure producendum, quod ipsa fertur possidere, iudex, altera parte postulante, auditoque; si opus sit, promotore iustitiae vel vinculi defensore, interlocutoria sententia statuat, an et quomodo eiusdem documenti exhibitio facienda sit.**

**§ 2. Parte parere recusante, iudicis est aestimare quanti haec recusatio facienda sit.**

**§ 3. Quod si pars documentum apud se esse neget, iudex poterit eam examini subiicere et ad iusiurandum de ea re praestandum adigere.**

CAPUT **VI.**

***De praesumptionibus.***

CAN. **1825.**

**§ 1, Praesumptio est rei incertae probabilis coniectura; eaque alia est iuris, quae ab ipsa lege statuitur; alia hominis, quae a iudice coniicitur.**

**§ 2. Praesumptio iuris alia est iuris simpliciter, alia iuris et de iure.**

CAN. **1826.**

**Contra praesumptionem iuris simpliciter admittitur probatio tum directa tum indirecta; contra praesumptionem iuris et de iure, tantum indirecta, hoc est contra factum quod est praesumptionis fundamentum.**

CAN. **1827.**

**Qui habet pro se iuris praesumptionem, liberatur ab onere probandi, quod recidit in partem adversam; qua non probante, sententia ferri debet in favorem partis pro qua stat praesumptio.**

CAN. **1828.**

**Praesumptiones, quae non statuuntur a iure, iudex ne coniiciat, nisi ex facto certo et determinato, quod cum eo, de quo controversia est, directe cohaereat.**

CAPUT **VII.**

## *De iureiurando partium.*

CAN. 1829.

**Si habeatur semiplena tantum probatio nec alia probationis adiumenta iam supersint et iudex aut iubeat aut admittat iusiurandum ad probationes supplendas, hoc iusiurandum dicitur *suppletorium.***

CAN. 1830.

§ 1. **Huic iuriiurando vel maxime locus est cum adiuncta, quae civilem vel religiosum personae statum respiciunt, aliter comperiri nequeunt.**

§ 2. **Sed eodem abstineat iudex tum in causis criminalibus, tum in contentiosis, si de iure vel re magni pretii agatur aut de facto nimii momenti, aut si ius, res, factum non sit proprium personae cui iusiurandum esset deferendum.**

§ 3. **Deferri autem hoc iusiurandum potest sive ex officio, sive ad instantiam alterius partis, vel promotoris iustitiae, vel defensoris vinculi, si iudicio intersint.**

§ 4. **Regulariter deferatur ei qui pleniores habet probationes.**

**§ 5. Iudicis tamen est decreto definire an et quando adiuncta concurrant, cur iusiurandum suppletorium deferri debeat.**

CAN. 1831.

**§ 1. Pars cui iusiurandum suppletorium defertur in rebus quae ad eius statum civilem vel religiosum non pertinent, potest ex iusta causa illud recusare vel in adversarium referre.**

§ 2. **Quanti autem haec recusatio facienda sit, utrum iusta sit, an potius confessioni aequiparanda, iudicis est aestimare.**

§ 3. **Iusiurandum suppletorium, ab una parte praestitum, potest ab altera impugnari.**

CAN. 1832.

**Si de iure ad damni reparationem constet, sed quantitas damni aestimari certe non possit, iudex potest parti quae damnum passa est, iusiurandum deferre, quod *aestimatorium* dicitur.**

CAN. 1833.

**In deferendo iureiurando aestimatorio :**

1.° **Iudex a parte, quae damnum passa est, petat ut sub iurisiurandi sanctitate designet res sibi ablatas vel dolo perditas, earumque pretium et valorem secundum probabilem suam aestimationem exprimat;**

2.° **Si taxatio iudici nimia videatur, eam ad aequitatem reducat, prae oculis habens omnia indicia et argumenta usu comprobata, adhibitis etiam, si opus sit, peritis, quo magis veritati et iustitiae consulatur.**

CAN. 1834.

**§ 1. Non solum ante initam litem partes convenire possunt ut controversia per iusiurandum ab alterutra praestandum transigendo dirimatur,**

**sed pendente quoque lite et in quolibet eius momento et statu, altera pars potest, iudice probante, alteri iusiurandum deferre, ea conditione ut quaestio sive principalis sive incidens, secundum iusiurandum decisa habeatur.**

**§ 2. Iusiurandum huiusmodi dicitur *decisorium.***

CAN. **1835.**

**Decisorium iusiurandum deferri nequit, nisi :**

**1.° De re, in qua cessio et transactio admittitur, et quae pro litigantium personis non sit nimii momenti seu pretii;**

**2.° Ab eo qui cedere aut transigere potest;**

**3.° Ei, qui cedere vel transigere valet, quique pariter pro se non habeat plenam probationem;**

**4.° De mera notitia facti aut de facto, quod proprium sit illius, cui iusiurandum defertur.**

CAN. **1836.**

**§ 1. Hoc iusiurandum potest a parte, a qua delatum est, revocari quousque praestitum non fuerit, et ab altera parte acceptari et praestari, vel minus, aut referri in adversarium.**

**§ 2. Praestito iureiurando, quaestio secundum iuratam formulam finita est, perinde ac si cessio aut transactio iudicialis intercessisset.**

**§ 3. Si iusiurandum recusetur nec referatur in adversarium, iudicis est aestimare quanti facienda sit recusatio, utrum iustis innitatur causis an potius confessioni sit aequiparanda.**

**§ 4. Si in adversarium referatur, hic debet illud praestare, secus causa cadit.**

**§ 5. Ut iusiurandum in adversarium referri possit, eaedem illae concurrant conditiones necesse est, quae ad illud deferendum requiruntur, atque idem intercedat iudicis ministerium.**

## TITULUS XI.

## De causis incidentibus.

CAN. **1837.**

**Causa incidens habetur, quoties, incepto saltem per citationem iudicio, ab una ex partibus aut a promotore iustitiae vel vinculi defensore, si iudicio intersint, quaestio proponitur quae, tametsi libello, quo lis introducitur, non contineatur expresse, nihilominus ita ad causam pertinet ut resolvi plerumque debeat ante quaestionem principalem.**

CAN. **1838.**

**Causa incidens proponitur vel oretenus vel per libellum, indicato nexu qui intercedit inter ipsam et causam principalem, et servatis, quoad eius fieri poterit, regulis can. 1706-1725 statutis.**

CAN. **1839.**

**Iudex, libello vel petitione verbali receptis, auditis partibus, et, si opus sit, promotore iustitiae, vel vinculi defensore, secum deliberet num proposita incidens quaestio futilis sit et ad retardandum principale iudicium unice excitata; itemque num causa incidens talis sit naturae et tali nexu cum causa principali cohaereat, ut ante eam resolvi debeat. Si ita se res habeat, libellum vel instantiam admittat; aliter decreto suo eam reiiciat.**

CAN. **1840.**

**§ 1. Utrum incidens quae excitetur quaestio, definienda sit iudicii forma servata, an mero decreto, iudex, attenta rei qualitate et gravitate, aestimet.**

**§ 2. Si causa incidens sit iudicialiter definienda, regulae, quoad eius fieri poterit, servandae sunt, quae in ordinariis iudiciis obtinent^ curet tamen iudex ut dilationum termini sint quam maxime breves.**

**§ 3. Iudex in decreto quo vel reiicit vel definit quaestionem incidentem, rationes quibus innititur, in iure et in facto breviter exponat.**

CAN. 1841.

**Antequam finiatur causa principalis, iudex interlocutoriam sententiam potest, iusta intercedente causa, corrigere aut revocare sive ex se, auditis partibus, sive ad instantiam unius partis audita altera parte, et requisito semper voto promotoris iustitiae aut defensoris vinculi, si adsint.**

CAPUT **I.**

***De contumacia.***

CAN. **1842.**

**Reus citatus qui sine iusta causa nec ipse per se nec per procuratorem comparet, contumax declarari potest.**

CAN. **1843.**

**§ 1. Non potest tamen iudex reum contumacem declarare nisi prius constiterit :**

**1.° Citationem, legitime factam, tempore utili ad rei notitiam pervenisse aut saltem pervenire debuisse;**

**2.° Reum absentiae excusationem afferre neglexisse aut non iustam attulisse.**

**§ 2. Haec comprobari possunt sive per novam citationem reo factam ut contumaciam suam, si possit, excuset, sive alio modo.**

CAN. **1844.**

**§ 1. Ad instantiam partis vel promotoris iustitiae vel vinculi defensoris, si iudicio intersint, iudex rei contumaciam declarare potest,**

**eaque declarata, procedere, servatis servandis, usque ad sententiam definitivam eiusque exsecutionem.**

**§ 2. Si procedatur ad sententiam definitivam, lite non contestata, sententia respicere tantum debet petita in libello; si lite contestata, ipsum contestationis obiectum.**

CAN. 1845.

§ 1. **Sed potest quoque iudex ad frangendam rei contumaciam comminari ecclesiasticas poenas.**

**§ 2. Quod si facere velit, iteranda est rei citatio, cum comminatione poenarum; nec iam tunc licet aut contumaciam declarare aut, ea declarata, poenas irrogare, nisi probetur hanc quoque secundam citationem suo effectu caruisse.**

CAN. 1846.

**Rei a contumacia recedenti s seque in iudicio sistentis ante causae definitionem, conclusiones probationesque, si quas afferat, admittantur; caveat autem iudex ne mala fide in longiores et non necessarias moras iudicium protrahatur.**

CAN. 1847.

**Post latam vero sententiam, contumax beneficium restitutionis in integrum ad appellandum ab ipso iudice qui eam tulit, petere potest, non ultra tamen trimestre ab ipsius sententiae intimatione, nisi agatur de causis quae non transeunt in rem iudicatam.**

CAN. 1848.

**Regulis superius traditis etiam tum locus est cum reus, etsi primae citationi obtemperaverit, fit tamen postea, progressu iudicii, contumax.**

CAN. 1849.

**Si die et hora, qua reus secundum citationis praescriptum coram iudice primum se sistit, actor non adsit, nullamque vel insufficientem absentiae excusationem attulerit, iudex eum ad instantiam rei conventi citet iterum; et si actor novae citationi non paruerit vel postea iudicium inchoare vel inchoatum prosequi neglexerit, instante reo convento vel promotore iustitiae aut defensore vinculi, contumax a iudice declaretur, iisdem servatis regulis quae supra traditae sunt pro rei contumacia.**

CAN. 1850.

§ 1. **Actoris contumacia a iudice declarata perimit eiusdem actoris ius ad suam instantiam prosequendam.**

**§ 2. Permittitur tamen promotori iustitiae vel vinculi defensori instantiam facere suam eamque prosequi, quoties publicum bonum id postulare videatur.**

**§ 3. Reus autem exinde ius habet petendi ut vel libere possit a iudicio abire, vel nulla habeantur omnia eo usque gesta, vel definitive ipse absolvatur a petitione actoris, vel iudicium, absente quoque actore, ad finem adducatur.**

CAN. 1851.

**§ 1. Qui contumax declaratus contumaciam suam non purgaverit, sive actor sit sive reus, condemnetur tum ad litis expensas, quae ob suam contumaciam factae sunt, tum etiam, si opus sit, ad indemnitatem alteri parti praestandam.**

**§ 2. Si tum actor tum reus sint contumaces, ad expensas litis tenentur in solidum.**

CAPUT II.

*De interventu tertii in causa.*

CAN. 1852.

**§ 1. Is cuius interest, admitti potest ad interveniendum in causa in qualibet litis instantia.**

**§ 2. Sed ut admittatur, debet ante conclusionem in causa libellum iudici exhibere, in quo breviter de iure interveniendi ipsum edoceat.**

**§ 3. Qui intervenit in causa, admittendus est in eo statu in quo causa reperitur, assignato eidem brevi ac peremptorio termino ad probationes suas exhibendas, si causa ad periodum probatoriam pervenerit.**

CAN. 1853.

**Si tertii interventus appareat necessarius, iudex ad instantiam partis vel etiam ex officio debet interventum in causa iubere.**

CAPUT III.

*De attentatis lite pendente.*

CAN. 1854.

**Attentatum est quidquid, lite pendente", aut altera pars adversus alteram aut ipse iudex adversus alterutram vel utramque partem innovat, parte dissentiente et in eius praeiudicium; sive innovatio respiciat litis materiam, salvo tamen praescripto can. 1672, 1673, sive respiciat terminos partibus a iure vel a iudice assignatos ad ponendos certos actus iudiciales.**

CAN. 1855.

**§ 1. Attentata sunt ipso iure nulla.**

**§ 2. Idcirco parti ex attentato laesae competit actio ad obtinendam declarationem nullitatis.**

**§ 3. Actio haec instituenda est coram ipso iudice causae principalis; quod si ob attentatum pars laesa iudicem suspectum habeat, exceptionem suspicionis potest opponere, in qua procedendum est ad normam can. 1615.**

CAN. 1856.

**§ 1. Pendente quaestione de attentato, cursus causae principalis regulariter suspenditur, sed si iudici opportunius videatur, quaestio de attentato potest una cum causa principali pertractari et resolvi.**

**§ 2. Quaestiones de attentatis expeditissime sunt pertractandae et decreto iudicis definiendae, auditis partibus et promotore iustitiae vel defensore vinculi, si hi iudicio intersint.**

CAN. .1857.

**§ 1. Demonstrato attentato, iudex decernere debet eius revocationem seu purgationem.**

**§ 2. Quod si attentatum vi vel dolo patratum sit, qui illud commisit, tenetur etiam de damnis erga partem laesam.**

## TITULUS XII.

## DE PROCESSUS PUBLICATIONE, DE CONCLUSIONE IN CAUSA ET DE CAUSAE DISCUSSIONE.

CAN. **1858.**

**Ante causae discussionem et sententiam omnes probationes quae sunt in actis et quae adhuc secretae permanserunt, sunt publicandae.**

CAN. **1859.**

**Concessa partibus earumque advocatis facultate acta processualia inspiciendi petendique eorum exemplar, intelligitur facta publicatio processus.**

CAN. **1860.**

**§ 1. Expletis omnibus quae ad probationes producendas pertinent, *ad conclusionem in causa* deveniendum est.**

**§ 2. Haec conclusio habetur quoties aut partes a iudice interrogatae declarent se nihil aliud deducendum habere, aut utile proponendis probationibus tempus a iudice praestitutum elapsum sit, aut iudex declaret se satis instructam causam habere.**

**§ 3. De peracta conclusione in causa, quocunque modo ea acciderit, iudex decretum ferat.**

CAN. **1861.**

**§ 1. Post conclusionem in causa novae probationes inhibentur, nisi agatur de causis quae nunquam transeunt in rem iudicatam aut de documentis nunc primum repertis, aut de testibus qui antea ob legitimum impedimentum tempore utili induci non potuerunt.**

**§ 2. Si novas probationes admittendas censeat, id decernat iudex, audita altera parte, cui congruum tempus concedat ut novas probationes cognoscere et se defendere possit; aliter iudicium nullius est momenti.**

CAN. **1862.**

**§ 1. Facta conclusione in causa, iudex, pro suo prudenti arbitrio, partibus congruum temporis spatium praestituat ad defensiones suas seu allegationes sive per se sive per advocatum exhibendas.**

**§ 2. Hic terminus prorogari a iudice potest instante una parte, audita altera; vel etiam coarctari, utraque consentiente.**

CAN. **1863.**

**§ 1. Defensio in scriptis est conficienda, et regulariter tot exemplaribus conscribenda quot sunt iudices, ut singula singulis iudicibus possint exemplaria distribui.**

**§ 2. Sed etiam promotori iustitiae et defensori vinculi, si iudicio intersint, debet exemplar tradi; praeterea partes inter se exemplaria commutare debent.**

**§ 3. Tribunalis praeses, quoties pro suo prudenti arbitrio necessarium censeat, et sine nimio partium gravamine fieri animadvertat, mandare potest ut defensio typis imprimatur una cum documentis principalibus in fasciculo coniungendis, qui actorum et documentorum summarium continet.**

**§ 4. Quo in casu iubeat ne quidquam imprimatur, nisi prius exhibito manuscripto et venia, illud publicandi obtenta; praeterea sedulo caveat de secreto, si quod sit in causa servandum.**

CAN. **2864.**

**Iudicis et in tribunali collegiali praesidis est moderari, pro sua prudentia, nimiam defensionum extensionem, nisi de hoc peculiari tribunalis lege sit cautum.**

CAN. 1865.

**§ 1. Communicatis vicissim inter partes defensionum scripturis, utrique parti responsiones exhibere liceat, intra breve tempus a iudice praestitutum, et servatis regulis et cautelis de quibus in can. 1863, 1864.**

**§ 2. Hoc ius partibus semel tantum esto, nisi iudici gravi ex causa iterum videatur concedendum; tunc autem concessio, uni parti facta, alteri quoque data censeatur.**

CAN. **1866.**

**§ 1. *Informationes,* uti vocant, *orales,* quibus videlicet advocati iudicem de adiunctis iuris et facti causam respicientibus instruere satagunt, prohibentur.**

**§ 2. Admittitur tamen moderata disputatio coram iudice pro tribunali sedente ad aliquid illustrandum, si, alterutra vel utraque parte postulante, iudex eam utilem censeat atque admittat.**

**§ 3. Ad disputationem obtinendam partes exhibere debent in scriptis quaestionum capita cum altera parte discutienda, paucis verbis expressa; iudicis autem es| ea cum partibus hinc inde communicare, ac diem et horam disputationi assignare et disputationem ipsam moderari.**

**§ 4. Disputationi assistat unus ex notariis tribunalis ad hoc ut, si iudex praecipiat aut pars postulet et iudex consentiat, possit de disceptatis, confessis aut conclusis, scripto ad tramitem iuris ex continenti referre.**

CAN. **1867.**

**In causis contentiosis, si partes parare sibi tempore utili defensionem negligant, aut se remittant iudicis scientiae et conscientiae, iudex, si ex actis et probatis rem habeat plane perspectam, poterit statim sententiam pronuntiare.**

## TITULUS XIII.

### De sententia.

CAN. **1868.**

**§ 1. Legitima pronuntiatio qua iudex causam a litigantibus propositam et iudiciali modo pertractatam definit, sententia est : eaque *interlocutoria* dicitur, si dirimat incidentem causam; *definitiva,* si principalem.**

**§ 2. Ceterae iudicis pronuntiationes *decreta* vocantur.**

CAN. **1869.**

**§ 1. Ad pronuntiationem cuiuslibet sententiae requiritur in iudicis animo moralis certitudo circa rem sententia definiendam.**

**§ 2. Hanc certitudinem iudex haurire debet ex actis et probatis.**

**§ 3. Probationes autem aestimare iudex debet ex sua conscientia, nisi lex aliquid expresse statuat de efficacia alicuius probationis.**

**§ 4. Iudex qui eam certitudinem efformare sibi non potuit, pronuntiet non constare de iure actoris et reum dimittat, nisi agatur de causa favorabili, quo in casu pro ipsa pronuntiandum est, et salvo praescripto can. 1697, § 2.**

CAN. **1870.**

**Sententia ferri a iudice debet, expleta causae disceptatione; et si causa sit implicatior et .contentionum vel documentorum mole difficilior, interponi potest congruum temporis intervallum;**

CAN. **1871.**

**§ 1. In tribunali collegiali, qua die et hora iudices ad deliberandum conveniant, collegii praeses constituat; et nisi peculiaris causa aliud suadeat, in ipsa tribunalis sede conventus habeatur.**

**§ 2. Assignata conventui die, singuli iudices scriptas afferent conclusiones suas in merito causae, et rationes tam in facto quam in iure, quibus ad conclusionem suam venerint : quae conclusiones actis causae adiungantur, secreto servandae.**

**§ 3. Prolatis ex ordine, secundum praecedentiam, ita tamen ut semper a causae ponente seu relatore initium fiat, singulorum conclusionibus, habeatur moderata discussio sub tribunalis praesidis ductu, praesertim ut constabiliatur quid statuendum sit in parte dispositiva sententiae.**

**§ 4. In discussione autem fas unicuique est a pristina sua conclusione recedere.**

**§ 5. Quod si iudices in prima discussione ad hanc sententiam devenire aut nolint aut nequeant,? differri poterit decisio ad novum conventum; qui tamen ultra hebdomadam comperendinari non debet.**

CAN. **1872.**

**Si unicus sit iudex, ipsius tantum est sententiam exarare; in tribunali vero collegiali servetur praescriptum can. 1584.**

CAN. **1873.**

**§ 1. Sententia debet :**

**1.° Definire controversiam coram tribunali agitatam; hoc est reum absolvere vel condemnare quod attinet ad petitiones vel accusationes adversus eum prolatas, data singulis dubiis, seu controversiae articulis, congrua responsione;**

**2.° Determinare (saltem quatenus fas sit et materia patiatur), quid pars damnata dare, facere, praestare, aut pati debeat, aut a quo abstinere; itemque quo modo, loco vel tempore obligatio implenda sit;**

**3.° Continere rationes seu *motiva* quae dicuntur, tam in facto quam in iure, quibus dispositiva sententiae pars innititur,**

**4.° Statuere de litis expensis.**

**§ 2. In tribunali collegiali motiva ab extensore desumantur ex iis quae singuli iudices in discussione attulerunt, nisi ab ipsa iudicum maiore parte praefinitum fuerit quaenam sint motiva proferenda.**

CAN. **1874.**

**§ 1. Sententia ferri debet, divino Nomine ab initio semper invocato.**

**§ 2. Dein exprimat oportet ex ordine qui sit iudex aut tribunal; qui sit actor, reus, procurator, nominibus et domicilio rite designatis, promotor iustitiae, defensor vinculi, si partem in iudicio habuerint.**

**§ 3. Referre postea debet breviter facti speciem cum partium conclusionibus.**

**§ 4. Hisce subsequatur pars dispositiva sententiae, praemissis rationibus quibus innititur.**

**§ 5. Claudatur cum indicatione diei et loci in quibus exarata est et cum subscriptione iudicis vel omnium iudicum, si plures fuerint, et notarii.**

CAN. **3875.**

**Regulae superius positae locum habent potissimum in proferenda sententia definitiva; sed applicantur etiam, quantum diversa res patitur, in proferenda interlocutoria.**

CAN. **1876.**

**Sententia, hac ratione redacta, quamprimum publicetur.**

CAN. **1877.**

**Publicatio sententiae fieri potest tribus modis, vel citando partes ad audiendam sententiae lectionem sollemniter factam a iudice pro tribunali**

**sedente; vel partibus denuntiando sententiam esse penes cancellariam tribunalis, unaque facultatem ipsis fieri eandem legendi et eiusdem exemplar petendi; vel tandem, ubi usus viget, sententiae exemplar transmittendo ad partes per publicos tabellarios ad normam can. 1719.**

## TITULUS XIV.

## De iuris remediis contra sententiam.

### CAN. 1878.

**§ 1. Si agatur de errore materiali qui inciderit vel in transcribenda parte dispositiva sententiae vel in referendis factis aut partium petitionibus aut in ponendis calculis, errorem corrigere valet ipse iudex.**

**§ 2. Iudex ad hanc correctionem deveniat edito decreto ad instantiam partis, nisi pars altera refragetur.**

**§ 3. Si altera pars refragetur, quaestio incidens ad normam can. 1840, § 3 decreto definiatur; et decretum ad calcem sententiae correctae referatur.**

### CAPUT I.

### *De appellatione.*

### CAN. 1879.

**Pars quae aliqua sententia se gravatam putat, itemque promotor iustitiae et defensor vinculi in causis in quibus interfuerunt, ius habent a sententia appellandi, idest provocandi ab inferiore iudice qui sententiam tulit, ad superiorem, salvo praescripto can. 1880.**

### CAN. 1880.

**Non est locus appellationi :**

**1.° A sententia ipsius Summi Pontificis vel Signaturae Apostolicae;**

**2.° A sententia iudicis qui a Sancta Sede delegatus est ad videndam causam cum clausula « *appellatione remota* »;**

**3.° A sententia vitio nullitatis infecta;**

**4.° A sententia quae in rem iudicatam transiit;**

**5.° A definitiva quae iureiurando litis decisorio innixa est;**

**6.° A iudicis decreto vel a sententia interlocutoria, quae non habeat vim definitivae, nisi cumuletur cum appellatione a sententia definitiva;**

**7.° A sententia in causa pro qua ius cavet expeditissime rem esse definiendam;**

**8.° A sententia contra contumacem, qui a contumacia se non purgaverit;**

**9.° A sententia lata contra eum qui in scriptis expresse professus est se appellationi renuntiare.**

### CAN. 1881.

**Appellatio interponi debet coram iudice *a quo* sententia prolata est intra decem dies a notitia publicationis sententiae.**

CAN. **1882.**

**§ 1. Appellatio fieri potest oretenus coram iudice pro tribunali sedente, si publice sententia legatur, statimque ab actuario scriptis redigenda est.**

**§ 2. Aliter facienda est in scriptis, salvo casu de quo in can. 1707.**

CAN. **1883.**

**Appellatio prosequenda est coram iudice *ad quem* dirigitur intra mensem ab eius interpositione, nisi iudex *a quo* longius tempus ad eam prosequendam parti praestituerit.**

CAN. **1884.**

**§ 1. Ad prosequendam appellationem requiritur et sufficit ut pars ministerium invocet iudicis superioris ad impugnatae sententiae emendationem, adiuncto exemplari huius sententiae et libelli appellatorii quem iudici inferiori exhibuerat.**

**§ 2. Quod si pars exemplar impugnatae sententiae intra utile tempus a tribunali *a quo* obtinere nequeat, interim termini non decurrunt et impedimentum significandum est iudici appellationis, qui iudicem *a quo* praecepto obstringat ofiicio suo quamprimum satisfaciendi.**

CAN. **1885.**

**§ 1. Si casus de quo in can. 1733 contigerit intra terminum ad appellandum utilem sed antequam appellatio interposita sit, sententia debet iis quorum interest denuntiari eisque concessi intelliguntur termini a iure statuti a die denuntiationis computandi.**

**§ 2. Si contigerit postquam fuerit appellatum, appellatio interposita eisdem denuntietur, in quorum favorem a die denuntiationis denuo currere incipit tempus utile ad appellationem prosequendam.**

' CAN. **1886.**

**Inutiliter elapsis fatalibus appellatoriis sive coram iudice *a quo,* sive coram iudice *ad quem,* deserta censetur appellatio.**

CAN. **1887.**

**§ 1. Appellatio facta ab actore prodest etiam reo, et vicissim.**

**§ 2. Si interponatur ab una parte super aliquo sententiae capite, pars adversa, etsi fatalia appellationis fuerint transacta, potest super aliis capitibus incidenter appellare; idque facere potest etiam sub conditione recedendi, si prior pars ab instantia recesserit.**

**§v3. Si sententia plura capita contineat, et appellans quaedam tantummodo capita impugnet, cetera capita exclusa habeantur; si nullum determinavit caput, appellatio praesumitur facta contra omnia capita.**

CAN. **1888.**

**Si unus ex pluribus corréis aut actoribus sententiam impugnet, impugnatio censetur ab omnibus facta, quoties res petita sit individua aut**

**obligatio solidalis; expensas vero iudiciales ille tantum sustinere debet qui appellavit, si iudex appellationis primam sententiam confirmaverit.**

CAN. 1889.

§ 1. **Appellatio in suspensivo exsecutionem appellatae sententiae suspendit ac propterea in suo robore permanet principium : «** ***lite pendente nihil innovetur*** **» : appellatio autem in devolutivo tantum, non suspendit exsecutionem sententiae, licet lis adhuc pendeat circa meritum causae.**

§ 2. **Omnis appellatio est in suspensivo, nisi aliud in iure expresse caveatur, firmo praescripto can.** 1917, § 2.

CAN. 1890.

**Interposita appellatione tribunal** ***a quo*** **debet ad iudicem** ***ad quem*** **actorum causae authenticum exemplar vel ipsamet originalia acta causae transmittere ad normam can.** 1644.

CAN. 1891.

§ 1. **In gradu appellationis non potest admitti nova petendi causa, ne per modum quidem utilis** ***cumulationis;*** **ideoque litis contestatio in eo tantum versari potest ut prior sententia vel confirmetur, vel reformetur sive ex toto sive ex parte.**

§ 2. **Sed novis exhibitis documentis et novis probationibus poterit causa instrui, servatis regulis traditis in can.** 1786, 1861.

CAPUT **II.**

***De querela nullitatis contra sententiam.***

CAN. 1892.

**Sententia vitio insanabilis nullitatis laborat, quando : ***

1.° **Lata est a iudice absolute incompetente vel in tribunali collegiali a non legitimo iudicum numero contra praescriptum can.** 1576, § 1;

**2.° Lata est inter partes, quarum altera saltem non habet personam standi in iudicio;**

3.° **Quis nomine alterius egit sine legitimo mandato.**

CAN. 1893.

**Nullitas de qua in can.** 1892 **proponi potest per modum exceptionis in perpetuum, per modum vero actionis coram iudice qui sententiam tulit intra triginta annos a die publicationis sententiae.**

CAN. 1894.

**Sententia vitio sanabilis nullitatis laborat, quando :**

1.° **Legitima defuit citatio;**

2.° **Motivis seu rationibus decidendi est destituta, salvo praescripto can.** 1605;

3.° **Subscriptionibus caret iure praescriptis;**

**4.° Non refert indicationem anni, mensis, diei et loci quo prolata fuit.**

CAN. **1895.**

**Querela nullitatis in casibus de quibus in can. 1894, proponi potest vel una cum appellatione intra decendium, vel seorsim et unice qua querela intra tres menses a die publicationis sententiae coram iudice qui sententiam tulit.**

CAN. **1896.**

**Si pars vereatur ne iudex, qui sententiam, querela nullitatis impugnatam, tulit, praeoccupatum animum habeat et proinde eum suspectum merito existimet, exigere potest ut alius itidex, sed in eadem iudicii sede, in eius locum subrogetur ad normam can. 1615.**

CAN. 1897.

**§ 1. Querelam nullitatis interponere possunt nedum partes, quae se gravatas putant, sed etiam promotor iustitiae aut defensor vinculi, quoties iudicio interfuerunt.**

**§ 2. Imo ipse iudex potest ex officio sententiam nullam a se latam retractare et emendare intra terminos ad agendum supra statutos.**

CAPUT **III.**

## *De oppositione tertii.*

CAN. **1898.**

**Si sententiae definitivae praescriptum iura aliorum offendat, hi habent remedium extraordinarium quod *oppositio tertii* dicitur, vi cuius qui ex sententia suorum iurium laesionem verentur, possunt sententiam ipsam ante eius exsecutionem impugnare eique se opponere.**

CAN. **1899.**

**§ 1. Oppositio fieri potest ad recurrentis arbitrium sive postulando revisionem sententiae ab ipso iudice qui eam tulit, sive appellando ad iudicem superiorem.**

**§' 2. In utroque casu oppositor probare debet ius suum revera esse laesum aut probabiliter laedendum.**

**§ 3. Laesio autem oriri debet ex ipsa sententia quatenus aut ipsa sit causa laesionis, aut, si exsecutioni mandetur, oppositorem gravi praeiudicio sit affectura.**

**§ 4. Si neutrum probetur, iudex, non obstante tertii oppositione, sententiae exsecutionem decernat.**

CAN. **1900.**

**Admissa instantia, si oppositor agere velit in gradu appellationis, tenetur legibus pro appellatione statutis; si coram ipso iudice qui sententiam tulit, regulae servandae sunt pro causis incidentibus datae.**

CAN. **1901.**

**Causa ab oppositore vieta, sententia antea lata mutanda est a iudice> secundum oppositoris instantiam.**

## TITULUS XV.

### De re iudicata et de restitutione in integrum.

CAN. 1902.

**Res iudicata habetur :**

1.° **Duplici sententia conformi;**

2.° **Sententia intra utile tempus non appellata; aut quae, licet appellata coram iudice *a quo*, deserta fuit coram iudice *ad quem;***

3.° **Sententia definitiva unica, a qua non datur appellatio ad normam can.** 1880.

CAN. 3903.

**Nunquam transeunt in rem iudicatam causae de statu personarum; sed ex duplici sententia conformi in his causis consequitur, ut ulterior propositio non debeat admitti, nisi novis prolatis iisdemque gravibus argumentis vel documentis.**

CAN. 1904.

§ 1. **Res iudicata praesumptione iuris et de iure habetur vera et iusta nec impugnari directe potest.**

§ 2. **Facit ius inter partes et dat exceptionem ad impediendam novam eiusdem causae introductionem.**

CAN. 1905.

§ 1. **Adversus sententiam contra quam non suppetat ordinarium remedium appellationis aut querelae nullitatis, datur remedium extraordinarium restitutionis in integrum intra fines can.** 1688, **dummodo de evidenti iniustitia rei indicatae manifesto constet.**

§ 2. **De iniustitia autem manifesto constare non censetur, nisi :**

1.° **Sententia documentis innitatur, quae postea fuerint falsa deprehensa;**

2.° **Postea detecta fuerint documenta, quae facta nova et contrariam decisionem exigentia peremptorie probent;**

3.° **Sententia ex dolo partis prolata fuerit in damnum alterius;**

4.° **Legis praescriptum evidenter neglectum fuerit.**

CAN. 1906.

**Ad restitutionem in integrum concedendam competens est iudex qui sententiam ûtulit, nisi ea petatur ex neglecto a iudice praescripto legis; quo in casu eam concedit tribunal appellationis.**

CAN. 1907.

§ 1. **Petitio restitutionis in integrum sententiae exsecutionem nondum inceptam suspendit.**

§ 2. **Si tamen suspicio sit ex probabilibus indiciis petitionem factam esse ad moras exsecutioni nectendas, iudex decernere potest ut sententia exsecutioni demandetur, assignata tamen restitutionem petenti idonea cautione ut, si restituatur in integrum, indemnis fiat.**

## TITULUS XVI.

## De expensis iudicialibus et gratuito patrocinio.

### CAPUT I.

### *De expensis iudicialibus.*

CAN. **1908.**

**In causis contentiosis possunt partes adigi ad aliquid solvendum, titulo expensarum iudicialium, nisi ab hoc onere eximantur ad normam can. 1914-1916.**

CAN. **1909.**

**§ 1. Concilii provincialis, vel conventus Episcoporum est taxarum notulam ac regulam statuere in qua praefiniatur quid partes debeant pro expensis iudicialibus; quae sit retributio pro advocatorum et procuratorum opera a partibus solvenda; quae mercedis mensura pro versionibus et transcriptionibus; pro his examinandis et fide facienda de earum fidelitate; itemque pro exscribendis ex archivo documentis.**

**§ 2. Potest autem iudex pro suo prudenti arbitrio exigere ut pecunia pro iudicialibus expensis, pro indemnitate testium, pro honorariis peritorum debita a parte quae petit vel, si iudex ex officio agat, ab actore, antea deponatur penes tribunalis cancellariam aut saltem congrua cautio praestetur pecuniam deinde solutum iri.** *

CAN. **1910.**

**§ 1. Victus victori iudiciales expensas regulariter reficere tenetur tum in causa principali tum in incidenti.**

**§ 2. Si actor vel reus temere litigaverit, etiam ad damnorum refectionem damnari debet.**

CAN. **1911.**

**Si actor vel reus partialiter tantum succubuerit, aut lis agitata fuerit inter consanguineos vel affines, aut de quaestione valde ardua actum fuerit, aut quacunque alia iusta et gravi de causa, poterit iudex pro suo prudenti arbitrio ex toto vel ex parte inter litigantes expensas compensare; idque debet exprimere in ipso sententiae tenore.**

CAN. **1912.**

**Si plures sint in causa qui condemnationem ad expensas mereantur, iudex eos damnet in solidum, si agatur de obligatione solidali; aliter pro rata.**

CAN. **1913.**

**§ LA pronuntiatione circa expensas non datur appellatio; sed pars quae se gravatam putat, oppositionem intra decem dies facere potest**

**coram eodem iudice : qui de hac re cognoscere denuo poterit, et taxationem emendare ac moderari.**

**§ 2. Appellatio a sententia circa causam principalem secumfert appellationem a pronuntiatione circa expensas.**

## CAPUT II.

### *De gratuito patrocinio, aut expensarum iudicialium deminutione.*

CAN. **3914. "**

**Pauperes, si in totum impares sint expensis iudicialibus sustinendis, ius habent ad gratuitum patrocinium; si ex parte tantum, ad expensarum deminutionem.**

CAN. **1915.**

**§ 1. Qui exemptionem ab expensis vel earum deminutionem assequi vult, eam a iudice postulare debet, dato supplici libello, allatisque documentis quibus quae conditio sit postulantis quaeve eius rei familiaris copia demonstret; praeterea probare debet se non futilem neque temerariam causam agere.**

**§ 2. Iudex postulationem nec admittat nec reiiciat, nisi requisitis, si opus sit, notitiis etiam secretis quibus statum rei familiaris ipsius postulantis compertum habere possit auditoque promotore iustitiae; imo concessam potest etiam revocare, si in decursu processus assertam paupertatem non adesse compertum habuerit.**

* CAN. **1916.**

**§ 1. Ad gratuitum pauperum patrocinium iudex in singulis causis eligat aliquem ex advocatis in suo foro approbatum, qui ab hoc munere explendo, nisi ex causa iudici probata, sese subducere nequit, secus a iudice congrua poena, etiam suspensionis ab officio, plecti potest.**

**§ 2. Deficientibus advocatis, iudex Ordinarium loci roget ut aliam idoneam personam, si opus sit, designet ad pauperis patrocinium suscipiendum.**

## TITULUS XVII.

### De exsecutione sententiae.

CAN. **1917.**

**§ 1. Sententia quae transiit in rem iudicatam, exsecutioni mandari potest.**

**§ 2. Iudex tamen potest sententiae, quae nondum transiit in rem iudicatam, provisoriam exsecutionem iubere :**

**1.° Si agatur de provisionibus seu praestationibus ad necessariam sustentationem ordinatis;**

**2.° Si alia gravis urgeat necessitas, ita tamen ut, concessa provisoria exsecutione, per cautiones, fideiiussiones aut pignora satis consultum sit indemnitati alterius partis casu quo exsecutio revocanda sit.**

### CAN. 1918.

**Non antea exsecutioni locus esse poterit, quam exsecutorium iudicis decretum habeatur, quo scilicet edicatur sententiam ipsam exsecutioni mandari debere; quod decretum pro diversa causarum natura vel in ipso sententiae tenore includatur vel separatim edatur.**

### CAN. 1919.

**Si sententiae exsecutio praeviam rationum redditionem exigat, causa incidens habetur, ab illo ipso iudice, servatis de iure servandis, decidenda, qui tulit sententiam exsecutioni mandandam.**

### CAN. 1920.

**§ 1. Sententiam exsecutioni mandare debet per se vel per alium Ordinarius loci in quo sententia primi gradus lata est.**

**§ 2. Quod si hic renuat vel negligat, parte cuius interest instante vel etiam ex officio, exsecutio spectat ad iudicem appellationis.**

**§ 3. Inter religiosos exsecutio sententiae spectat ad Superiorem, qui definitivam sententiam tulit aut iudicem delegavit.**

### CAN. 1921.

**§ 1. Exsecutor, nisi quid eius arbitrio in ipso sententiae tenore fuerit permissum, debet sententiam ipsam, secundum obvium verborum sensum, exsecutioni mandare.**

**§ 2. Licet ei videre de exceptionibus circa modum et vim exsecutionis, non autem de merito causae; quod si habeat aliunde compertum sententiam esse manifeste iniustam, abstineat ab exsecutione, et partem ad eum qui exsecutionem commisit, remittat.**

### CAN, 1922.

**§ 1. Quod attinet ad reales actiones, adiudicata actori re aliqua, haec actori tradenda est statim ac res iudicata habetur.**

**§ 2. Quod vero attinet ad actiones personales, cum reus damnatus est ad rem mobilem praestandam, vel ad solvendam pecuniam, vel ad aliud dandum aut faciendum, quadrimestre conceditur pro implenda obligatione.**

**§ 3. Iudex potest terminum praescriptum vel reducere vel protrahere, ita tamen ut neque infra bimestre coarctetur, neque semestre excedat.**

### CAN. 1923.

**§ 1. In exsecutione peragenda exsecutor caveat ut quam minimum damnato noceatur, eaque de causa incipiat exsecutionem a distrahendis rebus quae minus ei necessariae sunt, salvis semper quae eius victui vel industriae deserviunt; et si agatur de clerico, salva honesta eiusdem sustentatione ad normam can. 122.**

**§ 2. Ad exsecutionem privationis beneficii iudex ne procedat contra clericum qui Sanctam Sedem adierit; sed si agatur de beneficio, cui**

**adnexa sit animarum cura, Ordinarius provideat per designationem vicarii substituti.**

CAN. 1924.

**Exsecutor utatur prius monitis et praeceptis erga reluctantem; ad poenas autem spirituales et ad censuras ne deveniat, nisi ex necessitate et gradatim.**

SECTIO IL

## De peculiaribus normis in certis quibusdam iudiciis servandis.

### TITULUS XVIII.

### De MODIS EVITANDI IUDICIUM CONTENTIOSUM.

CAPUT I.

#### *De transactione.*

CAN. 1925,

**§ 1. Cum valde optandum sit ut lites inter fideles evitentur, iudex exhortationes adhibeat, ut cum aliqua contentiosa controversia quae privatum eorum bonum respiciat, ei proponitur iudicii forma dirimenda, per transactionem, si qua concordiae spes affulgeat, lis componatur.**

§ 2. **Huic ofiicio iudex satisfacere poterit sive antequam partes in iudicium vocentur, sive cum primum iudicio steterint, sive denique quocunque tempore et efficacius et opportunius id tentari posse existimaverit.**

**§ 3. Convenit tamen dignitati iudicantis ne ipse per se, regulariter saltem, hoc negotium suscipiat tractandum, sed ut illud alicui sacerdoti, praesertim ex iudicibus synodalibus, committat.**

CAN. 1926.

**In transactione serventur normae statutae a legibus civilibus loci in quo transactio initur, nisi iuri divino vel ecclesiastico adversentur et salvo praescripto canonum qui sequuntur;**

CAN. 1927.

§ 1. **Transactio fieri valide nequit sive in causa criminali, sive in contentiosa in qua agitur vel de matrimonio dissolvendo, vel de materia beneficiaria, cum de ipso beneficii titulo disceptatur, nisi legitima accedat auctoritas, nec de rebus spiritualibus quotiescumque interveniat solutio rei temporalis.**

§ 2. **Sed si quaestio fiat de bonis temporalibus ecclesiasticis et de iis rebus quae, etsi spiritualibus sunt adnexae, seorsum tamen a spiritualibus considerari queunt, transactio fieri potest, servatis tamen, si materia id postulet, sollemnitatibus a iure statutis pro alienatione rerum ecclesiasticarum.**

CAN. **1928.**

**§ 1. Effectus transactionis ad exitum feliciter perductae dicitur *compositio* seu *concordia.***

**§ 2. Expensarum, quas transactio postulaverit, nisi aliud expresse cautum sit, utraque pars dimidium solvat.**

## CAPUT **II.**

### *De compromisso in arbitros.*

CAN. **1929.**

**Ad evitandas iudiciales contentiones, partes possunt quoque inire conventionem, qua controversia committatur iudicio unius vel plurium qui ad normam iuris quaestionem dirimant, vel de bono et aequo negotium pertractent et transigant; illi *arbitri,* isti *arbitratores* proprio nomine appellantur.**

CAN. **1930.**

**Praescripta can. 1926, 1927 etiam compromisso in arbitros applicentur.**

CAN. **1931.**

**Prohibentur ab arbitri munere valide gerendo laici in causis ecclesiasticis, excommunicati et infames post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam; religiosi vero munus arbitri ne suscipiant sine venia Superioris.**

CAN. **1932.**

**Si nec in transactionem nec in compromissum in arbitros vel arbitratores partes consentire velint, controversia dirimenda erit per formale iudicium ad normam Sectionis Primae.**

## TITULUS XIX.

### De iudicio criminali.

CAN. **1933.**

**§ 1. Delicta quae cadunt sub criminali iudicio sunt delicta publica.**

**§ 2. Excipiuntur delicta plectenda sanctionibus poenalibus de quibus in can. 2168-2194.**

**§ 3. In delictis mixti fori Ordinarii regulariter ne procedant cum reus laicus est et civilis magistratus, in reum animadvertens, publico bono satis consulit.**

**§ 4. Poenitentia, remedium poenale, excommunicatio, suspensio, interdictum, dummodo delictum certum sit, infligi possunt etiam per modum praecepti extra iudicium.**

CAPUT I.

*De accusatoria actione et denuntiatione.*

CAN. 1934. '

**Actio seu accusatio criminalis uni promotori iustitiae, ceteris omni bus exclusis, reservatur.**

CAN. 1935.

**§ 1. Quilibet tamen fidelium semper potest delictum alterius denuntiare ad satisfactionem petendam vel damnum sibi resarciendum, vel etiam studio iustitiae ad alicuius scandali vel mali reparationem.**

**§ 2. Imo obligatio denuntiationis urget quotiescumque ad id quis adigitur sive lege vel peculiari legitimo praecepto, sive ex ipsa naturali lege ob fidei vel religionis periculum vel aliud imminens publicum malum.**

CAN. 1936.

**Denuntiatio scriptis a denuntiante subsignatis vel oretenus fieri debet loci Ordinario, vel cancellario Curiae vel vicariis foraneis vel pa- > rochis, a quibus tamen, si viva voce facta fuerit, scriptis est consignanda et statim ad Ordinarium deferenda.**

CAN. 1937.

**Qui delictum denuntiat debet promotori iustitiae adiumenta suppeditare ad eiusdem delicti probationem.**

CAN. 1938.

**§ 1. In causa iniuriarum aut diffamationis, ut actio criminalis instituatur, requiritur praevia denuntiatio aut querela partis laesae.**

**§ 2. Sed si agatur de iniuria aut diffamatione gravi, clerico vel religioso, praesertim in dignitate constituto, illata, aut quam clericus vel religiosus alii intulerit, actio criminalis institui potest etiam ex ofiicio.**

CAPUT II.

*De inquisitione.*

CAN. 1939.

**§ 1. Si delictum nec notorium sit nec omnino certum, sed innotuerit sive ex rumore et publica fama, sive ex denuntiatione, sive ex querela damni, sive ex inquisitione generali ab Ordinario facta, sive alia quavis ratione, antequam quis citetur ad respondendum de delicto, inquisitio specialis est praemittenda ut constet an et quo fundamento innitatur imputatio.**

**§ 2. Huic regulae locus est sive agatur de irroganda poena vindicativa vel censura, sive de ferenda sententia declaratoria poenae vel censurae in quam quis inciderit.**

CAN. 1940.

**Haec inquisitio, quamvis ab ipso loci Ordinario peragi possit, ex generali tamen regula committenda est alicui ex iudicibus synodalibus, nisi eidem Ordinario ex peculiari ratione alii committenda videatur.**

CAN. 1941.

§ 1. **Inquisitor delegetur non ad universitatem causarum, sed toties quoties et ad unam causam.**

§ 2. **Inquisitor tenetur iisdem obligationibus quibus iudices ordinarii, ac praesertim praestare debet iusiurandum de secreto servando deque officio fideliter implendo et abstinere ab accipiendis muneribus ad normam can.** 1621-1624.

§ 3. **Inquisitor nequit in eadem causa iudicem agere.**

CAN. 1942.

§ 1. **Prudenti Ordinarii iudicio committitur statuere quandonam ea, quae praesto sunt argumenta, sufficiant ad inquisitionem instituendam.**

§ 2. **Nihili faciendae sunt denuntiationes quae ab inimico manifesto, aut ab homine vili et indigno proveniunt, vel anonymae iis adiunctis iisque aliis elementis carentes, quae accusationem forte probabilem reddant.**

CAN. 1943.

**Inquisitio secreta semper esse debet, et cautissime ducenda, ne rumor delicti diffundatur, neve bonum cuiusquam nomen in discrimen vocetur.**

CAN. 1944.

§ 1. **Ad finem suum assequendum potest inquisitor aliquos, quos de re edoctos censeat, ad se accire et interrogare sub iureiurando veritatis dicendae et secreti servandi.**

§ 2. **In eorum examine servet inquisitor, quantum fieri potest et natura inquisitionis patitur, regulas statutas in can.** 1770-1781.

CAN. 1945.

**Inquisitor, antequam inquisitionem claudat, potest promotoris iustitiae consilium exquirere quoties in aliquam difficultatem inciderit, et cum eo acta communicare.**

CAN. 1946.

§ 1. **Expleta inquisitione, inquisitor, addito suffragio suo, omnia referat ad Ordinarium.**

§ 2. **Ordinarius vel de eius speciali mandato officialis suo decreto iubeat ut :**

1.° **Si appareat denuntiationem solido fundamento esse destitutam, id declaretur in actis et acta ipsa in secreto Curiae archivo reponantur;**

2.° **Si indicia criminis habeantur, sed nondum sufficientia ad accusatoriam actionem instituendam, acta in eodem archivo serventur et invi-**

**giletur interim moribus imputati, qui pro prudenti Ordinarii iudicio erit opportune super re audiendus, et, si casus ferat, monendus ad normam can. 2307; -**

**3.° Si denique certa vel saltem probabilia et sufficientia ad accusationem instituendam argumenta praesto sint, citetur reus ad comparendum et procedatur ad ulteriora ad normam canonum qui sequuntur.**

## CAPUT III.

### *De correptione delinquentis.*

#### CAN. 1947.

**Si reus interrogatus delictum confiteatur, Ordinarius, loco criminalis iudicii, utatur correptione iudiciali si eidem locus sit.**

#### CAN. 1948.

**Correptio iudicialis locum habere nequit :**

**1.° In delictis quae poenam secumferunt excommunicationis specialissimo vel speciali modo Sedi Apostolicae reservatae, aut privationis beneficii, infamiae, depositionis aut degradationis;**

**2.° Quando agitur de ferenda sententia declaratoria poenae vindicativae vel censurae in quam quis inciderit;**

**3.° Quando Ordinarius existimet eam non sufficere reparationi scandali et restitutioni iustitiae.**

#### CAN. 1949.

**§ 1. Correptioni locus esse potest semel et iterum, non autem tertio contra eundem reum.**

**§ 2. Quare si post alteram correptionem reus idem delictum commiserit, criminale iudicium instrui aut inceptum continuari debet ad normam can. 1954 seqq.**

#### CAN. 1950.

**Intra fines can. 1947,1948 potest correptio ab Ordinario adhiberi non solum antequam gradus fiat ad formale iudicium, sed etiam eo incepto ante conclusionem in causa; ac tunc quidem iudicium suspenditur, nisi tamen prosequendum idcirco sit quia correptio in irritum cesserit.**

#### CAN. 1951.

**§ 1. Correptio adhiberi etiam potest, cum interposita fuit querela damni ex delicto.**

**§ 2. Quo in casu Ordinarius potest de bono et aequo, partibus consentientibus, videre et dirimere quaestionem de damno.**

**§ 3. Sed si censuerit quaestionem de damno difficulter de bono et aequo posse definiri, licet ipsi, remissa ordini iudiciario solutione huius quaestionis, per correptionem consulere reparationi scandali et emendationi delinquentis.**

CAN. **1952.**

**§ 1. Correptio iudicialis, praeter monita salutaria, debet plerumque coniuncta habere quaedam opportuna remedia, aut poenitentiarum vel piorum operum praescriptionem, quae valeant ad publicam reparationem laesae iustitiae aut scandali.**

**§ 2. Salutaria remedia, poenitentiae, pia opera reo praescribenda, mitiora et leviora esse debent iis, quae in criminali iudicio per sententiam condemnatoriam ipsi infligi possent et deberent.**

CAN. 1953.

**Correptio censetur inutiliter adhibita, si reus remedia, poenitentias et pia opera sibi praescripta non acceptat aut acceptata non exsequatur.**

CAPUT **IV.**

*De instructione processus criminalis et de rei constitutione.*

CAN. **1954.**

**Si correptio iudicialis vel insufficiens sit ad reparationem scandali et restitutionem iustitiae, vel adhiberi nequeat quia reus delictum denegat, vel inutiliter adhibita fuerit, Episcopus, aut officialis, de eius speciali mandato, praecipiat ut acta inquisitionis tradantur promotori iustitiae.**

CAN. **1955.**

**Promotor statim conficiat accusationis libellum eumque exhibeat iudici secundum normas in Sectione Prima statutas.**

CAN. **1956.**

**In delictis gravioribus, si Ordinarius censeat cum fidelium offensione imputatum ministrare sacris aut officio aliquo spirituali ecclesiastico vel pio fungi aut ad sacram Synaxim publice accedere, potest, audito promotore iustitiae, eum a sacro ministerio, ab illorum officiorum exercitio, vel etiam a publica sacrae Synaxis participatione prohibere ad normam can. 2222, § 2.**

CAN. **1957.**

**Pariter si iudex censeat accusatum posse testibus timorem incutere aut eos subornare, aut alio modo iustitiae cursum impedire, potest, audito promotore iustitiae, decreto suo mandare, ut ille ad tempus deserat oppidum vel paroeciam quandam, vel etiam ut secedat in praefinitum locum ibique sub peculiari vigilantia maneat.**

CAN. **1958.**

**Decreta de quibus in can. 1956,1957 ferri nequeunt, nisi reo citato et comparente vel contumace, sive post primam eius auditionem seu consti-**

**tutum, sive postea in decursu processus; et contra eadem non datur iuris remedium.**

CAN. 1959.

**In reliquis serventur regulae in Sectione Prima huius Libri traditae et in inflictione poenarum sanctiones in Libro Quinto statutae.**

## TITULUS XX.

### De causis matrimonialibus.

CAPUT I.

### *De foro competenti.*

CAN. 1960.

**Causae matrimoniales inter baptizatos iure proprio et exclusivo ad iudicem ecclesiasticum spectant.**

CAN. 1961.

**Causae de effectibus matrimonii mere civilibus, si principaliter agantur, pertinent ad civilem magistratum ad normam can.** 1016; **sed si incidenter et accessorie, possunt etiam a iudice ecclesiastico ex propria potestate cognosci ac definiri.**

CAN. 1962.

**Causas matrimoniales ad eos spectantes de quibus in can.** 1557, § 1, **n.** 1, **illa Sacra Congregatio vel illud Tribunal aut specialis ea Commissio exclusive cognoscet, cui eas toties quoties Summus Pontifex delegaverit; causas dispensationis super matrimonio rato et non consummato, Sacra Congregatio de disciplina Sacramentorum; causas vero quae referuntur ad privilegium Paulinum, Sacra Congregatio S. Officii.**

CAN. 1963.

§ 1. **Quare nullus iudex inferior potest processum in causis dispensationis super rato instruere, nisi Sedes Apostolica facultatem eidem fecerit.**

§ 2. **Si tamen iudex competens auctoritate propria iudicium peregerit de matrimonio nullo ex capite impotentiae et ex eo, non impotentiae, seä nondum consummati matrimonii emerserit probatio, omnia acta ad Sacram Congregationem transmittantur, quae iis uti poterit ad sententiam super rato et non consummato ferendam.**

CAN. 1964.

**In aliis causis matrimonialibus iudex competens est iudex loci in quo matrimonium celebratum est aut in quo pars conventa vel, si una sit acatholica, pars catholica domicilium vel quasi-domicilium habet.**

CAN. **1965.**

**Si matrimonium accusatur ex defectu consensus, curet ante omnia iudex ut monitionibus opportunis partem, cuius consensus deesse affirmatur, ad consensum renovandum inducat; si ex defectu formae substantialis vel ex impedimento dirimenti quod dispensari potest et solet, partes inducere studeat ad consensum in forma legitima renovandum vel ad dispensationem petendam.**

CAPUT **II.**

***De tribunali constituendo.***

CAN. **1966.**

**Firmo praescripto can. 1576, § 1, unicus est iudex instructor in inquisitione pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato.**

CAN. **1967.**

**Sive agatur de nullitate matrimonii, sive de probandis inconsummatione et causis ad dispensandum super rato, citari debet defensor vinculi matrimonialis, ad normam can. 1586.**

CAN. **1968.**

**Defensoris vinculi est :**

**1.° Examini partium, testium et peritorum adesse; exhibere iudici interrogatoria clausa et obsignata, in actu examinis a iudice aperienda, et partibus aut testibus proponenda; novas interrogationes, ab examine emergentes, iudici suggerere;**

**2.° Articulos a partibus propositos perpendere, eisque, quatenus opus sit, contradicere; documenta a partibus exhibita recognoscere;**

**3.° Animadversiones contra matrimonii nullitatem ac probationes pro validitate aut pro consummatione matrimonii scribere et allegare, eaque omnia deducere, quae ad matrimonium tuendum utilia censuerit.**

CAN. **1969.**

**Defensori vinculi ius esto :**

**1.° Semper et quolibet causae momento acta processus, etsi nondum publicati, invisere; novos terminos ad scripta perficienda n'agitare, prudenti iudicis arbitrio prorogandos;**

**2.° De omnibus probationibus vel allegationibus ita certiorem fieri, ut contradicendi facultate uti possit;**

**3.° Petere ut alii testes inducantur vel iidem iterum examini subiiciantur, processu etiam absoluto vel publicato, novasque animadversiones edere;**

**4.° Exigere ut alia acta, quae ipse suggesserit, conficiantur, nisi tribunal unanimi suffragio dissentiat.**

## CAPUT III.

### *De iure accusandi matrimonium et postulandi dispensationem super rato.*

#### CAN. 1970.

**Tribunal collegiale nullam causam matrimonialem cognoscere vel definire potest, nisi regularis accusatio vel iure facta petitio praecesserit.**

#### CAN. 1971.

**§ 1. Habiles ad accusandum sunt :**

**1.° Coniuges, in omnibus causis separationis et nullitatis, nisi ipsi fuerint impedimenti causa;**

**2.° Promotor iustitiae in impedimentis natura sua publicis.**

**§ 2. Reliqui omnes, etsi consanguinei, non habent ius matrimonia accusandi, sed tantummodo nullitatem matrimonii Ordinario vel promotori iustitiae denuntiandi.**

#### CAN. 1972.

**Matrimonium, quod, utroque coniuge vivente, non fuerit accusatum, post mortem alterutrius vel utriusque coniugis ita praesumitur validum fuisse, tit contra hanc praesumptionem non admittatur probatio, nisi incidenter oriatur quaestio.**

#### CAN. 1973.

**Soli coniuges ius habent petendi dispensationem super matrimonio rato et non consummato.**

## CAPUT IV.

### *De probationibus.*

### ART. I. — *De testibus.*

#### CAN. 1974.

**Consanguinei et afanes de quibus in can. 1757, § 3, n. 3, habentur testes habiles in causis suorum propinquorum.**

#### CAN. 1975.

**§ 1. In causis impotentiae vel inconsummationis, nisi de impotentia vel inconsummatione aliunde certo constet, debet uterque coniux testes, qui septimae manus audiunt, inducere, sanguine aut affinitate sibi coniunctos, sin minus vicinos bonae famae, aut alioquin de re edoctos, qui iurare possint de ipsorum coniugum probitate, et praesertim de veracitate circa rem in controversiam deductam; quibus iudex ad normam can. 1759, § 3 alios testes potest ex officio adiungere.**

**§ 2. Testimonium septimae manus est argumentum credibilitatis quod robur addit depositionibus coniugum; sed vim plenae probationis non obtinet, nisi aliis adminiculis aut argumentis fulciatur.**

ART. IL — *De inspectione corporali.*

CAN. 1976.

**In causis impotentiae aut inconsummationis requiritur inspectio corporis utriusque vel alterutrius coniugis per peritos facienda, nisi ex adiunctis inutilis evidenter appareat.**

CAN. 1977.

**In peritis eligendis, praeter normas in can.** 1792-1805 **datas, serventur praescripta canonum qui sequuntur.**

CAN. 1978.

**Ad periti munus ne admittantur qui coniuges privatim inspexerint circa factum cui innititur petitio declarationis nullitatis vel inconsummationis; licet tamen hos tanquam testes inducere.**

CAN. 1979.

§ 1. **Ad inspiciendum virum, duo periti medici ex officio deputari debent.**

§ 2. **Ad mulierem vero inspiciendam duae obstetrices, quae legitimum peritiae testimonium habeant, ex officio designentur; nisi maluerit mulier a duobus medicis ex officio pariter designandis inspici vel id Ordinarius necessarium habuerit.**

**§ 3. Corporalis mulieris inspectio fieri debet, servatis plene christianae modestiae regulis et adstante semper honesta matrona ex officio designanda.**

CAN. 1980.

§ 1. **Mulieris inspectionem obstetrices vel periti, seorsum singuli, exsequi debent.**

§ 2. **Singuli medici vel obstetrices singulas relationes conficiant, intra terminum a iudice praefinitum tradendas.**

**§ 3. Potest iudex relationes ab obstetricibus confectas examini alicuius periti medici subiicere, si id opportunum existimaverit.**

CAN. 1981.

**Peracta relatione, periti, obstetrices ac matrona, seorsum singuli, a iudice interrogentur, secundum articulos a vinculi defensore antea concinnatos quibus ipsi, praestito iuramento, respondeant.**

CAN. 1982.

**Etiam in causis defectus consensus ob amentiam, requiratur suffragium peritorum, qui infirmum, si casus ferat, eiusve acta quae amentiae suspicionem ingerunt, examinent secundum artis praecepta; insuper uti testes audiri debent periti qui infirmum antea visitaverint.**

## CAPUT V.

### *De publicatione processus, conclusione in causa et sententia.*

CAN. **1983.**

**§ 1. Publicato processu fas adhuc est partibus novos testes, ad normam tamen can. 1786, super diversis articulis inducere.**

**§ 2. Si vero testes iam excussi super iisdem articulis antea propositis denuo audiendi sint, servetur praescriptum can. 1781, integro iure defensoris vinculi opportunas proponendi exceptiones.**

CAN. **1984.**

**§ 1. Defensor vinculi ius habet ut in allegando, petendo et respondendo tam in scriptis quam in defensione orali, audiatur postremus.**

**§ 2. Quare tribunal ad definitivam sententiam ne deveniat, nisi prius vinculi defensor interrogatus declaraverit sibi nihil deducendum vel inquirendum superesse.**

**§ 3. Si vero ante praefinitum a iudice iudicii diem defensor nihil deduxerit, praesumitur eum nihil iam deducendum habere.**

CAN. **1985.**

**In causis quae spectant ad dispensationem matrimonii rati et non consummati, iudex instructor neque ad publicationem processus neque ad sententiam super ipsa inconsummatione et causis ad dispensandum deveniat, sed omnia acta una cum voto scripto Episcopi et defensoris vinculi transmittat ad Sedem Apostolicam.**

## CAPUT VI.

### *De appellationibus.*

CAN. **1986.**

**A prima sententia, quae matrimonii nullitatem declaraverit, vinculi defensor, intra legitimum tempus, ad superius tribunal provocare debet; et si negligat officium suum implere, compellatur auctoritate iudicis.**

CAN. **.1987.** •

**Post secundam sententiam, quae matrimonii nullitatem confirmaverit, si defensor vinculi in gradu appellationis pro sua conscientia non crediderit esse appellandum, ius coniugibus est, decem diebus a sententiae denuntiatione elapsis, novas nuptias contrahendi.**

CAN. **1988.**

**Decreta matrimonii nullitate, Ordinarius loci curare debet, ut de ea mentio fiat in baptismorum et matrimoniorum regestis, ubi matrimonii celebratio consignata invenitur.**

CAN. **1989.**

**Cum sententiae in causis matrimonialibus nunquam transeant in rem iudicatam, causae ipsae, si nova argumenta praesto sint, retractari semper poterunt, firmo praescripto can. 1903.**

CAPUT **VII.**

*De casibus exceptis a regulis hucusque traditis.*

CAN. **1990.**

**Cum ex certo et authentico documento, quod nulli contradictioni vel exceptioni obnoxium sit, constiterit de exsistentia impedimenti disparitatis cultus, ordinis, voti sollemnis castitatis, ligaminis, consanguinitatis, affinitatis aut cognationis spiritualis, simulque pari certitudine apparuerit dispensationem super his impedimentis datam non esse, hisce in casibus, praetermissis sollemnitatibus hucusque recensitis, poterit Ordinarius, citatis partibus, matrimonii nullitatem declarare, cum interventu tamen defensoris vinculi.**

CAN. **1991.**

**Adversus hanc declarationem defensor vinculi, si prudenter existimaverit impedimenta de quibus in can. 1990 non esse certa aut dispensationem super eisdem probabiliter intercessisse, provocare tenetur ad iudicem secundae instantiae, ad quem acta sunt transmittenda quique scripto monendus est agi de casu excepto.**

CAN. **1992.**

**Iudex alterius instantiae, cum solo interventu defensoris vinculi, decernet eodem modo de quo in can. 1990, utrum sententia sit confirmanda, an potius procedendum in causa sit ad ordinarium tramitem iuris; quo in casu eam remittit ad tribunal primae instantiae.**

## TITULUS XXI.

### De causis contra sacram ordinationem.

CAN. **1993.**

**§ 1. In causis quibus impugnantur obligationes ex sacra ordinatione contractae vel ipsa sacrae ordinationis validitas, libellus mitti debet ad Sacram Congregationem de disciplina Sacramentorum vel, si ordinatio impugnetur ob defectum substantialem sacri ritus, ad Sacram Congregationem S. Officii; et Sacra Congregatio definit utrum causa iudiciario ordine an disciplinae tramite sit pertractanda.**

**§ 2. Si primum, Sacra Congregatio causam remittit ad tribunal dioecesis quae clerico propria fuit tempore sacrae ordinationis, vel, si sacra ordinatio impugnetur ob defectum substantialem sacri ritus, ad tribunal**

**dioecesis in qua ordinatio peracta fuit; pro gradibus vero appellationis standum praescripto can. 1594-1601.**

**§ 3. Si alterum, ipsamet Sacra Congregatio quaestionem dirimit, praevio processu informativo peracto a tribunali Curiae competentis.**

CAN. **1994.**

**§ 1. Validitatem sacrae ordinationis accusare valet clericus peraeque ac Ordinarius cui clericus subsit vel in cuius dioecesi ordinatus sit.**

**§ 2. Solus clericus, qui existimet se ex sacra ordinatione obligationes ordini adnexas mon contraxisse, potest declarationem nullitatis onerum petere.**

CAN. **1995.**

**Ea omnia, quae tum in Sectione Prima huius Partis, tum in peculiari titulo de processu in causis matrimonialibus sunt dicta, servari etiam debent, congrua congruis referendo, in causis contra sacram ordinationem.**

CAN. **1996.**

**Defensor vinculi sacrae ordinationis iisdem gaudet iuribus iisdemque tenetur officiis quibus defensor vinculi matrimonialis.**

CAN. **1997.**

**Quamvis actio instituta fuerit non super ipsamet sacrae ordinationis nullitate, sed super obligationibus tantum ex ipsa sacra ordinatione exsurgentibus, nihilominus clericus est ad cautelam ab exercitio ordinum prohibendus.**

CAN. **1998.**

**§ 1. Ut clericus liber sit ab obligationibus quae a vinculo ordinationis manant, requiruntur duae sententiae conformes.**

**§ 2. Quod ad appellationem attinet, in his causis serventur praescripta can, 1986-1989 de causis matrimonialibus.**

## PARS SECUNDA

# DE CAUSIS BEATIFICATIONIS SERVORUM DEI ET CANONIZATIONIS BEATORUM

### CAN. 1999.

**§ 1. Causae beatificationis Servorum Dei et canonizationis Beatorum unius Sanctae Sedis iudicio reservantur.**

**§ 2. Ad normam can. 253, § 3 una Sacrorum Bituum Congregatio in his causis competens est.**

**§ 3. Ordinarii locorum, iure proprio, possunt ea tantum quae in canonibus qui sequuntur eisdem expresse demandantur.**

### CAN. 2000.

**§ 1. Causae huiusmodi duplici possunt procedere via, scilicet vel ordinaria non cultus vel extraordinaria casus excepti seu cultus.**

**§ 2. Per ordinariam viam proceditur, quando, antequam ad discussionem super virtutibus deveniatur, probari intenditur nullum publicum cultum Servo Dei fuisse praestitum vel, si quando per abusum praestitus fuerit, sublatum fuisse; per extraordinariam vero cum probari intenditur aliquem Dei Servum in possessione publici et ecclesiastici cultus versari.**

### CAN. 2001.

**§ 1. Causae martyrum sive procedant per viam ordinariam sive per extraordinariam non sunt cumulandae, sed unaquaeque singillatim tractanda est, nisi agatur de martyribus qui in eadem persecutione eodemque loco passi sunt.**

**§ 2. Id extendi quoque debet ad distinctos processus et discussiones quae in iis causis fieri praescribuntur inde a causae introductione usque ad finem.**

### CAN. 2002.

**In canonibus qui sequuntur, nomine Ordinarii non intelligitur Vicarius Generalis, nisi habuerit mandatum speciale.**

## TITULUS XXII.

## De nonnullis personis "quae in his processibus partem habent.

### CAPUT I.

### *De Actore et Postulatore.*

### CAN. 2003.

**§ 1. Quivis fidelis Vel legitimus Christifidelium coetus ius habet petendi ut causa apud tribunal competens instruatur.**

**§ 2. Si petitio a legitima et competente Ecclesiae auctoritate admissa**

**fuerit, eo ipso petenti ius est causam legitime promovendi et ad exitum perducendi.**

**§ 3. Loci Ordinarius potest sive ex officio sive ad instantiam causam beatificationis instruere.**

CAN. **2004.**

**§ 1. Actor potest agere vel per se vel per procuratorem ad hoc legitime constitutum; mulieres nonnisi per procuratorem.**

**§ 2. Qui apud tribunal competens causam pertractat dicitur *postulator.***

**§ 3. Postulator, sive proprio sive alieno nomine agat, debet esse sacerdos vel saecularis vel religiosus, in Urbe fixam habens sedem.**

CAN. **2005.**

**Singuli pro singulis causis postulatores admittuntur : nec alii quam causae postulatori competit ius substituendi sibi per legitimum mandatum alios qui vice-postulatores dicuntur.**

CAN. **2006.**

**§ 1. Tum postulator tum vice-postulatores, si ex alius mandato causam agant, antequam ad munus suum exercendum admittantur, debent mandatum tribunali exhibere.**

**§ 2. Mandatum postulatoris exactum sit ad normam can. 1659 neque censeatur legitimum nisi cum fuerit a Sacra Congregatione admissum et in eiusdem actis inscriptum; mandatum vero vice-postulatorum debet recognosci et admitti a tribunali in quo munus suum exercent.**

CAN. **2007.**

**Ad postulatoris officium pertinet :**

**1.° Agere causam apud iudices competentes;**

**2.° Necessarios sumptus facere; sed pecunia a fidelibus ad causae expensas collecta administrari debet ad normam instructionum Sedis Apostolicae;**

**3.° Nomina testium et documenta tribunali exhibere;**

**4.° Conficere et exhibere promotori fidei articulos, super quibus testes in processibus debeant interrogari.**

CAN. **2008.**

**Mandatum postulatoris, si postulator nomine alius agat, finem habet iisdem de causis quibus ad normam iuris mandatum aliorum procuratorum exstinguitur.**

CAPUT **II.**

***De Cardinali Relatore, Promotoribus fidei et Sub-promotoribus.***

CAN. **2009.**

**§ 1. In causis, quae agitantur apud Sacram' Congregationem, relatorem seu ponentem agat unus e Patribus Cardinalibus eidem Congregationi adscriptis, a Romano Pontifice designatus.**

§ 2. **Eius officium est causae sibi demandatae peculiare studium impenderé et in plenaria seu ordinaria congregatione ea omnia referre, quae sive in favorem causae sive contra eam facere videntur.**

CAN. 2010.

§ 1. **Ad ius tuendum in quolibet processu partem habere debet *promotor fidei,* qui semper citari debet ad normam can.** .1587.

§ 2. **Fidei promotor apud Sacram Congregationem dicitur *Promotor generalis fidei,* et Assessor Sacrae Congregationis qui eidem assistit, dicitur *Sub-promotor generalis fidei.***

CAN. 2011.

§ 1. **Promotor fidei, extra Sacram Congregationem, constitui potest vel ad omnes causas vel ad aliquam causam particularem.**

§ 2. **Promotor fidei generalis et Sub-promotor generalis a Romano Pontifice eliguntur; promotor fidei apud Ordinariorum tribunal, si quidem agatur de processu apostolico, nominatur a Promotore generali et tunc nomen sub-promotoris habet; secus nominetur ab Ordinario ante edictum de quo in can.** 2043.

CAN. 2012.

§ 1. **Promotoris fidei est concinnare interrogatoria sobria, mere historica, quae non eo spectent ut certam quandam responsionem ab interrogato eliciant, quaeque apta sint ad veritatem eruendam etiam super articulis a postulatore propositis, eaque iudicibus exhibere sub secreti obligatione.**

§ 2. **Est praeterea eiusdem promotoris instare ut testes ex officio citentur et opportunas promovere exceptiones; sed iudex potest testes, etiam promotore fidei non instante aut renuente, ipso tamen monito, ex officio arcessere.**

CAPUT **III.**

***De notario, cancellario et advocatis.***

CAN. 2013.

, § 1. **Processibus sive apostolicis sive ab Ordinario loci iure proprio instruendis assistere debet notarius seu actuarius.**

§ 2. **Notarius apud Sacram Congregationem debet esse e numero Protonotariorum participantium.**

CAN. 2014.

**Religiosi fungi valide nequeunt munere notarii, nisi ex necessitate; in causis autem propriae religionis semper excluduntur.**

CAN. 2015.

**In processibus ab Ordinario loci instruendis extra Urbem, notarii munere fungi potest ipsemet Curiae notarius; in Urbe notarii munere fungatur Protonotarius Sacrae Congregationis, eoque absente, notarius Vicariatus Urbis.**

CAN. **2016.**

**Notario dari potest adiutor seu, ut aiunt, *adiunctus* qui ei auxilium praestet in conferendis transumptis cum actis originalibus, et exemplaribus cum documentis quae ex autographis in bibliothecis, tabulariis, etc., servatis transcribatur.**

CAN. **2017.**

**Notarius adiunctus et cancellarius Sacrae Congregationis debent esse sacerdotes, integrae famae et omni exceptione maiores; cancellarius vero sit praeterea laurea in iure canonico donatus.-**

CAN. **2018.**

**Advocati et procuratores in causis beatificationis et canonizationis apud Sacram Congregationem debent esse potiti laurea in iure canonico et saltem licentia in sacra theologia, et fecerint oportet tirocinium penes aliquem ex advocatis Sacrae eiusdem Congregationis vel penes ipsum fidei Sub-promotorem generalem; pro advocatis insuper requiritur legitimus titulus advocati rotalis.**

## TITULUS XXIII.

## De probationibus in his processibus adhibendis.

### CAPUT I.

### *De probationibus generatim..*

CAN. **2019.**

**In his causis probationes debent esse omnino plenae; nec aliae sunt admittendae, nisi quae ex testibus et ex documentis eruantur.**

CAN. **2020.**

**§ .1. Ad probandum nunquam Servo Dei cultum fuisse praestitum, quatuor saltem testes sunt necessarii.**

**§ 2. Ad probandam famam virtutum, martyrii ac miraculorum, octo saltem testes requiruntur, qui singulares esse possunt singularitate, ut aiunt, adminiculativa; praeterea duo saltem testes ex ofiicio vocandi sunt.**

**§ 3. Ad probandas virtutes vel martyrium, requiruntur testes de visu et contestes : historica monumenta adminiculum tantum praestare possunt.**

**§ 4. Si habeantur in processu apostolico testes ex auditu a videntibus et in informativo testes de visu, possunt ii omnes coniungi in linea probationis.**

**§ 5. Si vero adsint in informativo testes de visu et in apostolico testes tantummodo ex auditu auditus, hi habent vim adminiculi, magis vel minus gravis pro prudenti iudicum aestimatione; et tunc tantum ad ulteriora, idest ad miraculorum disceptationem, procedi potest, cum ex**

**horum omnium testium coniunctione talis habeatur probatio quae viro prudenti de re gravi iudicaturo fidem factura sit et auctoritatem.**

**§ 6. In causis tamen antiquis per viam non cultus procedentibus, in quibus deficiunt oculati testes vel ex auditu a videntibus, et in causis procedentibus per viam casus excepti, virtutes et martyrium probari poterunt per testes ex auditu atque ex publica fama, quae annulatam, uti aiunt, traditionem ex auditu constituat, et per documenta coaeva vel monumenta uti authentica recognita.**

**§ 7. Denique miracula semper probanda sunt per testes de visu et contestes.**

CAN. **2021.**

**Cultus immemorabilis probatur per authentica monumenta, quae constitutioni Urbanianae, an. 1634 promulgatae, centum annorum spatio antecedant vel illo saeculo perdurante sint edita, dummodo facta referant quae saltem centum ante annos contigerint una cum populi traditione nunquam interrupta.**

CAN. **2022.**

**Longissimi temporis cultus a Sede Apostolica permissus per documenta coaeva probatur.**

## CAPUT **II.**

## *De testibus et peritis.*

CAN. **2023.**

**In processibus beatificationis omnes Christifideles, salvo praescripto can. 2027, § 2, n. 1, tenentur, licet non vocati, ea in Ecclesiae notitiam perferre, quae contra virtutem aut miracula aut martyrium Servi Dei facere ipsis videantur.**

CAN. **2024.**

**Tanquam testes vocandi in primis sunt a promotore fidei, etsi a postulatore non inducti, ii omnes qui cum Servo Dei familiaritatem vel consuetudinem habuerunt.**

CAN. **2025.**

**§ 1. Omnes de quibus in can. 2023, 2024, nisi iam tanquam testes se inductos sciverint, dare litteras debent ad proprium Ordinarium, quibus utrum consuetudinem cum Servo Dei habuerint, an aliquod factum peculiare aperiendum cognoscant et quodnam illud sit, breviter exponant; Ordinarius vero has litteras promotori fidei transmittendas curet.**

**§ 2. Religiosi vel religiosae litteras eiusmodi, sigillo clausas, immediate et directe ad Ordinarium aut fidei promotorem transmittant, vel confessario tradant qui illas quamprimum ad Ordinarium vel promotorem fidei deferendas curet.**

**§ 3. Illitterati rem parocho exponant, qui ad Ordinarium vel promotorem fidei eam referat.**

CAN. 2026.

**Superiores religiosi gravi obligatione tenentur curandi ut omnes subditi, qui debent, accedant ad deponendum, quos tamen nec directe nec indirecte impellant ad testandum in unum potius quam in alium sensum.**

CAN. 2027.

§ 1. **Admittuntur ut testes consanguinei, affines, familiares, haeretici quoque et infideles.**

§ 2. **Admitti nequeunt:**

1.° **Confessarius ad normam can.** 1757, § 3, **n.** 2;

2.° **Postulator, advocatus aut procurator in causa, durante munere; si vero munus penitus dimiserint, admittuntur, sed adminiculum tantum suppeditare possunt;**

3.° **Qui munere iudicis aliquando in causa functi sunt.**

CAN. 2028.

§ 1. **Medici a curatione, quicunque ii sint, cum de miraculis agitur, tanquam testes sunt inducendi.**

§ 2. **Quod si renuerint se tribunali sistere, curet iudex ut saltem scriptam et iuratam relationem de morbo eiusque processu conficiant actis inserendam, vel eorum sententia per interpositam personam excipiatur, deinde examini subiiciendam.**

CAN. 2029.

**Testes in sua testificatione propriae scientiae causam reddere debent circa ea quae asserunt; secus eorum testimonium nihili faciendum est.**

CAN. 2030.

**Ad probandam famam sanctitatis vel martyrii Servi Dei qui pertinuerit ad aliquam religionem, dimidia saltem pars testium debent esse extranei.**

CAN. 2031.

**Cum peritorum opera est necessaria :**

1.° **Periti sint saltem duo, quorum alter alteri sit ignotus, salvo praescripto n. 4;**

2.° **Deputentur a tribunali per maiorem suffragiorum partem, audito fidei promotore, vel, si penes Sacram Congregationem operam suam praestare debeant, a Cardinali Ponente, audito fidei generali Promotore; semper autem excludi debent qui in causa testis munere functi sunt;**

3.° **Postulator certior ne fiat quinam periti fuerint designati; et ipsimet periti de sua designatione secretum servent;**

**4.° Periti seorsim singuli ad peritiam deveniant, nisi ex iusta causa iudex, assentiente promotore fidei, permittat ut ii simul peritiam instituant;**

**5.° Singuli relationem peritiae a se confectae scripto tradant; sed deinde seorsim interrogentur, etsi peritiam simul confecerint.**

CAPUT **III.**

*De documentis processui inserendis.*

CAN. **2032.**

**§ 1. Documenta, quibus postulator innititur, integra exhibenda sunt tribunali.**

**§ 2. Sed alia quoque documenta poterit a postulatore tribunal exigere, quae ad veritatem detegendam conferre eidem tribunali videantur.**

CAN. **2033.**

**§ 1. Testimonia extraiudicialia scripto consignata sive ab iis quos postulator in processu interrogari curaverit circa virtutes et martyrium Servi Dei, sive ab aliis quos postulator interrogandos proposuerit, etsi in processibus afferantur, recenseri tamen nequeunt inter documenta quae in iudicio de Servi Dei sanctitate vel martyrio vim probativam habent.**

**§ 2. Nec elogia funebria et necrologia illico post mortem Servi Dei exarata vel typis edita legitimam probationem constituunt.**

**§ 3. Multoque minus testimonia virorum quamvis illustrium circa virtutes et opera Servi Dei non sponte, sed amicorum precibus, eo adhuc vivente, scripto tradita.**

CAN. **2034.**

**Qui documenta exhibent, debent declarare eorum originem et authenticitatem.**

CAN. **2035.**

**§ 1. Historiae non habent vim documentorum, nisi documentis innixae in processu exhibitis.**

**§ 2. Si qui magnae auctoritatis viri his documentis usi sint eaque probaverint, eorum testimonium afferri debet tantum ad confirmandam documentorum authenticitatem et auctoritatem.**

CAN. **2036.**

**§ 1. Documenta historica sive manu scripta, sive typis impressa, quibus postulator Servi Dei virtutes aut cultus eidem praestiti antiquitatem eiusque non interruptam continuationem probare intendit, inserantur in processum et cum ipso transmittantur ad Sacram Congregationem et a viris peritis examinentur.**

**§ 2. At si quod ex his in bibliotheca vel tabulario asservetur, unde deduci nequeat, eius exemplar scriptum vel photographice redditum exhibeatur cum testificatione scripto reddita a notario tribunalis de eius authenticitate.**

**§ 3. Si ne id quidem fieri possit, res deferatur ad Sacram Congregationem, quae peritos designet ut ea recognoscant ubi asservantur.**

## TITULUS XXIV.

### De processu beatificationis Servorum Dei per viam non cultus.

CAN. **2037.**

**§ 1. Personae quae in processu, sive a locorum Ordinariis iure proprio sive a delegatis Sedis Apostolicae instruendo, partem habent, scilicet iudices, promotor fidei ac sub-promotores, notarius et adiunctus debent, initio uniuscuiusque processus, secundum formulam a Sacra Congregatione praescriptam, iusiurandum praestare de munere fideliter adimplendo, de secreto servando usque ad processus publicationem et de donis cuiusvis generis non accipiendis.**

**§ 2. Ordinarius, etsi partes iudicis non agat, tenetur tamen praestare iusiurandum de secreto servando.**

**§ 3. Praeterquam quod de secreto servando, iurare praeterea debent testes, nemine excepto aut dispensato, de veritate dicenda, antequam interrogentur, de veritate dictorum, post factam interrogationem; periti, interpretes, revisores et scriba, de munere bene adimplendo, antequam peritiam, conversionem de uno sermone in alium, revisionem, transcriptionem peragant; de munere bene adimpleto, post peractam peritiam, conversionem, transcriptionem, revisionem. Etiam cursor seu nuntius iusiurandum praestet de ofiicio fideliter obeundo.**

**§ 4. "Postulatores ac vice-postulatores praestare debent iusiurandum *calumniae,* idest iurent sé veritatem per totum processum dicturos nullaque fraude usuros.**

**§ 5. Penes Sacram Congregationem, quod ad iusiurandum attinet,, servetur lex eiusdem propria.**

CAPUT **I.**

### *De processibus a loci Ordinario iure proprio instruendis.*

CAN. **2038.**

**§ 1. Ad introductionem causae beatificationis Servi Dei, a Sede Apostolica obtinendam, debet prius iure constare de puritate doctrinae in eius scriptis, de eiusdem fama sanctitatis, virtutum et miraculorum vel martyrii, de absentia cuiuslibet obs&culi quod peremptorium videatur; mox vero de cultu publico eidem non praestito.**

**§ 2. Quare ad preces postulatoris Ordinarius, si petitionem admittendam esse existimaverit, debet : ***

**1.° Scripta Servi Dei perquirere;**

**2.° Processum informativum instruere super fama sanctitatis, virtutum in genere vel martyrii, causae martyrii et miraculorum;**

**3.° Processum instruere super non cultu.**

CAN. **2039.**

**§ 1. Ad haec competens est Ordinarius loci in quo Servus Dei supremum diem obiit, aut miracula contigerunt; qui tamen non debet ipse per se iudicium instruere, si sit de gente Servi Dei.**

**§ 2. Cum antiquus exstat processus super fama sanctitatis vel martyrii ante annos triginta confectus, sed causa, antequam a Sede Apostolica obtineret legitimam introductionem, qualibet de causa fuerit intermissa, ad eosdem Ordinarios eorumve successores pertinet processum informativum conficere super continuatione famae sanctitatis vel martyrii.**

CAN. **2040.**

**§ 1. Tribunal constare debet praeside, qui est ipsemet Ordinarius per se vel per sacerdotem ad hoc delegatum, et in hoc altero casu duobus aliis iudicibus ab eodem Ordinario eligendis inter iudices synodales.**

**§ 2*. Ordinarius per decretum designet tribunalis praesidem, sive hoc munus sibi reservet, sive delegatum cum duobus aliis iudicibus nominet; eodemque decreto nominet fidei promotorem et notarium.**

CAN. **2041.**

**§ 1. Sessiones tribunalis pro excipiendo iureiurando et examine testium habeantur diurno, quoad fieri potest, tempore et in loco sacro.**

**§ 2. Post unamquamque sessionem acta causae claudi et iudicis sigillo obsignari debent, non aperienda, nisi in sequenti sessione, postquam iudex sigillum integrum et intactum recognoverit; si sigillum integrum et intactum non inveniatur, iudex rem deferat ad Sacram Congregationem.**

## ART. I. — *De perquisitione scriptorum Servi Dei.*

CAN. **2042.**

**Nomine scriptorum veniunt non modo opera inedita Servi Dei, sed etiam quae iam typis fuerint impressa; item conciones, epistolae, diaria, autobiographiae, quidquid denique vel ipse per se, vel aliena manu exaraverit.**

CAN. **2043.**

**§ 1. Ordinarius per publicum edictum in singulis paroeciis, si fieri potest, vulgandum vel alio opportuniore modo scripta Servi Dei ab omnibus penes quos exstent ad tribunal deferri iubeat, et praescripta can. 2023-2025 in memoriam revocet atque urgeat.**

**§"2. Si vero agatur de causa Servi Dei ad religionem aliquam pertinentis, vulgari praeterea debet edictum in singulis eiusdem religionis domibus; et Superiores gravi obligatione tenentur curandi ut haec publicatio fiat, habita expressa mentione praescripti can. 2025, § 2, itemque ut omnes subditi qui habeant, scripta remittant.**

**§ 3. Munus est promotoris fidei instare ut edictum publicetur etiam**

**in aliis locis ubi spes sit fore ut aliquis inveniatur qui scriptum aliquod penes se habeat.**

CAN. 2044.

§ 1. **Ordinarius non solum ad instantiam postulatoris, sed etiam ex officio scripta Servi Dei diligenter perquirat.**

§ 2. **Quando scripta in aliena dioecesi reperiuntur, iudex roget Ordinarium illius dioecesis, ut ea ipse perquirat ad normam iuris et ad se una cum actis transmittat.**

CAN. 2045.

§ 1. **Si qui ex possessoribus autographo retinere cupiant, horum apographum authenticum ipse notarius conficiendum curet, ad Sacram Congregationem una cum processu transmittendum.**

§ 2. **Quod attinet ad scripta in bibliotheca aut tabulario asservata, standum praescripto can.** 2036.

CAN. 2046.

**Notarius diligenter describat tum scriptorum numerum et qualitatem, tum acta omnia perquisitionis ipsorum; quae acta debent praeterea ab Ordinario vel ab eius delegato et promotore fidei subscribi ac Ordinarii sigillo muniri.**

CAN. 2047.

§ 1. **Postulator iusiurandum coram Ordinario emittat de scriptorum perquisitione a se diligenter facienda, et postea de eadem diligenter peracta.**

§ 2. **Si agatur de Serva Dei quae ad aliquam religionem pertinuerit, suprema religionis Moderatrix vel Antistita monasterii iusiurandum pariter praestet se diligentem scriptorum perquisitionem peregisse, omnia quae possidebat Servae Dei scripta tradidisse, neque sibi constare aliquam ex suis subditis aliasve personas eiusdem Servae Dei scripta adhuc retinere.**

CAN. 2048.

**Si agatur de causa alicuius martyris, perquisitio scriptorum fieri etiam potest post signatam commissionem introductionis causae apud Sacram Congregationem, secundum instructiones a Promotore generali fidei ea de re dandas.**

## • ART. II. —- *De processu informativo.*

CAN. 2049.

**Processus informativus per Ordinarios instruitur; et si inchoatus non fuerit intra triginta annos a morte Servi Dei, ut ad ulteriora procedi possit, probari debet nullam in casu fraudem vel dolum aut culpabilem negligentiam adfuisse.**

CAN. 2050.

§ 1. **In testium excussione super fama sanctitatis, martyrii et miraculorum serventur praescripta can;** 2019, 2020.

**§ 2. Non est necesse ut constet in specie de virtutibus, martyrio, miraculis, sed sufficit ut probetur fama in genere, spontanea, non arte aut diligentia humana procurata, orta ab honestis et gravibus personis, continua, in dies aucta et vigens in praesenti apud maiorem partem populi.**

**§ 3. Praemissis generalibus quaestionibus ad normam can. 1774, testibus quaestio in primis a iudice proponatur quid nempe de vita, virtutibus, miraculis aut martyrio Servi Dei ad eorum notitiam pervenerit et quomodo haec noverint et an sciant de eisdem esse publicam famam, et deinde interrogandi sunt super interrogatoriis a promotore fidei confectis et super articulis a postulatore exhibitis.**

CAN. **2051.**

**Absolvi nequit processus informativus, nisi prius promotor fidei omnes ad se remissas litteras, de quibus in can. 2025, expenderit eique constiterit examinatos fuisse eos de quibus in can. 2023-2025.**

CAN. **2052.**

**Tribunal cum iudicaverit probationes omnes sive per testium examen sive per documentorum exhibitionem fuisse collectas et scripta omnia Servi Dei, quae haberi poterant, in actis esse, audito promotore fidei, moneat postulatorem ut, si alia habeat, offerat intra certum temporis spatium, quo elapso, processui finis imponitur.**

CAN. **2053:**

**Iubente iudice et non contradicente promotore fidei, notarius publicet processum; qui scribae a tribunali designato transcribendus tradatur.**

CAN. **2054.**

**Exemplar processus, seu, ut aiunt, *transumptum,* sicut acta archetypa, manu transcribatur.**

CAN. **2055.**

**Absoluto transumpto, fiat eius collatio cum archetypo a notario et ab eius adiuncto, praesentibus uno ex iudicibus et promotore fidei; qua collatione expleta, ad authenticitatem transumpti probandam tum notarius tum iudex et promotor fidei subscriptione sua et sigillo transumptum communiant.**

CAN. **2056.**

**§ 1. Absoluta collatione, archetypum clauditur et sigillis munitur in archivo Curiae diligenter asservandum et nunquam aperiendum sine venia Sedis Apostolicae.**

**§ 2. Transumptum vero clauditur et obsignatur sigillo Ordinarii atque hac de re notarius instrumentum in duplici exemplari conficit, alterum Romam transmittendum, alterum in archivo Curiae asservandum.**

## ART. III. — *De processu super non cultu.*

CAN. 2057.

**Tribunal praeter testes inductos a postulatore, duos alios ex officio inducat omnesque interroget num Servo Dei cultus publicus fuerit unquam praestitus.**

CAN. 2058.

**Tribunal adeat praeterea et diligenter inspiciat sepulcrum Servi Dei, cubiculum in quo habitavit vel obiit, et si qua sint alia loca ubi cultus signa adesse merito quis suspicari possit.**

CAN. 2059.

**Si in processus decursu non levia habeantur indicia cultus interea Servo Dei praestiti, munus esto promotoris fidei instare ut ulterior inquisitio hac de re peragatur.**

CAN. 2060.

**Tribunal debet sententia definire utrum cultus Servo Dei fuerit praestitus, necne.**

## ART. IV. — *De transmissione processus scriptorum Servi Dei, processus informativi et de non cultu ad Sacram Congregationem.*

' CAN. 2061.

**Ordinarius statim ac expleverit perquisitionem scriptorum, ea Romam una cum** ***processiculo*** **mittat** ***diligentiaruni,*** **idest cum iuridica relatione diligentiarum quibus in perquirendis scriptis usus est.**

CAN. 2062.

**Si post perquisitionem scriptorum Servi Dei alia in decursu causae reperiantur, ea statim ad Sacram Congregationem transmittenda sunt, nec ad ulteriora procedi' potest, nisi prius revisa fuerint.**

CAN. 2063.

**§ 1. Transumptum processus informativi Ordinarius postulatori tradat ad Sacram Congregationem transmittendum.**

**§ 2. Una cum transumpto mittat quoque litteras tum iudicum ad Sacram Congregationem tum promotoris fidei ad Promotorem fidei generalem, ut Sacra Congregatio certior fiat tum de fide testibus praestanda tum de omnibus actis legitime absolutis.**

**§ 3. Transmittat quoque Ordinarius descriptionem formae sigilli, quo transumptum obsignavit, vel eiusdem sigilli exemplar.**

CAN. 2064.

**Item Ordinarius expletum processum de non cultu ad Sacram Congregationem per postulatorem transmittat.**

CAPUT II.

## *De causae introductione apud Sacram Congregationem.*

### ART. I. — *De revisione scriptorum.*

CAN. 2065.

**Statim ac scripta Servi Dei Romam transmissa fuerint, sunt illa quidem examini subiicienda; sed Sacra Congregatio debet opportune investigare utrum, praeter exhibita, alia quoque Servi Dei scripta sive a privatis custodita sive in publicis archivis consignata exstent.**

CAN. 2066.

**§ 1. Revisores scriptorum in singulis causis deligantur a Cardinali Ponente, audito Promotore generali fidei; eorumque nomina secreto serventur.**

**§ 2. Ad hoc munus adsciscantur sacerdotes qui laurea saltem in theologia vel, si religiosi fuerint, aequivalenti titulo sint donati.**

CAN. 2067.

**§ 1. Scripta Servi Dei tradantur a secretario revisoribus ad id munus adscitis ita ut singulorum scriptorum examen fiat a duobus revisoribus, quorum alter alteri sit ignotus.**

**§ 2. Nihil obstat, si scriptorum Servi Dei numerus ingens sit, quominus ea in plures partes dividantur, quarum unaquaeque distinctis revisoribus tradatur.**

CAN. 2068.

**§ 1. Iudicium revisorum debet referre num in scriptis aliquid habeatur quod fidei ac bonis moribus adversetur,, et edocere generali quadam ratione quaenam indoles, quinam virtutum habitus vel defectus ex scriptis appareant propria fuisse Servi Dei.**

**§ 2. Hoc iudicium revisores scripto proferant, argumentis et rationibus suffultum.**

CAN. 2069.

**Si quando iudicia revisorum discrepent, designetur ad normam can. 2066 tertius revisor, qui munus suum eodem modo expleat.**

CAN. 2070.

**Promotor generalis fidei obiectiones ex scriptis Servi Dei ac revisorum iudicio desumptas, si quas habeat, Patribus Cardinalibus discutiendas proponat.**

CAN. 2071.

**Si quid in scriptis Servi Dei fidei non omnino consonum contineri certo fuerit demonstratum aut aliquid habeatur quod in praesenti fidelium offensioni esse possit, Romanus Pontifex, audito Patrum Cardina-**

**lium voto et perpensis omnibus casus circumstantiis, decidit num ad ulteriora procedi possit.**

CAN. 2072.

**Favorabile Romani Pontificis iudicium non secumfert scriptorum approbationem, neque impedit quominus Promotor generalis fidei et consultores possint aut debeant in discussione virtutum obiectiones ex scriptis Servi Dei desumptas proponere.**

## ART. II. — *De discussione processus informativi.*

CAN. 2073.

**Processus informativus ab Ordinario confectus et Romam transmissus, postquam sigillorum integritas recognita fuerit a Protonotario Sacrae Congregationis, si nihil obstet, accedente Romani Pontificis speciali decreto, aperiatur coram Cardinali Praefecto Sacrae Congregationis qui eum cancellario transcribendum committat.**

CAN. 2074.

**Cardinalis Ponens curet ut, si opus sit, per interpretem probatum versio processus in Urbe fiat, quae postea revisoris examini subiiciatur.**

CAN, 2075.

**Transumptum processus ab Ordinario missum in tabulario Sacrae Congregationis asservetur; eiusque exemplar a cancellario ad iuris praescriptum recognitum postulatori tradatur.**

CAN. 2076.

**§ 1. Advocatus et procurator transumpti vel, si plura sint, omnium transumptorum summarium conficiant et informationem quae summario adnectatur.**

§ 2. **Summario addi debet fides Sub-promotoris generalis fidei testantis summarium ipsum concordare cum actis Sacrae Congregationi exhibitis.**

CAN. 2077.

**Litterae postulatoriae, quibus personae insigniores in dignitate sive ecclesiastica sive civili constitutae vel personae morales expostulant a Summo Pontifice ut causae beatificationis alicuius Servi Dei manus apponatur, utiliter exhibentur, dummodo sponte et ex propria scientia datae sint.**

CAN. 2078.

**Si, scriptis perpensis, decretum fuerit ad ulteriora procedi posse, Promotor generalis fidei obiectiones suas exaret contra causae introductionem, quibus respondeat advocatus causae.**

CAN. 2079.

§ 1. Fidei Promotor generalis obiectionibus ab ipso pro causae introductione concinnandis praemittat sobriam et perspicuam synopsim, quae Servi Dei vitam exhibeat,

§ 2. Ad hanc synopsim conscribendam adhibeat non modo documenta in summario relata, sed etiam alia, si qua sint, opportune consulenda.

CAN. 2080.

Obiectiones et responsiones breviter et perspicue, scholastica fere methodo, secundum veteres Sacrae Congregationis consuetudines, exarentur.

CAN. 2081.

Informationes orales non solum ad iudices, sed etiam ad eos omnes qui suffragium ferre debent, tam in isto iudicio quam in ceteris, quae secutura sunt, prohibentur.

CAN. 2082.

Iudicium circa valorem processus informativi ab Ordinario instructi, circa famam sanctitatis vel martyrii et circa absentiam cuiuslibet obstaculi peremptorii profertur a Patribus Cardinalibus in comitiis ordinariis, Cardinali Ponente referente ac proponente dubium : *an signanda sit commissio introductionis causae in casu et ad effectum de quo agitur.*

CAN. 2083.

§ 1. Si Patrum Cardinalium iudicium fuerit favorabile, proponatur Sanctissimo ut signet, si placeat, *commissionem introductionis causae.*

§ 2. Si Sanctissimus commissionem signaverit, Secretarius Sacrae Congregationis hac de re decretum conficiat et publici iuris faciat.

CAN. 2084.

§ 1. Edito decreto introductionis causae, Ordinarii nihil ultra circa eam agere possunt sine expressa licentia Sacrae Congregationis.

§ 2. Servum Dei, cuius causa introducta tantum est, *venerabilis* titulo decorari prohibitum est; et caveant postulatores ne occasione introductionis causae quidquam fiat in honorem Servi Dei, quod publicum cultum redoleat.

## ART. III. — *De discussione processus super non cultu.*

CAN. 2085.

Signata commissione introductionis causae, a Patribus Cardinalibus in comitiis ordinariis particularibus discutiendum est dubium num confirmanda sit sententia de non cultu ab Ordinario prolata. Si sententia Patrum Cardinalium cultum praestitum fuisse edixerit, eorundem Patrum arbitrio, omnibus circumstantiis attentis, causa suspendatur quousque omnia signa vetiti cultus remota fuerint, et haec obedientia ad certum tempus, ab ipsis Patribus statuendum, fuerit praestita.

CAN. 2086.

**§ 1. Si Ordinarius processum super non cultu nondum confecerit ante causae introductionem, ad eundem processum deveniendum est auctoritate apostolica.**

§ 2. **Ad hunc finem fidei Promotor generalis interrogatoria exaret quae una cum litteris remissorialibus, de quibus in can.** 2087 **seqq., a Sacra Congregatione expediuntur ad iudices ab ipsa designatos.**

**§ 3. Quando agitur de martyribus, in quorum causa Ordinarius omiserit processum super non cultu instruere ante causae introductionem, litteris remissorialibus ad conficiendum processum super martyrio et causa martyrii addatur commissio ad colligendas probationes super non cultu una cum peculiaribus interrogatoriis a fidei Promotore «generali propositis.**

CAPUT III.

***De processibus apostolicis.***

ART. I. — ***De processu apostolico instruendo.***

CAN. 2087.

**§ 1. Editó decreto de non cultu, impetrentur a Summo Pontifice et expediantur a Cardinali Praefecto litterae remissoriales, quas vocant, ad instruendum processum apostolicum tum super fama sanctitatis, miraculorum aut martyrii, tum super virtutibus et miraculis in specie vel super martyrio eiusdemque causa.**

§ 2. **Hi duo processus distincte fiant; sed primus omitti potest, si Cardinali Praefecto et Promotori fidei generali nec necessarium nec opportunum videatur de continuatione famae iterum inquirere.**

**§ 3. Signata commissione et nondum edito decreto de non cultu, si periculum sit ne quidam oculati testes interim deficiant, concedantur statim litterae remissoriales ad instruendum processum apostolicum super virtutibus et miraculis in specie vel super martyrio eiusdemque causa, ne *pereant probationes.***

CAN. 2088.

**§ 1. Litterae remissoriales dentur ad quinque saltem iudices, in ecclesiastica dignitate, si fieri potest, constitutos.**

§ 2. **Si inter iudices cooptatus fuerit Ordinarius, ipse praesidem agat; secus praeses ab ipsa Sacra Congregatione designatur; expedit autem ut saltem praeses non sit idem ille qui praefuit in informativo processu.**

**§ 3. Si agatur de processu super miraculis, nominetur praeterea unus saltem peritus, qui sessionibus tribunalis adsit et iudicem rogare possit ut necessarias interrogationes testibus proponat ad maiorem assequendam verborum rerumque claritatem.**

CAN. **2089.**

**Litteris remissorialibus addantur peculiares litterae Promotoris generalis fidei, quibus duos sub-promotores designet qui eius nomine processui adsint.**

CAN. **2090.**

**Interrogatoria conficiantur a Promotore generali fidei super obiectionibus in causae introductione agitatis et super testimoniis receptis in processu informativo ad normam can. 2050, itemque super extraiudicialibus informationibus, quas ipse exquirendas existimaverit, adhibita quoque opera periti, si de miraculis agatur.**

CAN. **2091.**

**§ 1. Litterae remissoriales tradantur causae postulatori qui eas ad delegatum praesidem tribunalis transmittendas curet.**

**§ 2. Una simul mittantur ad aliquem ex sub-promotoribus, clausa et non aperienda nisi in actu examinis, interrogatoria, super quibus qui inducentur testes, sint interrogandi.**

CAN. **2092.**

**Iudices delegati, antequam muneris obeundi initium faciant, Ordinario ostendant litteras delegationis, qui debet eisdem praestare auxilium auctoritatis suae.**

CAN. **2093.**

**§ 1. Receptis litteris remissorialibus, praeses tribunalis curet quantocius tribunal convocare et nunquam hanc convocationem differat ultra trimestre, nisi iustum intercedat impedimentum, de quo tamen intra idem tempus Sacram Congregationem monere ne omittat.**

**§ 2. Tribunal in ipsa prima sessione eligat notarium, eius adiunctum, peritum, si casus ferat, et cursorem, ac de eiusmodi electione fidem faciat notarius Curiae.**

CAN. **2094.**

**Quamvis omnes, ad quos remissoriales litterae datae sunt, adesse possint singulis processus apostolici sessionibus, ad validitatem tamen sufficit ut adsint praeses cum duobus iudicibus vel, ipso annuente et absente, tres alii iudices, itemque unus ex sub-promotoribus fidei, notarius vel adiunctus. ;**

CAN. **2095.**

**Processus saltem intra biennium, computandum a die aperitionis litterarum, absolvendus est; quo biennio elapso, cum processus continuari nequeat sine venia Apostolicae Sedis, Sacra Congregatio moneatur de impedimentis ob quae apostolicum mandatum non fuerit ad exitum perductum.**

CAN. **2096.**

**Antequam absolvatur processus apostolicus super virtutibus in specie, fiat a tribunali recognitio iuridica exuviarum Servi Dei secundum praescripta litterarum remissorialium.**

CAN, 2097.

§ 1. **In transcriptione, collatione et Romam transmissione exemplaris actorum originalium serventur quae supra can.** 2054, 2055, 2063 **pro informativo processu praescripta sunt.**

§ 2. **Processus exhibeatur, aperiatur et transcribatur apud Sacram Congregationem ad normam can.** 2073-2075.

### ART. II. — *De processus apostolici validitate diiudicanda.*

CAN. 2098.

**Processu apostolico ad Sacram Congregationem remisso, in primis de eiusdem processus validitate constare debet, simulque ad examen revocetur validitas processus informativi.**

CAN. 2099.

**Quare ante disceptationem paretur a causae advocato positio, quae constet :**

1.° **Informatione qua, productis documentis ad rem necessariis in processu contentis, omnia in eo ad normam iuris peracta fuisse demonstretur;**

2.° **Animadversionibus Promotoris generalis fidei contra validitatem, cum responsionibus advocati, utrisque ad normam can.** 2080 **exaratis.**

CAN. 2100.

§ 1. **Pro diiudicanda validitate processus habeatur congregatio, praesentibus Cardinali Sacrae Congregationis Praefecto, Cardinali Ponente et aliis tribus eiusdem Sacrae Congregationis Cardinalibus ab ipso Romano Pontifice electis, necnon Secretario, Protonotario Apostolico, Promotore generali fidei et Sub-promotore.**

§ 2. **In congregatione, referente Cardinali Ponente, praelati supradicti suum votum proferunt; et Promotor generalis fidei obiectiones, si quas habet, proponit.**

§ 3. **His omnibus discussis, Patres Cardinales iudicium ferant; quod si fuerit favorabile et a Summo Pontifice confirmatum, decretum de processus validitate fiat.**

### ART. III. — *De iudicio super heroicitate virtutum in specie vel super martyrio eiusque causa.*

CAN. 2101.

**Disceptatio virtutum non ante quinquaginta annos a morte Servi Dei inchoanda est.**

CAN. 2102.

**Tribus congregationibus disceptatur de Servi Dei virtutum heroicitate vel de eius martyrio eiusque causa; scilicet in antepraeparatoria, praeparatoria et generali.**

CAN. **2103.**

**§ 1. Praelati officiâtes et consultores in qualibet congregatione suffragia scripto proferunt.**

**§ 2. Postquam omnes praelati et consultores suffragium suum protulerint tum in congregatione antepraeparatoria tum in praeparatoria, singuli poterunt iterum declarare, antequam dimittatur congregatio, se a suffragio iam lato recedere.**

**§ 3. Conclusiones singulorum suffragiorum scripto mandentur a Secretario et secretae serventur; ipsa vero scripta suffragia Promotori generali fidei tradantur.**

CAN. **2104.**

**In causis confessorum discuti debet dubium : *an constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe, Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia, Fortitudine, earumque adnexis in gradu heroico in casu et ad effectum de quo agitur;* in causis vero martyrum : *an constet de martyrio eiusque causa et de signis seu miraculis in casu et ad effectum de quo agitur.***

CAN. **2105.**

**Congregatio antepraeparatoria habetur coram Cardinali Ponente una cum praelatis officialibus et consultoribus.**

CAN. **2106.**

**Pro congregatione antepraeparatoria paretur positio quae constet :**

**1.° Summario ex processu originali desumpto, quod ita conficiatur ut testimonia et documenta integra producantur;**

**2.° Advocati scriptura, qua ex dictis in summario vita et heroicitas virtutum Servi Dei, vel martyrium eiusque causa paucis illustrentur, omnino et diligentissime distinctis iis, quae tanquam argumenta ad probationem afferuntur et iis quae adducuntur potius tanquam adminiculum et auxilium probationis;**

**3.° Synopsi Promotoris generalis fidei de qua in can. 2079;**

**4.° Animadversionibus Promotoris generalis fidei et responsionibus advocati;**

**5.° Votis quae a revisoribus super scriptis Servi Dei conscripta sunt.**

CAN. **2107.**

**Ne fiat gradus a congregatione antepraeparatoria ad praeparatoriam quando duae ex tribus adstantium partibus negativum protulerint suffragium, nisi, re a Cardinali Praefecto ad Romanum Pontificem delata, is aliter faciendum duxerit.**

CAN. **2108.**

**Congregatio praeparatoria habetur ab omnibus Patribus Cardinalibus Sacrae Congregationis, assistentibus praelatis officialibus et consultoribus.**

CAN. **2109.**

**Positio pro congregatione praeparatoria confletur :**

**1.° Difficultatibus Promotoris generalis fidei;**

**2.° Difficultatibus quae a consultoribus in suis suffragiis propositae fuerint, si Promotori generali non spernendae videantur;**

**3.° Responsionibus advocati;**

**4.° Documentis nuper repertis sive pro causa sive contra causam, cum summariis additionalibus sive ad impugnationem sive ad defensionem.**

CAN. **2110.**

**§ 1. In congregatione praeparatoria Patres Cardinales, auditis, consultoribus, decernunt num ad ulteriora procedi possit.**

**§ 2. Secretario et Promotori generali fidei, etiam si rogati non fuerint, licet semper interloqui quo magis et quaestio fiat perspicua et facta illustrentur.**

CAN. **2111.**

**Post discussionem res Summo Pontifici deferatur a Cardinali Praefecto qui Sanctissimum certiorem faciat non solum de exitu discussionis, sed etiam de praecipuis rationibus quae hinc inde allatae sunt.**

CAN. 2112.

**Congregatio generalis habetur coram Sanctissimo, assistentibus Patribus Cardinalibus Sacrae Congregationis, praelatis officialibus et consultoribus.**

CAN. **2113.**

**Pro congregatione generali paratur novissima positio ad normam can. 2109, cui adiicienda est brevis relatio ex officio confecta eorum omnium quae in causa eousque acta sunt, nempe factum concordatum.**

CAN. **2114.**

**In congregatione generali iudicium an constet de heroicitate virtutum Servi Dei vel de martyrio eiusque causa, ipsi Summo Pontifici reservatur; consultores vero, praelati officiales et Patres Cardinales votum tantum consultivum ferunt.**

CAN. **2115.**

**§ 1. Mandante Sanctissimo, exaretur a Secretario Sacrae Congregationis decretum, quo, nomine Summi Pontificis, authentice declaretur Servi Dei virtutes omnes in gradu heroico vel martyrium bene esse probata : quod decretum publicetur tempore et modo a Sanctissimo praescribendis.**

**§ 2. Publicato hoc decreto, Servus Dei nuncupari potest *venerabilis;* qui tamen titulus nullam publici cultus permissionem importat.**

## ART. IV. — *De iudicio super Servi Dei miraculis in specie.*

CAN. 2116.

§ 1. **Praeter virtutum heroicitatem aut martyrium, ad beatificationem Servi Dei requiruntur miracula eius intercessione patrata.**

§ 2. **Verum, si de martyre agatur et evidenter constet de martyrio et causa martyrii tum materialiter tum formaliter spectati, sed deficiant miracula, Sacrae Congregationis est decidere an signa in casu sufficiant et, iis deficientibus, an supplicandum sit Sanctissimo pro dispensatione a signis in casu.**

CAN. 2117.

**Ad beatificationem Servorum Dei requiruntur duo tantum miracula, si testes oculati in utroque processu tum informativo tum apostolico probationem virtutum confecerint, vel si testes, in processu apostolico excussi, fuerint saltem ex auditu a videntibus; tria, si testes fuerint oculati in processu informativo et de auditu auditus in processu apostolico; quatuor, si in utroque processu de virtutibus constiterit per solos testes traditionis et per documenta.**

CAN. 2118.

§ 1. **Ad probationem miraculorum duo periti ex officio inducendi sunt initio discussionis; et si ambo fuerint concordes in reiiciendo miraculo, ad ulteriora ne procedatur.**

§ 2. **Cum saepissime in discussione miraculorum agatur de sanatione ab aliquo morbo diiudicanda, periti esse debent in re medica vel chirurgica celebriores, imo, cum fieri potest, ii eligantur, qui in morbis, de quibus in proposito miraculo agitur, dignoscendis et curandis singulari peritia sint praediti.**

CAN. 2119.

**Vota peritorum, breviter sed dilucide conscripta rationibusque f ulta, haec duo contineant, scilicet :**

1.° **Utrum, si de sanatione agatur, is qui eam consecutus dicitur, vere sanus haberi debeat;**

2.° **Utrum factum, tanquam miraculum propositum, per naturae leges explicari possit, necne.**

CAN. 2120.

**Miracula discutienda sunt in tribus congregationibus eodem plane modo qui supra pro virtutum heroicitate statutus est; discussioni vero in una eademque congregatione, excepta generali coram Sanctissimo, nunquam plura quam duo miracula subiiciantur.**

CAN. 2121.

**Positio pro congregatione antepraeparatoria constare debet :**

1.° **Informatione ab advocato conscripta;**

2.° **Summario depositionum testium;**

**3.° Duobus votis quae circa unumquodque miraculum pro veritate a peritis conscripta fuerint;**

**4.° Obiectionibus Promotoris generalis fidei;**

**5.° Responsionibus advocati.**

CAN.-**2122.**

**§ 1. Pro congregatione praeparatoria positio confletur quemadmodum in can. 2109 statutum est, addito voto peritorum ad normam § 2.**

**§ 2. Si in congregatione antepraeparatoria duo periti fuerint concordes in affirmando miraculo, tunc unus tantum pro congregatione praeparatoria designetur peritus; si unus tantum peritus pro miraculo steterit, tunc duo novi periti ex officio nominentur.**

**§ 3. Patribus Cardinalibus eiusdem Sacrae Congregationis semper ius esto plures, quam praescripti sunt, peritos designare, si hoc necessarium in casu iudicaverint.**

**§ 4. Licet tamen causae advocato auxilium adhibere alicuius periti in suis responsionibus concinnandis, excluso voto, uti aiunt, *ad opportunitatem.***

CAN. **2123.**

**Pro congregatione generali serventur praescripta can. 2113, 2114.**

CAN. **2124.**

**§ 1. Post decretum approbationis miraculorum nova fieri debet coram Summo Pontifice disceptatio super dubio : *An tuto procedi possit ad beatificationem Servi Dei.***

**§ 2. De hac, audita consultorum et Patrum Cardinalium sententia, Pontifex decernit, qui, cum voluerit, decretum hac de re conficiendum et promulgandum iubet.**

## TITULUS XXV.

### De processu beatificationis Servorum Dei per viam cultus* seu casus excepti.

CAN. **2125.**

**§ 1. Pro Servis Dei, qui post pontificatum Alexandri III et ante tempus a constitutione Urbaniana praefixum ex tolerantia cultum habuerunt, peti potest positiva approbatio Romani Pontificis.**

**§ 2. Ad hoc autem requiritur processus ad normam canonum qui sequuntur.**

CAN. **2126.**

**Ordinarius competens ad hunc processum instruendum est Ordinarius loci ubi cultus praestatur vel documenta cultus reperiuntur, salvo iure praeventionis si istiusmodi Ordinarii plures sint.**

CAN. 2127.

**Ad preces postulatoris Ordinarius debet:**

**1.° Scripta Servi Dei perquirere;**

**2.° Processum instruere super fama sanctitatis vitae, virtutum vel martyrii et miraculorum, quo respondeatur quaestionibus :** ***an in loco sit constans et communis fama et persuasio de sancta Servi Dei in terris conversatione vel de eius martyrio et martyrii causa necnon de miraculis ad eius intercessionem patratis; an ibidem de praesenti vigeat ipsius Servi Dei cultus et quibus obseqtiiis Servus Dei honoretur.***

CAN. 2128.

**His omnibus ad Sacram Congregationem transmissis ad normam can.** 2061-2063, **dubium :** ***An signanda sit commissio introductionis causae*** **in congregatione ordinaria discussioni Patrum Cardinalium subiicitur, referente Cardinali Ponente.**

CAN. 2129.

**Signata commissione, expediantur litterae remissoriales ad viros ab ipsa Sacra Congregatione designatos, ut ad tramitem iuris processus apostolicus instruatur super casu excepto et sententia a iudice delegato feratur.**

CAN. 2130.

**Ex processu probari debet tum cultus initium tum non interrupta eius continuatio usque ad sententiam delegati iudicis.**

CAN. 2131.

**Processu ad Sacram Congregationem transmisso et aperto parataque a causae advocato positione cum animadversionibus Promotoris generalis fidei et responsionibus ipsius patroni, in ordinaria congregatione proponatur dubium :** ***An confirmanda sit sententia iudicis delegati vel an ita constet de casu excepto ut ad ulteriora procedi possit.***

CAN. 2132. '

**Confirmatio sententiae iudicis delegati ex parte Romani Pontificis eam solam vim habet, ut probet factum immemorabilis cultus Servo Dei praestiti et usque ad sententiam perseverantis.**

CAN. 2133.

**Si sententia super casu excepto favorabilis fuerit et a Summo Pontifice approbata, expediantur litterae remissoriales ad conficiendum processum super virtutibus vel super martyrio eiusque causa secundum diversitatem causarum; et serventur praescripta can.** 2087-2115.

CAN. 2134.

**Edito decreto de facto cultus immemorabilis et de heroicitate virtutum vel de martyrio, Servus Dei habendus est aequipollenter beatifica-**

**tus, si eiusdem cultus confirmatio per decretum Romani Pontificis accesserit.**

CAN. **2135.**

**Servis Dei aequipollenter beatificatis iidem concedi possunt actus publici cultus, quibus honorari consueverunt formaliter beatificati.**

## TITULUS XXVI.

### De Beatorum canonizatione.

CAN. **2136.**

**Nemo potest alicuius canonizationem petere aut in eius honorem certos actus cultus a Sacra Congregatione impetrare nisi prius constiterit Servum Dei, de quo agitur, inter Beatos vel formaliter vel aequipollenter relatum esse.**

CAN. **2137.**

**§ 1. Ut Sacrae Congregationi de formali aut aequipollenti beatificatione an casu constet, authenticum documentum exhibendum est.**

**§ 2. Si documentum huiusmodi non habeatur, legitimus processus est instituendus ad probandum factum positivae permissionis cultus ex parte Romani Pontificis.** /

**§ 3. Processu absoluto, edatur in ordinaria congregatione sententia approbationi Romani Pontificis subiicienda.**

CAN. **2138.**

**§ 1. Ad canonizationem Beatorum qui formaliter beatificati sunt, requiritur approbatio duorum miraculorum, quae supervenerint post formalem beatificationem.**

**§ 2. Ad canonizationem vero Beatorum, qui aequipollenter fuerunt beatificati, requiritur approbatio trium miraculorum, quae post aequipollentem beatificationem patrata sint.**

CAN. **2139.**

**§ 1. Cum aliquod miraculum ad intercessionem alicuius Beati patratum dicitur, Sacra Congregatio ad instantiam postulatoris decretum edit, si id Sanctissimo placuerit, de resumenda causa et de novis processibus instruendis secundum normas in superioribus canonibus traditas.**

**§ 2. Probata validitate processuum, discussio de novis miraculis regitur iisdem legibus quae superius statutae sunt can. 2116-2124.**

CAN. **2140.**

**Post haec omnia, Romanus Pontifex, auditis votis Patrum Cardinalium et consultorum, si et quando opportunum iudicaverit, decretum fert, quo decernit tuto procedi posse ad sollemnem Beati canonizationem.**

CAN. **2141.**

**Sollemnis Beatorum canonizatio, postquam in Consistorio decreta fuerit, fit servatis ritibus et sollemnitatibus in Romana Curia receptis.**

# PARS TERTIA

## DE MODO PROCEDENDI IN NONNULLIS EXPEDIENDIS NEGOTIIS TEL SANCTIONIBUS POENALIBUS APPLICANDIS

CAN. 2142.

**In processibus de quibus infra, adhibeatur semper notarius, qui scripto consignet acta quae ab omnibus subscribi debent et in archivo servari.**

CAN. 2143.

§ 1. **Quoties monitiones praescribuntur, hae fieri debent vel oretenus coram cancellario aliove officiali Curiae aut duobus testibus, vel per epistolam ad normam can.** 1719.

§ 2. **Peractae monitionis eiusque tenoris documentum authenticum in actis servetur.**

§ 3. **Qui impedit quominus monitio ad se perveniat, habeatur pro monito.**

CAN. 2144.

§ 1. **Examinatores et consultores ac notarius debent, interposito ab initio processus iureiurando, servare secretum circa omnia quae ratione sui muneris noverint ac praesertim circa documenta occulta, disceptationes in consilio habitas, suffragiorum numerum ac motiva.**

§ 2. **Si huic praescripto minime paruerint, non solum a munere amoveri debent-, sed alia etiam condigna poena ab Ordinario, servatis servandis, plecti poterunt; ac praeterea damna, si qua inde secuta sint, sarcire tenentur.**

CAN. 2145.

§ 1. **In iis processibus summarie procedendum est; at duo vel tres testes sive ex officio arcessiti sive a parte inducti audiri non prohibentur, nisi Ordinarius, auditis parochis consultoribus seu examinatoribus, existimaverit partes eos inducere ad moras nectendas.**

§ 2. **Testes et periti, nisi iurati, ne admittantur.**

CAN. 2146.

§ 1. **A definitivo decreto unicum datur iuris remedium, idest recursus ad Sedem Apostolicam.**

§ 2. **Quo in casu ad Sanctam Sedem omnia acta processus transmittenda sunt.**

§ 3. **Pendente recursu, Ordinarius paroeciam vel beneficium quo clericus privatus sit, alii stabiliter conferre valide nequit.**

## TITULUS XXVII.

### De modo procedendi in remotione parochorum inamovibilem.

CAN. **2147.**

**§ 1. Parochus inamovibilis a sua paroecia amoveri potest ob causam, quae ipsius ministerium, etiam citra gravem suam culpam, noxium aut saltem inefficax reddit.**

**§ 2. Hae causae sunt praesertim quae sequuntur :**

**1.° Imperitia vel permanens infirmitas mentis aut corporis, quae parochum suis muneribus rite obeundis imparem reddit, si, iudicio Ordinarii, per vicarium adiutorem bono animarum provideri nequeat ad normam can. 475;**

**2.° Odium plebis, quamvis iniustum et non universale, dummodo tale sit, quod utile parochi ministerium impediat, nec brevi cessaturum praevideatur;**

**3.° Bonae existimationis amissio penes probos et graves viros, sive haec oriatur ex levi vivendi ratione parochi, sive ex antiquo eius crimine quod nuper detectum eximatur iam poena ob praescriptionem, sive ex facto familiarum et consanguineorum quibuscum parochus vivit nisi per eorum discessum bonae parochi famae sit satis provisum;**

**4.° Probabile crimen occultum, parocho imputatum, ex quo Ordinarius prudenter praevidet magnam in posterum oriri posse fidelium offensionem;**

**5.° Mala rerum temporalium administratio cum gravi ecclesiae aut beneficii damno, quoties huic malo remedium afferri nequeat sive auferendo administrationem parocho, sive alio modo, quamvis aliunde parochus spirituale ministerium utiliter exerceat.**

CAN. **2148.**

**§ 1. Quoties, prudenti Ordinarii iudicio, in unam ex causis de quibus in can. 2147 parochus incidisse videatur, ipsemet Ordinarius, auditis duobus examinatoribus et veritate gravitateque causae cum eis discussa, parochum scripto vel oretenus ad paroeciae renuntiationem intra certum tempus faciendam invitet, nisi agatur de parocho vitio mentis laborante.**

**§ 2. Invitatio, ut acta valeant, continere debet causam quae Ordinarium movet et argumenta quibus ipsa innititur.**

CAN. **2149.**

**§ 1. Si parochus intra praestitutos dies nec renuntiet nec dilationem postulet neque causas ad amotionem invocatas oppugnet, Ordinarius, postquam constiterit et invitationem ad renuntiandum, rite factam, parocho innotuisse et ipsum quominus responderet legitime impeditum non fuisse, eum statim a paroecia amoveat, quin teneatur praescripto can. 2154.**

**§ 2. Quod si non constet de superius indicatis duobus adiunctis, Ordinarius opportune provideat aut iterando invitationem ad renuntiandum aut prorogando tempus utile ad respondendum.**

CAN. **2150.**

**§ 1. Si parochus paroeciae renuntiet, Ordinarius paroeciam ex renuntiatione vacantem declaret.**

**§ 2. Potest vero parochus, loco causae ab Ordinario invocatae, aliam ad renuntiandum afferre sibi minus molestam vel minus gravem, dummodo vera et honesta sit ex. gr., ut obsequatur Ordinarii desideriis.**

**§ 3. Renuntiatio fieri potest non solum pure et simpliciter, sed etiam sub conditione, dummodo haec ab Ordinario legitime acceptari possit et reapse acceptetur, et firmo praescripto can. 186.**

CAN. **2151.**

**Parochus, si oppugnare velit causam adductam in invitatione, potest dilationem ad probationes afferendas postulare, quam Ordinarius pro suo prudenti arbitrio concedere potest, dummodo ne sit cessura in detrimentum animarum.**

CAN. **2.152.**

**§ 1. Rationes a parocho contra invitationem adductas Ordinarius, ut valide agat, auditis iisdem examinatoribus de quibus in can. 2148, § 1, perpendat, approbet aut reiiciat. ***

**§ 2. Decisio, sive affirmativa fuerit sive negativa, parocho significetur decreto.** • •

CAN. **2153.**

**§ 1. Contra decretum amotionis potest parochus intra decem dies recursum interponere apud eundem Ordinarium, qui, ne invalide agat, debet, auditis duobus parochis consultoribus, novas allegationes ab eodem parocho intra decem dies ab interposito recursu producendas, simul cum rationibus primo allatis, examinare, approbare aut reiicere.**

**§ 2. Parochus potest eos testes inducere ad normam can. 2145¿ § 1, quos prima vice se inducere non potuisse probaverit.**

**§ 3. Decisio decreto nota parocho fiat.**

CAN. **2154.**

**§ 1. Amoto parocho Ordinarius, examinatoribus vel parochis consultoribus, qui partem habuerunt in amotione decernenda, in consilium adscitis, pro viribus consulat sive translatione ad aliam paroeciam vel assignatione alius officii aut beneficii, si ad haec idoneus sit, sive pensione, prout casus ferat et adiuncta permittant.**

**§ 2. Ceteris paribus, in provisione favendum magis renuntianti quam amoto.**

CAN. **2155.**

**Negotium novae provisionis parochi amoti potest Ordinarius sive ipso amotionis decreto sive postea, quamprimum tamen, expedire.**

CAN. 2156.

§ 1. **Sacerdos a paroecia amotus debet quamprimum liberam relinquere paroecialem domum, et omnia quae ad paroeciam pertinent novo parocho vel oeconomo ab Ordinario interim deputato tradere.**

§ 2. **Si autem de infirmo agatur qui e paroeciali domo sine incommodo nequit alio transferri, Ordinarius eidem relinquat eius usum etiam exclusivum, eadem necessitate durante.**

## TITULUS XXVIII.

### De modo procedendi in remotione parochorum amovibilium.

CAN. 2157.

§ 1. **Parochus quoque amovibilis a sua paroecia amoveri potest ex iusta et gravi causa ad normam can.** 2147.

§ 2. **Ad parochos religiosos quod attinet, servetur praescriptum can.** 454, § 5.

CAN. 2158.

**Si Ordinarius aliquam ex his causis adesse existimaverit, parochum paterne moneat atque hortetur ut paroeciae renuntiet, causam indicans, quae paroeciale ipsius ministerium fidelibus noxium aut saltem inefficax reddit.**

CAN. 2159.

**Firmo praescripto can.** 2149, **si parochus renuat, rationes in scriptis reddat, quas Ordinarius, ut valide procedat, perpendere debet una cum duobus examinatoribus.**

CAN. 2160.

**Si, auditis examinatoribus, Ordinarius allatas rationes legitimas non iudicaverit, paternas iteret hortationes ad parochum, comminata amotione, si intra congruum definitum tempus paroeciam sponte non dimittat.**

CAN. 2161.

§ 1. **Expleto praefinito tempore, quod pro sua prudentia prorogare potest, Ordinarius decretum amotionis emittat.**

§ 2. **Parocho autem renuntianti aut amoto providere tenetur ad normam can.** 2154-2156.

## TITULUS XXIX.

### De modo procedendi in translatione parochorum.

CAN. 2162.

**Si bonum animarum postulet ut parochus a sua, quam utiliter regit, ad aliam paroeciam transferatur, Ordinarius eidem translationem proponat ac suadeat ut eidem pro Dei atque animarum amore consentiat.**

CAN. 2163.

§ 1. **Parochum inamovibilem Ordinarius invitum transferre nequit, nisi speciales facultates a Sède Apostolica obtinuerit.**

§ 2. **Parochus vero amovibilis, si paroecia *ad quam* non sit ordinis nimio inferioris, etiam invitus transferri potest, servatis tamen praescriptis canonum qui sequuntur.**

CAN. 2164.

**Si parochus consilio ac suasionibus Ordinarii non obsequatur, rationes in scriptis exponat.**

CAN. 2165.

**Ordinarius, si, non obstantibus allatis causis, iudicet a proposito non esse recedendum, debet, ut valide agat, super eisdem causis audire duos parochos consultores, et cum eisdem perpendere adiuncta in quibus versatur tum paroecia *a qua tum* paroecia *ad quam*, et rationes quae translationis utilitatem aut necessitatem suadent.**

CAN. 2166.

**Si, auditis parochis, Ordinarius translationem peragendam censeat, paternas exhortationes iteret ut parochus voluntati sui Superioris morem gerat.**

CAN. 2167.

§ 1. **His peractis, si parochus adhuc renuat et Ordinarius adhuc putet translationem esse faciendam, parocho praecipiat ut intra certum tempus ad novam se conferat paroeciam, eidem in scriptis significans, elapso praefinito tempore, paroeciam, quam in praesens obtinet, ipso facto vacaturam esse.**

§ 2. **Hoc tempore inutiliter transacto, paroeciam vacantem declaret.**

## TITULUS XXX.

### De modo procedendi contra clericos non residentes.

CAN. 2168.

§ .1. **Parochum, canonicum aliumve clericum, qui residentiae legem, qua ratione beneficii tenetur, negligat, Ordinarius moneat, et interim, si agatur de parocho, eiusdem impensis provideat ne salus animarum detrimentum patiatur.**

§ 2. **In monitione Ordinarius recolat poenas quas incurrunt clerici non residentes itemque praescriptum can.** 188, **n.** 8, **et clerico significet ut intra congruum tempus ab eodem Ordinario definiendum residentiam instauret.**

CAN. 2169.

**Si intra praestitutum terminum clericus nec residentiam instauret nec absentiae causas afferat, Ordinarius, servato praescripto can.** 2149, **declaret paroeciam aliudve beneficium vacare.**

CAN. 2170.

**Si clericus residentiam instauret, Ordinarius, non modo debet, si absentia illegitima fuerit, ei infligere privationem fructuum pro tempore**

**absentiae, de qua in can. 2381, sed potest etiam, si casus ferat, pro gravitate culpae eum congrue punire.**

CAN. 2171.

**Si clericus residentiam non instauret, sed absentiae causas afferat, Ordinarius, accitis duobus examinatoribus et institutis, si opus fuerit, opportunis investigationibus, videre debet num causae sint legitimae.**

CAN. 2172.

**Si, auditis examinatoribus, Ordinarius censeat adductas causas non esse legitimas, rursus clerico praefigat terminum intra quem redire debet, salva semper privatione fructuum pro tempore absentiae.**

CAN. 2173.

**Si parochus amovibilis intra praescriptum tempus non redierit, Ordinarius statim procedere potest ad paroeciae privationem; si redierit, Ordinarius det ei praeceptum ne rursus discedat sine scripta sua licentia sub poena privationis paroeciae ipso facto incurrenda.**

CAN. 2174.

§ 1. **Si clericus, qui beneficium inamovibile obtinet, residentiam non instauret, sed novas alleget deductiones, Ordinarius eas cum eisdem examinatoribus ad examen revocet ad normam can.** 2171. ^

§ 2. **Si nec ipsae legitimae habitae fuerint, posthabitis quibusvis aliis deductionibus, Ordinarius clerico praecipiat ut intra tempus praescriptum vel iterum praescribendum redeat sub poena privationis beneficii ipso facto incurrenda.**

§ 3. **Si non redeat, Ordinarius eum beneficio privatum declaret; si redeat, Ordinarius idem det praeceptum de quo in can.** 2173.

CAN. '2175.

**Neutro in casu Ordinarius beneficium vacare declaret, nisi postquam, perpensis una cum examinatoribus discessus¡ rationiWs quas clericus fòrte allegaverit, eiusdem Ordinarii licentiam in scriptis ab eodem clerico peti potuisse constiterit.**

## TITULUS XXXI.

### De modo procedendi contra clericos concubinarius.

- CAN. 2176.

**Ordinarius clericum qui contra praescriptum can.** 133 **mulierem suspectam secum habeat aut quoquo modo frequentet, moneat ut eam dimittat vel ab eadem frequentanda sese abstineat, comminatis poenis in clericos concubinarius can.** 2359 **statutis.**

CAN. 2177.

**Si clericus neque praecepto pareat, neque respondeat, Ordinarius, postquam sibi constiterit id clericum praestare potuisse :**

1.° **Eum suspendat a divinis;**

2.° **Parochum praeterea statim paroecia privet;**

3.° **Clericum vero qui aliud beneficium sine animarum cura habet,, si, exacto bimestri tempore a suspensione, sese non emendaverit, privet dimidia parte fructuum beneficii; post alios tres menses, omnibus beneficii fructibus; post alios tres menses, ipsomet beneficio.**

CAN. 2178.

**Si clericus non obediat, sed causas excusationis adducat, Ordinarius debet super eisdem audire duos examinatores.**

CAN. 2179.

**Si, auditis examinatoribus, Ordinarius existimaverit allatas causas non esse legitimas, id clerico quamprimum significet eique det formale praeceptum ut intra breve tempus a se definiendum pareat.**

CAN. 2180.

**Parochum amovibilem inobedientem Ordinarius statim ad normam can.** 2177 **coercere potest; si vero agatur de clerico qui, beneficium inamovibile obtinens, non paret, sed novas allegat deductiones, Ordinarius eas ad examen revocet ad normam can.** 2178.

CAN. 2181.

**Si ne eae quidem iudicentur legitimae, Ordinarius clerico rursus praecipiat ut intra congruum tempus mandato obtemperet; quo tempore inutiliter transacto, procedat ad normam can.** 2177.

## TITULUS XXXII.

### De modo procedendi contra parochum in adimplendis paroecialibus officiis negligentem.

* V-JV'^ CAN. 2182.

**Parochum qui officia paroecialia de quibus in can.** 467, 468, 1178, 1330-1331, 1341, **graviter neglexerit aut violaverit, Episcopus moneat, in memoriam eius revocans et strictam obligationem qua eius conscientia oneratur et poenas in haec delicta iure statutas.**

CAN. 2183.

**Si parochus sese non emendaverit, Episcopus eum corripiat et aliqua congrua poena pro gravitate culpae puniat, postquam, auditis duobus examinatoribus et facta parocho sese defendendi facultate, probatum iudicaverit praedicta paroecialia officia etiam atque etiam per notabile**

**tempus in re gravis momenti praetermissa aut violata fuisse et eorundem omissiones aut violationes nulla iusta causa excusari.**

CAN. **2184.**

**Si et correptio et punitio in irritum cesserint, Ordinarius, probata, ad* normam can. 21S3, perseverante ac culpabili officiorum paroecialium omissione vel violatione in re gravi, parochum amovibilem sua paroecia statim privare potest; parochum vero inamovibilem beneficii fructibus, pauperibus ab Ordinario distribuendis, pro gravitate culpae in totum vel ex parte privet.**

CAN. **2185.**

**Mala voluntate persistente ac probata, ut supra, Ordinarius etiam parochum inamovibilem e sua paroecia removeat.**

## TITULUS XXXIII.

### De modo procedendi in suspensione ex informata conscientia infligenda.

CAN. **2186.**

**§ 1. Ordinariis licet ex informata conscientia clericos suos subditos suspendere ab officio sive ex parte sive etiam in totum. ;**

**§ 2. Extraordinarium hoc remedium adhibere non licet, si Ordinarius potest sine gravi incommodo ad iuris normam in subditum procedere.**

CAN. **2187.**

**Ad ferendam hanc suspensionem neque formae iudiciales neque canonicae monitiones requiruntur; sed satis est si Ordinarius, servato praescripto canonum qui sequuntur, simplici decreto declaret se suspensionem indicere.**

CAN. **2188.**

**Huiusmodi decretum detur in scriptis, nisi adiuncta aliud exigant, designato die, mense et anno; in eoque :**

**1.° Expresse dicatur suspensionem ferri ex informata conscientia seu ex causis ipsi Ordinario notis;**

**2.° Indicetur tempus durationis poenae; abstineat autem Ordinarius ab ipsa infligenda in perpetuum. Potest vero infligi etiam tanquam censura, dummodo hoc in casu clerico patefiat causa propter quam suspensio irrogatur;**

**3.° Clare indicentur actus qui prohibentur, si suspensio non in totum sed ex parte infligatur.**

CAN. **2189.**

**§ 1. Si clericus suspensus sit ab officio in quo alius in eius locum substituendus est, ut, ex. gr., oeconomus in cura animarum, qui substituitur mercedem ex fructibus beneficii percipiat secundum prudens Ordinarii iudicium determinandam.**

§ 2. **Clericus suspensus, si se gravatum senserit, potest imminutionem pensionis petere ab immediato Superiore qui in via iudiciaria esset iudex appellationis.**

CAN. 2190.

**Ordinarius, qui fert suspensionem ex informata conscientia, debet ex peractis investigationibus tales collegisse probationes, quae eum certum reddant clericum delictum revera perpetrasse et quidem adeo grave ut eiusmodi poena coercendus sit.**

CAN. 2191.

§ 1. **Suspensioni ex informata conscientia iustam ac legitimam causam praebet delictum occultum ad normam can.** 2197.

§ 2. **Ob notorium delictum suspensio ex informata conscientia nunquam ferri potest.**

§ 3. **Ut delictum publicum suspensione ex informata conscientia plecti possit, occurrat necesse est aliquod ex adiunctis quae sequuntur :**

1.° **Si testes probi et graves delictum quidem Ordinario patefaciant, sed nulla ratione induci possint ut de eo testimonium in iudicio ferant, neque aliis probationibus delictum iudiciali processu evinci possit;**

2.° **Si ipsemet clericus minis aut aliis adhibitis mediis impediat ne processus iudiciarius instituatur aut inceptus perficiatur;**

3.° **Si processui iudiciali conficiendo ferendaeque sententiae impedimenta exoriantur ex adversis civilibus legibus aut gravi scandali periculo.**

CAN. 2192.

**Suspensio ex informata conscientia valet si ex pluribus delictis unum tantum fuerit occultum.**

CAN. 2193.

**Prudenti Ordinarii arbitrio relinquitur suspensionis causam seu delictum clerico patefacere aut reticere, pastorali tamen adhibita sollicitudine et caritate, ut, si delictum clerico manifestare censuerit, poena, ex paternis quae interposuerit monitis, nedum ad expiationem culpae, verum etiam ad emendationem delinquentis et ad occasionem peccati eliminandam inserviat.**

CAN. 2194.

**Si clericus recursum a suspensione sibi inflicta interponat, Ordinarius ad Sedem Apostolicam mittere debet probationes quibus constet clericum delictum revera perpetrasse quod extraordinaria hac poena puniri queat.**

# LIBER QUINTUS

# DE DELICTIS ET POENIS

## PARS PRIMA

## DE DELICTIS

### TITULUS-1.

### De natura delicti eiusque divisione.

CAN. **2195.**

**§ 1. Nomine delicti, iure ecclesiastico, intelligitur externa et moraliter imputabilis legis violatio cui addita sit sanctio canonica Faltern indeterminata.**

**§ 2. Nisi ex adiunctis aliud appareat, quae dicuntur de delictis, applicantur etiam violationibus praecepti cui poenalis sanctio adnexa sit.**

CAN. **2196.**

**Qualitas delicti desumenda est ex obiecto legis; quantitas vero dimetienda non solum ex diversa gravitate legis laesae, sed etiam ex maiore minoreve imputabilitate aut damno illato.**

- CAN. **2197..**

**Delictum est :**

**1.° *Publicum,* si iam divulgatum est aut talibus contigit seu versatur in adiunctis ut prudenter iudicari possit et debeat facile divulgatum iri;** '

**2.° *"Notorium notorietate iuris,* post sententiam iudicis competentis quae in rem iudicatam transierit aut post confessionem delinquentis in iudicio factam ad normam can. 1750;**

**3.° *Notorium notorietate facti,* si publice notum sit et in talibus adiunctis commissam, ut nulla tergiversatione celari nulloque iuris suffragio excusari possit;**

***à.°* *Occultum,* quod non est publicum; *occultum materialiter,* si lateat delictum ipsum; *occultum formaliter,* si eiusdem imputabilitas.**

CAN. **2198.**

**Delictum quod unice laedit Ecclesiae legem, natura sua, sola ecclesiastica auctoritas persequitur, requisito interdum, ubi eadem auctoritas**

**necessarium vel opportunum indicaverit, auxilio brachii saecularis; delictum quod unice laedit legem societatis civilis, iure proprio, salvo praescripto can.** 120, **punit civilis auctoritas, licet etiam Ecclesia sit in illud competens ratione peccati; delictum quod laedit utriusque societatis legem, ab utraque potestate puniri potest.**

## TITULUS II.

### De imputabilitate delicti, de causis illam aggravantibus vel minuentibus et de iuridicis delicti effectibus.

CAN. 2199.

**Imputabilitas delicti pendet ex dolo delinquentis vel ex eiusdem culpa in ignorantia legis violatae aut in omissione debitae diligentiae; quare omnes causae quae augent, minuunt, tollunt dolum aut culpam, eo ipso augent, minuunt, tollunt delicti imputabilitatem.**

CAN. 2200.

§ 1. **Dolus heic est deliberata voluntas violandi legem, eique opponitur ex parte intellectus defectus cognitionis et ex parte voluntatis defectus libertatis.**

§ 2. **Posita externa legis violatione, dolus in foro externo praesumitur, donec contrarium probetur.**

CAN. 2201.

§ 1. **Delicti sunt incapaces qui actu carent usu rationis.**

§ 2. **Habitualiter amentes, licet quandoque lucida intervalla habeant, vel in certis quibusdam ratiocinationibus vel actibus sani videantur, delicti tamen incapaces praesumuntur.**

**§ 3. Delictum in ebrietate voluntaria commissum aliqua imputabilitate non vacat, sed ea minor est quam cum idem delictum committitur ab eo qui sui plene compos sit, nisi tamen ebrietas apposite ad delictum patrandum vel excusandum quaesita sit; violata autem lege in ebrietate involuntaria, imputabilitas exsulat omnino, si ebrietas usum rationis adimat ex toto; minuitur, si ex parte tantum. Idem dicatur de aliis similibus mentis perturbationibus.**

**§ 4. Debilitas mentis delicti imputabilitatem minuit, sed non tollit omnino.**

CAN. 2202.

**§ 1. Violatio legis ignoratae nullatenus imputatur, si ignorantia fuerit inculpabilis; secus imputabilitas minuitur plus minusve pro ignorantiae ipsius culpabilitate.**

§ 2. **Ignorantia solius poenae imputabilitatem delicti non tollit, sed aliquantum minuit.**

**§ 3. Quae de ignorantia statuuntur, valent quoque de inadvertentia et errore.**

CAN. 2203.

**§ 1. Si quis legem violaverit ex omissione debitae diligentiae, imputabilitas minuitur pro modo a prudenti iudice ex adiunctis determinando; quod si rem praevident, et nihilominus cautiones ad eam evitandam omiserit, quas diligens quivis adhibuisset, culpa est proxima dolo.**

§ 2. **Casus fortuitus qui praevideri vel cui praeviso occurri nequit, a qualibet imputabilitate eximit.**

CAN. 2204.

**Minor aetas, nisi aliud constet, minuit delicti imputabilitatem eoque magis quo ad infantiam propius accedit.**

CAN. 2205.

**§ 1. Vis physica quae omnem adimit agendi facultatem, delictum prorsus excludit.**

§ 2. **Metus quoque gravis, etiam relative tantum, necessitas, imo et grave incommodum, plerumque delictum, si agatur de legibus mere ecclesiasticis, penitus tollunt.**

§ 3. **Si vero actus sit intrinsece maius aut vergat in contemptum fidei vel ecclesiasticae auctoritatis vel in animarum damnum, causae, de quibus in §** 2, **delicti imputabilitatem minuunt quidem, sed non auferunt.**

**§ 4. Causa legitimae tutelae contra iniustum aggressorem, si debitum servetur moderamen, delictum omnino aufert; secus imputabilitatem tantummodo minuit, sicut etiam causa provocationis.**

CAN. 2206.

**Passio, si fuerit voluntarie et deliberate excitata vel nutrita, imputabilitatem potius auget; secus eam minuit plus minusve pro diverso passionis aestu; et omnino tollit, si omnem mentis deliberationem et voluntatis consensum praecedat et impediat.**

CAN. 2207.

**Praeter alia adiuncta aggravantia, delictum augetur :**

**1.° Pro maiore dignitate personae quae delictum committit, aut quae delicto offenditur;**

2.° **Ex abusu auctoritatis vel officii ad delictum patrandum.**

CAN. 2208.

**§ 1. Recidivus sensu iuris est qui post condemnationem rursus committit delictum eiusdem generis et in talibus rerum ac praesertim temporis adiunctis ut eiusdem pertinacia in mala voluntate prudenter coniici possit.**

§ 2. **Qui pluries deliquerit etiam diverso in genere, suam auget culpabilitatem.**

CAN. 2209.

**§ 1. Qui communi delinquendi consilio simul physice concurrunt in delictum, omnes eodem modo rei habentur, nisi adiuncta alicuius culpabilitatem augeant vel minuant.**

§ 2. **In delicto quod sua natura complicem postulat, unaquaeque pars est eodem modo culpabilis, nisi ex adiunctis aliud appareat.**

§ 3. **Non solum mandans qui est principalis delicti auctor, sed etiam qui ad delicti consummationem inducunt vel in hanc quoquo modo concurrunt, non minorem, ceteris paribus, imputabilitatem contrahunt, quam ipse delicti exsecutor, si delictum sine eorum opera commissum non fuisset.**

**§ 4. Si vero eorum concursus facilius tantum reddidit delictum, quod etiam sine eorundem concursu commissum fuisset, minorem imputabilitatem secumfert.**

§. 5. **Qui suum influxum in delictum patrandum opportuna retractatione abduxerit plene, ab omni imputabilitate liberatur, etiamsi exsecutor delictum ob alias causas sibi proprias nihilominus patraverit; si non abduxerit plene, retractatio minuit, sed non aufert culpabilitatem.**

**§ 6. Qui in delictum concurrit suum dumtaxat officium negligendo, imputabilitate tenetur proportionata obligationi qua adigebatur ad delictum suo officio impediendum.**

**§ 7. Delicti patrati laudatio, fructuum participatio, delinquentis occultatio et receptatio aliive actus delictum iam plene absolutum subsequentes, nova delicta constituere possunt, si nempe poena in lege plectantur; sed, nisi cum delinquente de illis actibus ante delictum conventum fuerit, non secumferunt delicti patrati imputabilitatem.**

CAN. 2210.

**§ 1. Ex delicto oritur :**

1.° **Actio poenalis ad poenam declarandam vel infligendam et ad satisfactionem petendam;**

2.° **Actio civilis ad reparanda damna, si cui delictum damnum intulerit.**

§ 2. **Utraque actio explicatur ad normam can.** 1552-1959; **et idem iudex in criminali iudicio potest ad instantiam partis laesae civilem actionem ad examen revocare et definire.**

CAN. 2211.

**Omnes qui in delictum concurrunt ad normam can.** 2209, § 1-3 **obligatione tenentur in solidum expensas et damna resarciendi quae ex delicto quibuslibet personis obvenerint, licet a iudice pro rata damnati.**

## TITULUS III.
## De conatu delicti.

CAN. 2212.

**§ 1. Quicunque actus posuerit vel praetermiserit qui ad exsecutionem delicti natura sua conducunt, sed delictum non consummaverit, sive quia consilium suum deseruit, sive quia delictum propter insufficientiam vel ineptitudinem mediorum perficere non potuit,** ***delicti conatum*** **committit.**

**§ 2. Cum omnes actus positi vel omissi sunt qui ad exsecutionem delicti natura sua conducunt et ad delictum perficiendum sufficiunt, si ex alia causa, praeter voluntatem agentis, effectum sortiti non sint, delicti conatus dicitur proprio Domine delictum *frustratum.***

**§ 3. Conatui delicti accedit actio illius qui alium ad delictum committendum inducere studuerit, sed inefficaciter.**

**§ 4. Si conatus delicti peculiari poena in lege mulctetur, verum constituit delictum.**

CAN. **2213.**

**§ 1. Delicti conatus suam habet imputabilitatem, eo maiorem, quo magis ad consummationem accedit, quanquam minorem prae delicto consummato, salvo praescripto § 3.**

**§ 2. Delictum frustratum magis culpabile est, quam simplex delicti conatus.**

**§ 3. Ab omni imputabilitate liberatur qui sponte ab incepta delicti exsecutione destiterit, si nullum ex conatu damnum aut scandalum ortum sit.**

# PARS SECUNDA

# DE POEIIS

SECTIO I.

## De poenis in genere. «

CAN. **2214.**

**§ 1. Nativum et proprium Ecclesiae ius est, independens a qualibet humana auctoritate, coercendi delinquentes sibi subditos poenis tum spiritualibus tum etiam temporalibus.**

**§ 2. Prae oculis autem habeatur monitum Conc. Trid., *sess. XIII, de ref., cap. 1:* « Meminerint Episcopi aliique Ordinarii se pastores non percussores esse, atque ita praeesse sibi subditis oportere, ut non in eis dominentur, sed illos tanquam filios et fratres diligant elaborentque ut hortando et monendo ab illicitis deterreant, ne, ubi deliquerint, debitis eos poenis coercere cogantur; quos tamen si quid per humanam fragilitatem peccare contigerit, illa Apostoli est ab eis servanda praeceptio ut illos arguant, obsecrent, increpent in omni bonitate et patientia, cum saepe plus erga corrigendos agat benevolentia quam austeritas, plus exhortatio quam comminatio, plus caritas quam potestas; sin autem ob delicti gravitatem virga opus erit, tunc cum mansuetudine rigor, cum misericordia iudicium, cum lenitate severitas adhibenda est, ut sine asperitate disciplina, populis salutaris ac necessaria, conservetur et qui correcti fuerint, emendentur aut, si resipiscere noluerint, ceteri, salubri in eos animadversionis exemplo, a vitiis deterreantur ».**

## TITULUS IV.

### De poenarum notione, speciebus, interpretatione *u.',''"** applicatione.

CAN. 2215.

**Poena ecclesiastica est privatio alicuius boni ad delinquentis correctionem et delicti punitionem a legitima auctoritate inflicta.**

CAN. 2216.

**In Ecclesia delinquentes plectuntur :**

1.° **Poenis medicinalibus seu censuris;**

2.° **Poenis vindicativis;**

3.° **Remediis poenalibus et poenitentiis.**

CAN. 2217.

§ 1. **Poena dicitur :**

1.° ***Determinata,* si in ipsa lege vel praecepto taxative statuta sit; *indeterminata,* si prudenti arbitrio iudicis vel Superioris relicta sit sive praeceptivis sive facultativis verbis;**

2.° ***Latae sententiae,* si poena determinata ita sit addita legi vel praecepto ut incurratur ipso facto commissi delicti; *ferendae sententiae,* si a iudice vel Superiore infligi debeat;**

3.° ***A iure,* si poena determinata in ipsa lege statuatur, sive latae sententiae sit sive ferendae; *ab homine,* si feratur per modum praecepti peculiaris vel per sententiam iudicialem condemnatoriam, etsi in iure statuta; quare poena ferendae sententiae, legi addita, ante sententiam condemnatoriam est *a iure tantum,* postea *a iure* simul et *ab homine,* sed consideratur tanquam *ab homine.***

§ 2. **Poena intelligitur semper ferendae sententiae, nisi expresse dicatur eam esse *latae sententiae* vel *ipso facto* seu *ipso iure* contrahi, vel nisi alia similia verba adhibeantur.**

CAN. 2218.

§ 1. **In poenis decernendis servetur aequa proportio cum delicto, habita ratione imputabilitatis, scandali et damni; quare attendi debent non modo obiectum et gravitas legis, sed etiam aetas, scientia, institutio, sexus, conditio, status mentis delinquentis, dignitas personae quae <ielicto offenditur, aut quae delictum committit, finis intentus, locus et tempus quo delictum commissum est, num ex passionis impetu vel ob gravem metum delinquens egerit, num eum delicti poenituerit eiusdemque malos effectus evitare ipse studuerit, aliaque similia.**

§ 2. **Non solum quae ab omni imputabilitate excusant, sed etiam quae a gravi, excusant pariter a qualibet poena tum latae tum ferendae sententiae etiam in foro externo, si pro foro externo excusatio evincatur.**

§ 3. **Mutua iniuria compensatur, nisi una pars propter maiorem iniuriae ab eadem illatae gravitatem damnari debeat, deminuta, si casus ferat, poena.**

CAN. 2219.

§ 1. **In poenis benignior est interpretatio facienda.**

§ 2. **At si dubitetur utrum poena, a Superiore competente inflicta, sit iusta, necne, poena servanda est in utroque foro, excepto casu appellationis in suspensivo.**

§ 3. **Non licet poenam de persona ad personam vel de casu ad casum producere, quamvis par adsit ratio, imo gravior, salvo tamen praescripto can.** 2231.

## TITULUS V.

### De Superiore potestatem coactivam habente.

CAN. 2220.

§ 1. **Qui pollent potestate leges ferendi vel praecepta imponendi, possunt quoque legi vel praecepto poenas adnectere; qui iudiciali tantum, possunt solummodo poenas, legitime statutas, ad normam iuris applicare.**

§ 2. **Vicarius Generalis sine mandato speciali non habet potestatem infligendi poenas.**

CAN. 2221.

**Legislativam habentes potestatem, possunt intra limites suae iurisdictionis, non solum legem a se vel a decessoribus latam, sed etiam, ob peculiaria rerum adiuncta, legem tam divinam, quam ecclesiasticam a superiore potestate latam, in territorio vigentem, congrua poena munire aut poenam lege statutam aggravare.**

CAN. 2222.

§ 1. **Licet lex nullam sanctionem appositam habeat, legitimus tamen Superior potest illius transgressionem, etiam sine praevia poenae comminatione, aliqua iusta poena punire, si scandalum forte datum aut specialis transgressionis gravitas id ferat; secus reus puniri nequit, nisi prius monitus fuerit cum comminatione poenae latae vel ferendae sententiae in casu transgressionis, et nihilominus legem violaverit.**

§ 2. **Pariter idem legitimus Superior, licet probabile tantum sit delictum fuisse commissum aut delicti certe commissi poenalis actio praescripta sit, non solum ius, sed etiam officium habet non promovendi clericum de cuius idoneitate non constat, et, ad scandalum evitandum, prohibendi clerico exercitium sacri ministerii aut etiam eundem ab officio, ad normam iuris, amovendi; quae omnia in casu non habent rationem poenae.**

CAN. 2223.

§ 1. **In poenis applicandis iudex nequit poenam determinatam augere, nisi extraordinaria adiuncta aggravantia id exigant.**

**§ 2. Si lex in statuenda poena ferendae sententiae facultativis verbis utatur, committitur prudentiae et conscientiae iudicis eam infligere, vel, si" poena fuerit determinata, temperare.**

**§ 3. Si vero lex utatur verbis praeceptivis, ordinarie poena infligenda est; sed conscientiae et prudentiae iudicis vel Superioris committitur :**

**1.° Poenae applicationem ad tempus magis opportunum differre, si ex praepropera rei punitione maiora mala eventura praevideantur;**

**2.° A poena infligenda abstinere, si reus perfecte fuerit emendatus, et scandalum reparaverit, aut sufficienter punitus sit vel puniendus praevideatur poenis auctoritate civili sancitis;**

**3.° Poenam determinatam temperare vel loco ipsius aliquod remedium poenale adhibere aut aliquam poenitentiam iniungere, si detur circumstantia imputabilitatem notabiliter minuens, vel habeatur quidem rei emendatio aut inflicta a civili auctoritate castigatio, sed iudex vel Superior opportunam praeterea ducat mitiorem aliquam punitionem.**

**§ 4. Poenam latae sententiae declarare generatim committitur prudentiae Superioris; sed sive ad instantiam partis cuius interest, sive bono communi ita exigente, sententia declaratoria dari debet.**

### CAN. 2224.

**§ 1. Ordinarie tot poenae quot delicta.**

**§ 2. Si tamen propter numerum delictorum nimius esset poenarum infligendarum cumulus, prudenti iudicis arbitrio relinquitur aut poenam omnium graviorem infligere, addita, si res ferat, aliqua poenitentia vel remedio poenali, aut poenas intra aequos terminos moderari, habita ratione numeri et gravitatis delictorum.**

**§ 3. Si poena constituta sit tum in conatum delicti tum in delictum consummatum, hoc admisso, infligi tantum debet poena in consummatum delictum statuta.**

### CAN. 2225.

**Si poena declaretur vel infligatur per sententiam iudicialem, serventur canonum praescripta circa sententiae iudicialis pronuntiationem; si vero poena latae vel ferendae sententiae inflicta sit ad modum praecepti particularis, scripto aut coram duobus testibus ordinarie declaretur vel irrogetur, indicatis poenae causis, salvo praescripto can. 2193.**

## TITULUS VI.

### De subiecto coactivae potestati obnoxio.

### CAN. 2226.

**§ 1. Poenae adnexae legi aut praecepto obnoxius est qui lege aut praecepto tenetur, nisi expresse eximatur.**

**§ 2. Licet lex poenalis posterior obroget anteriori, si tamen delictum, quando lex posterior lata est, iam commissum erat, applicanda est lex reo favorabilior.**

§ 3. **Quod si lex posterior tollat legem vel poenam tantum, haec statim cessat, nisi agatur de censuris iam contractis.**

§ 4. **Poena reum ubique terrarum tenet, etiam resoluto iure Superioris, nisi aliud expresse caveatur.**

CAN. 2227.

§ 1. **Poena nonnisi a Romano Pontifice infligi aut declarari potest in eos de quibus in can.** 1557, § 1.

§ 2. **Nisi expresse nominentur, S. R. E. Cardinales sub lege poenali non comprehenduntur, nec Episcopi sub poenis latae sententiae suspensionis et interdicti.**

CAN. 2228.

**Poena lege statuta non incurritur, nisi delictum fuerit in suo genere perfectum secundum proprietatem verborum legis. ..**

CAN. 2229.

§ 1. **A nullis latae sententiae poenis ignorantia afiectata sive legis sive solius poenae excusat, licet lex verba de quibus in §** 2 **contineat.**

§ 2. **Si lex habeat verba :** ***praesumpserit, ausus fuerit, scienter, studiose, temerarie, consulto egerit*** **aliave similia quae plenam cognitionem ac deliberationem exigunt, quaelibet imputabilitatis imminutio sive ex parte intellectus sive ex parte voluntatis eximit a poenis latae sententiae.**

§ 3. **Si lex verba illa non habeat :**

1.° **Ignorantia legis aut etiam solius poenae, si fuerit crassa vel supina, a nulla poena latae sententiae eximit : si non fuerit crassa vel supina, excusat a. medicinalibus, non autem a vindicativis latae sententiae poenis;**

2.° **Ebrietas, omissio debitae diligentiae, mentis debilitas, impetus passionis, si, non obstante imputabilitatis deminutione, actio sit adhuc graviter culpabilis, a poenis latae sententiae non excusant;**

3.° **Metus gravis,.si delictum vergat in contemptum fidei aut ecclesiasticae auctoritatis vel in publicum animarum damnum, a poenis latae sententiae nullatenus eximit.**

§ 4. **Licet reus censuris latae sententiae ad normam §** 3, **n.** 1 **non teneatur, id tamen non impedit quominus, si res ferat, congrua alia poena vel poenitentia affici queat.**

CAN. 2230.

**Impuberes excusantur a poenis latae sententiae, et potius punitionibus educativis, quam censuris aliisve poenis gravioribus vindicativis corrigantur; puberes vero qui eos ad legem violandam induxerint vel cum eis in delictum concurrerint ad normam can.** 2209, §§ 1-3, **ipsi quidem poenam lege statutam incurrunt.**

- CAN. 2231.

**Si plures ad delictum perpetrandum concurrerint, licet unus tantum in lege nominetur, ii quoque de quibus in can.** 2209, §§ 1-3, **tenentur, nisi**

**lex aliud expresse caverit, eadem poena; ceteri vero non item, sed alia iusta poena pro prudenti' Superioris arbitrio puniendi sunt, nisi lex peculiarem poenam in ipsos constituat.**

### CAN. 2232.

**§ 1. Poena latae sententiae, sive medicinalis sive vindicativa, delinquentem, qui delicti sibi sit conscius, ipso facto in utroque foro tenet; ante sententiam tamen declaratoriam a poena observanda delinquens excusatur quoties eam servare sine infamia nequit, et in foro externo ab eo eiusdem poenae observantiam exigere nemo potest, nisi delictum sit notorium, firmo praescripto can. 2223, § 4.**

**§ 2. Sententia declaratoria poenam ad momentum commissi delicti retrotrahit.**

### CAN. 2233.

**§ 1. Nulla poena infligi potest, nisi certo constet delictum commissum fuisse et non esse legitime praescriptum.**

**§ 2. Licet id legitime constet, si agatur de infligenda censura, reus reprehendatur ac moneatur ut a contumacia recedat ad normam can. 2242, § 3, dato, si prudenti eiusdem iudicis vel Superioris arbitrio casus id ferat, congruo ad resipiscentiam tempore; contumacia persistente, censura infligi potest.**

### CAN. 2234.

**Qui plura delicta commisit, non modo gravius puniri, sed si, prudenti iudicis arbitrio, res id ferat, subiici etiam debet vigilantiae vel alii remedio poenali.**

### CAN. 2235. .

**Delictum frustratum aut conatus delicti, nisi tanquam distincta delicta lege plectantur, possunt congrua poena pro gravitate puniri, salvo praescripto can. 2213, § 3.**

## TITULUS VII.

### De poenarum remissione.

### CAN. 2236.

**§ 1. Remissio poenae sive per absolutionem, si agatur de censuris, sive per dispensationem, si de poenis vindicativis, concedi tantum potest ab eo qui poenam tulit, vel ab eius competente Superiore aut successore, vel ab eo cui haec potestas commissa est.**

**§ 2. Qui potest a lege eximere, potest quoque poenam legi adnexam remittere.**

**§ 3. Iudex qui ex officio applicat poenam a Superiore constitutam, eam semel applicatam remittere nequit.**

CAN 2237.

§ 1. **In casibus publicis potest Ordinarius poenas latae sententiae iure communi statutas remittere, exceptis :**

1.° **Casibus ad forum contentiosum deductis;**

2.° **Censuris de quibus in §** 2;

3.° **Poenis degradationis, depositionis, inhabilitatis ad beneficia, officia, dignitates, munera in Ecclesia, vocem activam et passivam eorumve privationis, suspensionis perpetuae, infamiae iuris, privationis iuris patronatus et privilegii seu gratiae a Sede Apostolica concessae.**

§ 2. **In casibus vero occultis, firmo praescripto can.** 2254 **et** 2289, **potest Ordinarius poenas latae sententiae iure communi statutas per se vel per alium remittere, exceptis censuris specialissimo vel speciali modo Sedi Apostolicae reservatis.**

CAN. 2238.

**Poenae remissio, vi aut metu gravi extorta, ipso iure irrita est.-**

CAN. 2239.

**§ 1. Poena valide remitti potest praesenti vel absenti, absolute vel sub conditione, in foro externo vel interno tantum.**

§ 2. **Licet poena etiam oretenus remitti possit, si tamen scripto inflicta fuerit, expedit ut etiam eius remissio scriptis concedatur.**

CAN. 2240.

**Ad praescriptionem actionis poenalis quod attinet, servetur dispositio can.** 1703.

SECTIO II.

# De poenis in specie.

## TITULUS VIII.

### De poenis medicinalibus seu de censuris.

CAPUT I.

### *De censuris in genere.*

CAN. 2241.

§ 1. **Censura est poena qua homo baptizatus, delinquens et contumax, quibusdam bonis spiritualibus vel spiritualibus adnexis privatur, donec, a contumacia recedens, absolvatur.**

§ 2. **Censurae, praesertim latae sententiae, maxime excommunicatio, ne infligantur, nisi sobrie et magna cum circumspectione.**

CAN. 2242.

§ 1. **Censura punitur tantummodo delictum externum, grave, consummatum, cum contumacia coniunctum; potest autem ferri censura etiam in delinquentes ignotos.**

**§ 2. Si agatur de censuris ferendae sententiae, contumax est qui, non obstantibus monitionibus de quibus in can. 2233, § 2, a delicto non desistit vel patrati delicti poenitentiam cum debita damnorum et scandali reparatione agere detrectat; ad incurrendam vero censuram latae sententiae sufficit transgressio legis vel praecepti cui sit adnexa latae sententiae poena, nisi reus legitima causa ab hac excusetur.**

**§ 3. Contumaciam desiisse dicendum est, cum reum vere delicti commissi poenituerit et simul ipse congruam satisfactionem pro damnis et scandalo dederit aut saltem serio promiserit; iudicare autem utrum poenitentia vera sit, satisfactio congrua aut eiusdem promissio seria, necne, illius est, a quo censurae absolutio petitur.**

CAN. **2243.**

**§ 1. Censurae inflictae per sententiam iudicialem, statim ac latae fuerint, exsecutionem secumferunt, nec ab eis datur appellatio, nisi in devolutivo; item a censuris ad modum praecepti inflictis datur recursus, sed in devolutivo tantum.**

**§ 2. Appellatio vero vel recursus a sententia iudiciali vel praecepto comminante censuras etiam latae sententiae nondum contractas, nec sententiam aut praeceptum nec censuras suspendunt, si agatur de re in qua ius non admittit appellationem vel recursum etiam cum effectu suspensivo; secus censuras suspendunt, firma tamen obligatione servandi id quod sententia aut praecepto mandatur, nisi reus appellationem vel recursum interposuerit non a sola poena, sed ab ipsa quoque sententia vel praecepto.**

CAN. **2244.**

**§ 1. Non solum diversae, sed etiam eiusdem speciei censura potest in eodem subiecto multiplicari.**

**§ 2. Censura latae sententiae multiplicatur :**

**1.° Si diversa delicta, quorum singula censuram secumferunt, eadem vel distincta actione committantur;**

**2.° Si idem delictum, censura punitum, pluries repetatur ita ut plura sint delicta distincta;**

**3.° Si delictum, diversis censuris a distinctis Superioribus punitum, semel aut pluries committatur.**

**§ 3. Censura ab homine multiplicatur, si plura praecepta vel plures sententiae vel plures dictinctae partes eiusdem praecepti aut sententiae suam quaeque censuram infligant.**

CAN. **2245.**

**§ 1. Censurae aliae sunt *reservatae,* aliae *non reservatae.***

**§ 2. Censura *ab homine* est reservata ei qui censuram inflixit aut sententiam tulit, eiusve Superiori competenti, vel successori aut delegato; ex censuris vero *a iure* reservatis aliae sunt reservatae *Ordinario,* aliae *Apostolicae Sedi.***

**§ 3. E reservatis Apostolicae Sedi aliae sunt *reservatae simpliciter,* aliae *speciali modo,* aliae *specialissimo modo.***

§ 4. **Censura latae sententiae non est reservata, nisi in lege vel praecepto id expresse dicatur; et in dubio sive iuris sive facti reservatio non urget.**

CAN. 2246.

**§ 1. Ne reservetur censura, nisi attenta peculiari gravitate delictorum et necessitate aptius providendi disciplinae ecclesiasticae et medendi conscientiis fidelium.**

§ 2. **Reservatio strictam recipit interpretationem.**

§ 3. **Reservatio censurae impedientis receptionem Sacramentorum importat reservationem peccati cui censura adnexa est; verum si quis a censura excusatur vel ab eadem fuit absolutus, reservatio peccati penitus cessat.**

CAN. 2247.

**§ 1. Si censura Sedi Apostolicae reservata sit, Ordinarius nequit aliam censuram sibi reservatam in idem delictum ferre.**

§ 2. **Reservatio censurae in particulari territorio vim suam extra illius territorii fines non exserit, etiamsi censuratus ad absolutionem obtinendam e territorio egrediatur; censura vero ab homine est ubique locorum reservata ita ut censuratus nullibi absolvi sine debitis facultatibus possit.**

§ 3. **Si confessarius, ignorans reservationem, poenitentem a censura ac peccato absolvat, absolutio censurae valet, dummodo ne sit censura ab homine aut censura specialissimo modo Sedi Apostolicae reservata.**

CAN. 2248.

**§ 1. Quaelibet censura, semel contracta, tollitur tantum legitima absolutione.**

f 2. **Absolutio denegari nequit cum primum delinquens a contumacia recesserit ad normam can.** 2242, § 3; **a censura autem absolvens, potest, si res ferat, pro patrato delicto congruam vindicativam poenam vel poenitentiam infligere.**

§ 3. **Censura, per absolutionem sublata, non reviviscit, nisi in casu quo onus impositum sub poena reincidentiae impletum non fuerit.**

CAN. 2249.

**§ 1. Si quis pluribus censuris detineatur, potest ab una absolvi, ceteris minime absolutis.**

§ 2. **Petens absolutionem, debet casus omnes indicare, secus absolutio valet tantum pro casu expresso; quod si absolutio, quamvis particularis petitio facta sit, fuerit generalis, valet quoque pro reticitis bona fide, excepta censura specialissimo modo Sedi Apostolicae reservata, non autem pro reticitis mala fide.**

CAN. 2250.

**§ 1. Si agatur de censura quae non impedit Sacramentorum receptionem, censuratus, rite dispositus et a contumacia recedens, potest absolvi a peccatis, firma censura.**

**§ 2. Si vero agatur de censura quae impedit Sacramentorum receptionem, censuratus nequit absolvi a peccatis, nisi prius a censura absolutus fuerit.**

**§ 3. Absolutio censurae in foro sacramentali continetur in consueta forma absolutionis peccatorum in libris ritualibus praescripta; in foro non sacramentali quolibet modo dari potest, sed ad excommunicationis absolutionem regulariter formam adhiberi convenit in eisdem libris traditam;**

CAN. **2251.**

**Si absolutio censurae detur in foro externo, utrumque forum afficit; si in interno, absolutus, remoto scandalo, potest uti talem se habere etiam in actibus fori externi; sed, nisi concessio absolutionis probetur aut saltem legitime praesumatur in foro externo, censura potest a Superioribus fori externi, quibus reus parere debet, urgeri, donec absolutio in eodem foro habita fuerit.**

CAN. **2252.**

**Qui in periculo mortis constituti, a sacerdote, specialis facultatis experte, receperunt absolutionem ab aliqua censura ab homine vel a censura specialissimo modo Sedi Apostolicae reservata, tenentur, postquam convaluerint, obligatione recurrendi, sub poena reincidentiae, ad illum qui censuram tulit, si agatur de censura ab homine; ad S. Poenitentiariam vel ad Episcopum aliumve facultate praeditum, ad normam can. 2254, § 1, si de censura a iure; eorumque mandatis parendi.**

CAN. **2253.**

**Extra mortis periculum possunt absolvere :**

**1.° A censura non reservata, in foro sacramentali quilibet confessarius; extra forum sacramentale quicunque iurisdictionem in foro externo habeat in reum;**

**2.° A censura *ab homine,* ille, cui censura reservata est ad normam can. 2245, § 2; ipse autem potest absolutionem concedere, etiamsi reus alio domicilium vel quasi-domicilium transtulerit;**

**3.° A censura *a iure reservata,* ille qui censuram constituit vel cui reservata est, eorumque successores aut competentes Superiores aut delegati. Quare a censura reservata *Episcopo* vel *Ordinario,* quilibet Ordinarius absolvere potest suos subditos, loci vero Ordinarius etiam peregrinos; a reservata *Sedi Apostolicae,* haec aliive qui absolvendi potestatem ab ea impetraverint sive generalem, si censura *simpliciter reservata* sit, sive specialem, si *reservata speciali modo,* sive denique specialissimam, si *reservata specialissimo modo,* salvo praescripto can. 2254.**

CAN, **2254.**

**§ 1. In casibus urgentioribus, si nempe censurae latae sententiae exterius servari nequeant sine periculo gravis scandali vel infamiae, aut si durum sit poenitenti in statu gravis peccati permanere per tempus necessarium ut Superior competens provideat, tunc quilibet confessarius**

**in foro sacramentali ab eisdem, quoquo modo reservatis, absolvere potest, iniuncto onere recurrendi, sub poena reincidentiae, intra mensem saltem per epistolam et per confessarium, si id fieri possit sine gravi incommodo, reticito nomine, ad S. Poenitentiariam vel ad Episcopum aliumve Superiorem praeditum facultate et standi eius mandatis.**

**§ 2. Nihil impedit quominus poenitens, etiam post acceptam, ut supra, absolutionem, facto quoque recursu ad Superiorem, alium adeat confessarium facultate praeditum, ab eoque, repetita confessione saltem delicti cum censura, consequatur absolutionem; qua obtenta, mandata ab eodem accipiat, quin teneatur postea stare aliis mandatis ex parte Superioris supervenientibus.**

**§ 3. Quod si in casu aliquo extraordinario hic recursus sit moraliter impossibilis, tunc ipsemet confessarius, excepto casu quo agatur de absolutione censurae de qua in can. 2368, § 1, potest absolutionem concedere sine onere de quo supra, iniunctis tamen de iure iniungendis, et imposita congrua poenitentia et satisfactione pro censura, ita ut poenitens, nisi intra congruum tempus a confessario praefiniendum poenitentiam egerit ac satisfactionem dederit, recidat in censuram.**

## CAPUT II.

## *De censuris in specie.*

### CAN. 2255.

**§ 1. Censurae sunt :**

**1.° Excommunicatio;**

**2.° interdictum;**

**3.° Suspensio.**

**§ 2. Excommunicatio afficere potest tantum personas physicas, et ideo, si quando feratur in corpus morale, intelligitur singulos afficere qui in delictum concurrerint; interdictum et suspensio, etiam communitatem, ut personam moralem; excommunicatio et interdictum, etiam laicos; suspensio, clericos tantum; interdictum, etiam locum; excommunicatio est semper censura; interdictum et suspensio possunt esse vel censurae vel poenae vindicativae, sed in dubio praesumuntur censurae.**

### CAN. 2256.

**In canonibus qui sequuntur :**

**1.° Nomine divinorum officiorum intelliguntur functiones potestatis ordinis, quae de instituto Christi vel Ecclesiae ad divinum cultum ordinantur et a solis clericis fieri queunt;**

**2.° Nomine autem actuum legitimorum ecclesiasticorum significantur : munus administratoris gerere bonorum ecclesiasticorum; partes agere iudicis, auditoris et relatoris, defensoris vinculi, promotoris iustitiae et fidei, notarii et cancellarii, cursoris et apparitoris, advocati et procuratoris in causis ecclesiasticis; munus patrini** AGERE **in sacramentis baptismi et confirmationis; suffragium ferre in electionibus ecclesiasticis; ius patronatus exercere.**

ART. I. — *De excommunicatione.*

CAN. 2257.

§ 1. **Excommunicatio est censura qua quis excluditur a communione fidelium cum effectibus qui in canonibus, qui sequuntur, enumerantur, quique separari nequeunt.**

§ 2. **Dicitur quoque *anathema,* praesertim si cum sollemnitatibus infligatur quae in Pontificali Romano describuntur.**

CAN. 2258.

§ 1. **Excommunicati alii sunt *vitandi,* alii *tolerati.***

§ 2. **Nemo est vitandus, nisi fuerit nominatim a Sede Apostolica excommunicatus, excommunicatio fuerit publice denuntiata et in decreto vel sententia expresse dicatur ipsum vitari debere, salvo praescripto can.** 2343, § 1, **n.** 1.

CAN. 2259.

§ 1. **Excommunicatus quilibet caret iure assistendi divinis ofiiciis, non tamen praedicationi verbi Dei.**

§ 2. **Si passive assistat toleratus, non est necesse ut expellatur; si vitandus, expellendus est, aut, si expelli nequeat, ab officio cessandum, dummodo id fieri possit sine gravi incommodo; ab assistentia vero activa, quae aliquam secumferat participationem in celebrandis divinis ofiiciis, repellatur non solum vitandus, sed etiam quilibet post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam aut alioquin notorie excommunicatus.**

CAN. 2260.

§ 1. **Nec potest excommunicatus Sacramenta recipere; imo post sententiam declaratoriam aut condemnatoriam nec Sacramentalia.**

§ 2. **Quod attinet ad ecclesiasticam sepulturam, servetur praescriptum can.** 1240, § 1,**-n.** 2.

CAN. 2261.

§ 1. **Prohibetur excommunicatus licite Sacramenta et Sacramentalia conficere et ministrare, salvis exceptionibus quae sequuntur.**

§ 2. **Fideles, salvo praescripto §** 3, **possunt ex qualibet iusta causa ab excommunicato Sacramenta et Sacramentalia petere, maxime si alii ministri desint, et tunc excommunicatus requisitus potest eadem ministrare neque ulla tenetur obligatione causam a requirente percontandi.**

§ 3. **Sed ab excommunicati s vitandis necnon ab aliis excommunicatis, postquam intercessit sententia condemnatoria aut declaratoria, fideles in solo mortis periculo possunt petere tum absolutionem sacramentalem ad normam can.** 2252, **tum etiam, si alii desint ministri, cetera Sacramenta et Sacramentalia.**

CAN. 2262.

§ 1. **Excommunicatus non fit particeps indulgentiarum, suffragiorum, publicarum Ecclesiae precum.**

§ 2. **Non prohibentur tamen :**

1.° **Fideles privatim pro eo orare;**

2.° **Sacerdotes Missam privatim ac* remoto scandalo pro eo applicare; sed, si sit vitandus, pro eius conversione tantum.**

CAN. 2263.

**Remoretur excommunicatus ab actibus legitimis ecclesiasticis intra fines suis in locis iure definitos; nequit in causis ecclesiasticis agere, nisi ad* normam can.** 1654; **prohibetur ecclesiasticis officiis seu muneribus fungi, concessisque antea ab Ecclesia privilegiis frui.**

CAN. 2264.

**Actus iurisdictionis tam fori externi quam fori interni positus ab excommunicato est illicitus; et, si lata fuerit sententia condemnatoria vel declaratoria, etiam invalidus, salvo praescripto can.** 2261, § 2; **secus est validus, imo etiam licitus, si a fidelibus petitus sit ad normam mem. can.** 2261, § 2.

CAN. 2265.

**§ 1. Quilibet excommunicatus :**

1.° **Prohibetur iure eligendi, praesentandi, nominandi;**

2.° **Nequit consequi dignitates, officia, beneficia, pensiones ecclesiasticas aliudve munus in Ecclesia;**

3.° **Promoveri nequit ad ordines.**

§ 2. **Actus tamen positus contra praescriptum §** 1, **nn.** 1, 2, **non est nullus, nisi positus fuerit post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam; quod si haec sententia lata fuerit, excommunicatus nequit praeterea gratiam ullam pontificiam valide consequi, nisi in pontificio rescripto mentio de excommunicatione fiat.**

CAN. 2266.

**Post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam excommunicatus manet privatus fructibus dignitatis, officii, beneficii, pensionis, muneris, si quod habeat in Ecclesia; et vitandus ipsamet dignitate, officio, beneficio, pensione, munere.**

CAN. 2267.

**Communionem in profanis cum excommunicato vitando fideles vitare debent, nisi agatur de coniuge, parentibus, liberis, famulis, subditis, et generatim nisi rationabilis causa excuset.**

## ART. II. — *De interdicto.*

CAN. 2268.

§ 1. **Interdictum est censura qua fideles, in communione Ecclesiae permanentes, prohibentur sacris quae in canonibus, qui sequuntur, enumerantur.**

§ 2. **Prohibitio fit vel directe per interdictum personale, cum per-**

**sonis ipsis usus eorum bonorum interdicitur; vel indirecte per interdictum locale, cum certis in locis eorundem dispensatio vel perceptio vetatur.**

CAN. **2269.**

**§ 1. Generale interdictum tam locale in territorium dioecesis, reipublicae, quam personale in populum dioecesis, reipublicae, ferri tantum potest a Sede Apostolica vel de eius mandato; interdictum vero generale in paroeciam vel paroeciae populum, et particulare sive locale sive personale, etiam Episcopus ferre potest.**

**§ 2. Interdictum personale sequitur personas ubique; locale non urget extra locum interdictum, sed in loco interdicto omnes etiam exteri aut exempti, excluso speciali privilegio, illud servare debent.**

CAN. **2270.**

**§ 1. Interdictum locale sive generale sive particulare non vetat moventibus Sacramenta et Sacramentalia, servatis servandis, ministrare, sed prohibet in loco quodlibet divinum officium vel sacrum ritum, salvis exceptionibus de quibus in § 2 huius canonis et in can. 2271, 2272.**

**§ 2. In die Nativitatis Domini, Paschatis, Pentecostes, sanctissimi Corporis Christi et Beatae Mariae Virginis in caelum assumptae interdictum locale suspenditur, et prohibetur tantum collatio ordinum et sollemnis nuptiarum benedictio.**

CAN. **2271.**

**Si interdictum fuerit locale generale et interdicti decreto aliud non caveatur expresse :**

**1.° Permittitur clericis, dummodo non sint ipsi personaliter interdicti, omnia divina officia et sacros ritus in quacunque ecclesia aut oratorio privatim obire, ianuis clausis, voce submissa et campanis non pulsatis;**

**2.° In ecclesia vero cathedrali, ecclesiis paroecialibus vel in ecclesia quae unica sit in oppido, in iisque solis, permittuntur unius Missae celebratio, asservatio sanctissimi Sacramenti, administratio baptismatis, Eucharistiae, poenitentiae, assistentia matrimoniis, exclusa benedictione nuptiali, mortuorum exsequiae, vetita tamen quavis sollemnitate, benedictio aquae baptismalis et sacrorum oleorum, praedicatio verbi Dei. In his tamen sacris functionibus prohibetur cantus et pompa in sacra supellectili et sonitus campanarum, organorum, aliorumve instrumentorum musicalium; sacrum autem Viaticum ad infirmos privatim deferatur.**

CAN. **2272.**

**§ 1. In interdicto locali particulari, si interdictum fuerit altare vel sacellum alicuius ecclesiae, nullum sacrum officium seu sacer ritus in eisdem celebretur.**

**§ 2. Si interdictum fuerit coemeterium, fidelium quidem cadavera sepeliri ibidem possunt, sed sine ullo ecclesiastico ritu.**

**§ 3. Si latum fuerit in certam ecclesiam vel oratorium :**

**1.° Si ecclesia fuerit capitularis nec interdictum sit Capitulum, valet praescriptum can. 2271, n. 1, nisi interdicti decretum praecipiat Missam conventualem celebrari *ei* horas canonicas recitari in alia ecclesia aut oratòrio;**

**2.° Si fuerit paroecialis, servetur praescriptum cit. can. 2271, n. 2, nisi interdicti decretum aliam ecclesiam pro interdicti tempore eidem substituat.**

CAN. **2273.**

> **Interdicta civitate, interdicta quoque manent loca accessoria etiam exempta et ipsa ecclesia cathedralis; interdicta ecclesia, interdicta sunt sacella contigua, non vero coemeterium; interdicto sacello, non est interdicta integra ecclesia nec, interdicto coemeterio, interdicta est ecclesia ipsi contigua, sed interdicta sunt omnia oratoria in coemeterio erecta.**

CAN. **2274.**

**§ 1. Si communitas seu collegium delictum perpetraverit, interdictum ferri potest vel in singulas personas delinquentes, vel in communitatem, uti talem, vel in personas delinquentes et in communitatem.**

**§ 2. Si primum, servetur praescriptum can. 2275.**

**§ 3. Si alterum, communitas seu collegium nequit ius ullum spirituale exercere quod ei competat.**

**§ 4. Si tertium, effectus cumulantur.**

CAN. **2275.**

**Personaliter interdicti :**

**1.° Nequeunt divina officia celebrare eisve, excepta praedicatione verbi Dei, assistere; passive assistentes non est necesse ut expellantur; sed**
* **ab assistentia activa, quae aliquam secumferat participationem in divinis officiis celebrandis, repellantur interdicti post latam sententiam condemnatoriam vel declaratoriam, aut alioquin notorie interdicti;**

**2.° Prohibentur Sacramenta et Sacramentalia ministrare, conficere et recipere, ad normam can. 2260, 2261;**

**3.° Praescripto can. 2265 etiam ipsi adstringuntur;**

**4.° Carent sepultura ecclesiastica ad normam can. 1240, § 1, n. 2.**

CAN. **2276.**

**Qui interdicto locali vel interdicto in communitatem seu collegium subest, quin eidem causam dederit, nec alia censura prohibeatur, potest, si sit rite dispositus, Sacramenta recipere, ad normam "canonum praecedentium, sine absolutione ab interdicto aliave satisfactione.**

CAN. **2277.**

**Interdictum ab ingressu ecclesiae secumfert prohibitionem ne quis in ecclesia divina officia celebret vel eisdem assistat aut ecclesiasticam sepulturam habeat; si autem assistat, non est necesse ut expelía tur, nec, si sepeliatur, oportet ut cadaver amoveatur.**

## ART. III. — De *suspensione.*

### CAN. 2278.

§ 1. Suspensio est censura qua clericus officio vel beneficio vel utroque prohibetur.

§ 2. Etiam suspensionis effectus separari queunt; sed, nisi aliud constet, in *suspensione* generaliter lata comprehenduntur omnes effectus qui in canonibus huius articuli enumerantur; contra, in suspensione *ab officio* vel *a beneficio* omnes tantum effectus alterutrius speciei.

### CAN. 2279.

§ 1. Suspensio *ab officio* simpliciter, nulla adiecta limitatione, vetat omnem actum tum potestatis ordinis et iurisdictionis, tum etiam merae administrationis ex officio competentis, excepta administratione bonorum proprii beneficii.

§ 2. Suspensio :

1.° *A iurisdictione* generatim, vetat omnem actum potestatis iurisdictionis pro utroque foro tam ordinariae quam delegatae;

2.° *A divinis,* omnem actum potestatis ordinis quam quis sive per sacram ordinationem sive per privilegium obtinet;

3.° *Ab ordinibus,* omnem actum potestatis ordinis receptae per ordinationem;

4.° *A sacris ordinibus,* omnem actum potestatis ordinis receptae per ordinationem in sacris;

5.° *A certo et definito ordine exercendo,* omnem actum ordinis designati; suspensus autem prohibetur insuper eundem ordinem conferre et superiorem recipere receptumque post suspensionem exercere;

6.° *A certo et definito ordine conferendo,* ipsum ordinem conferre, non vero inferiorem nec superiorem;

7.° *A certo et definito ministerio,* ex. gr., audiendi confessiones, vel *officio,* ex. gr., cum cura animarum, omnem actum eiusdem ministerii vel officii;

8.° *Ab ordine pontificali,* omnem actum potestatis ordinis episcopalis;

9.° *A pontificalibus,* exercitium actuum pontificalium, ad normam can. 337, § 2.

### CAN. 2280.

§ 1. Suspensio *a beneficio* privat fructibus beneficii, excepta habitatione in aedibus beneficialibus, non autem iure administrandi bona beneficialia, .nisi decretum vel sententia suspensionis ipsam administrandi potestatem suspenso expresse adimat et alii tribuat.

§ 2. Si, quamvis censura obstet, beneficiarius fructus percipiat, fructus restituere debet et ad hanc restitutionem cogi potest canonicis quoque, si opus sit, sanctionibus.

CAN. **2281.**

*Suspensio* generaliter lata vel suspensio *ab officio* aut *a beneficio* afficit omnia officia aut beneficia, quae clericus habet in dioecesi Superioris suspendentis, nisi aliud appareat.

CAN. **2282.**

Loci Ordinarius nequit clericum suspendere a determinato officio vel beneficio quod in aliena dioecesi reperiatur; sed suspensio latae sententiae, iure communi irrogata, afficit omnia officia vel beneficia in quacunque dioecesi possideantur.

CAN. **2283.**

Quae de excommunicatione can. 2265 statuuntur, etiam suspensioni sunt applicanda.

CAN. **2284.**

Si incursa fuerit censura suspensionis quae vetat administrationem Sacramentorum et Sacramentalium, servetur praescriptum can. 2261; si censura suspensionis quae prohibet actum iurisdictionis in foro seu interno seu externo, actus est invalidus, ex. gr., absolutio sacramentalis, si lata sit sententia condemnatoria vel declaratoria, aut Superior expresse declaret se ipsam iurisdictionis potestatem revocare; secus est illicitus tantum, nisi a fidelibus petitus fuerit ad normam mem. can. 2261, § 2.

CAN. **2285.**

§ 1. Si communitas seu collegium clericorum delictum commiserit, suspensio ferri potest vel in singulas personas delinquentes vel in communitatem, uti talem, vel in personas delinquentes et communitatem.

§ 2. Si primum, serventur huius articuli canones.

§ 3. Si alterum, communitas prohibetur exercitio iurium spiritualium quae ipsi, uti communitati, competunt.

§ 4. Si tertium, effectus cumulantur.

## TITULUS IX.

### De poenis vindicativis.

CAN. **2286.**

Poenae vindicativae illae sunt, quae directe ad delicti expiationem tendunt ita ut earum remissio e cessatione contumaciae delinquentis non pendeat.

CAN. **2287.**

Ab inflictis poenis vindicativis datur appellatio seu recursus in suspensivo, nisi aliud expresse in iure caveatur.

CAN. **2288.**

Exceptis poenis degradationis, depositionis, privationis officii aut beneficii, et nisi urgeat nécessitas reparandi scandalum, prudentiae iudi-

**eis remittitur, si reus talis sit ut prima vice post vitam laudabiliter peractam deliquerit, poenae ordinariae per sententiam condemnatoriam inflictae exsecutionem suspendere, ea tamen conditione ut, si reus intra proximum triennium aliud delictum eiusdem vel alterius generis commiserit, poenam utrique delicto debitam luat.**

CAN. 2289.

**Poena vindicativa finitur eius expiatione vel dispensatione ab eo concessa qui legitimam ' habeat dispensandi .potestatem ad normam can. 2236.**

CAN. 2290.

**§ 1. In casibus occultis urgentioribus, si ex observatione poenae vindicativae latae sententiae, reus ^seipsum proderet cum infamia et scandalo, quilibet confessarius potest in foro sacramentali obligationem servandae poenae suspendere, iniuncto onere recurrendi saltem intra mensem per epistolam et per confessarium, si id fieri possit sine gravi incommodo, reticito nomine, ad S. Poenitentiariam vel ad Episcopum facultate praeditum et standi eius mandatis.**

**§ 2. Et si in aliquo casu extraordinario hic recursus sit impossibilis, tunc ipsemet confessarius potest dispensationem concedere ad normam can. 2254, § 3.**

CAPUT I.

*De poenis vindicativis communibus.*

CAN. 2291.

**Poenae vindicativae quae omnes fideles pro delictorum gravitate afficere possunt, in Ecclesia praesertim sunt :**

**1.° Interdictum locale et interdictum in communitatem seu collegium in perpetuum vel ad tempus praefinitum vel ad beneplacitum Superioris;**

**2.° Interdictum ab ingressu ecclesiae in perpetuum vel ad tempus praefinitum vel ad beneplacitum Superioris;**

**. 3.° Poenalis translatio vel suppressio sedis episcopalis vel paroecialis;**

**4.° Infamia iuris;**

**5.° Privatio sepulturae ecclesiasticae, ad normam can. 1240, § 1;**

**6.° Privatio Sacramentalium;**

**7.° Privatio vel suspensio ad tempus pensionis quae ab Ecclesia vel ex bonis Ecclesiae solvitur, vel alius iuris seu privilegii ecclesiastici;**

**8.° Remotio ab actibus legitimis ecclesiasticis exercendis;**

**9.° Inhabilitas ad gratias ecclesiasticas aut munia in Ecclesia quae statum clericalem non requirant, vel ad gradus academicos auctoritate ecclesiastica consequendos;**

**10.° Privatio vel suspensio ad tempus muneris, facultatis vel gratiae iam obtentae;**

11.° **Privatio iuris praecedentiae vel vocis activae et passivae vel iuris ferendi titulos honoris, vestem, insignia, quae Ecclesia concesserit;**

12.° **Muleta pecuniaria.**

CAN. 2292.

**Poenalis suppressio aut translatio sedis episcopalis est Romano Pontifici reservata; sedis autem paroecialis, a locorum Ordinariis decerni nequit, nisi cum consilio Capituli.**

CAN. 2293.

§ 1. **Infamia est vel iuris vel facti.**

§ 2. **Infamia iuris illa est quae casibus iure communi expressis statuitur.**

§ 3. **Infamia facti contrahitur, quando quis, ob patratum delictum vel ob pravos mores, bonam existimationem apud fideles probos et graves amisit, de quo iudicium spectat ad Ordinarium.**

§ 4. **Neutra afficit delinquentis consanguineos aut affines, firmo praescripto can.** 2147, § 2, **n.** 3.

CAN. 2294.

**§ 1. Qui infamia iuris laborat, non solum est irregularis ad normam can. 984, n. 5, sed insuper est inhabilis ad obtinenda beneficia, pensiones, officia et dignitates ecclesiasticas, ad actus legitimos ecclesiasticos perficiendos, ad exercitium iuris aut muneris ecclesiastici, et tandem arceri debet a ministerio in sacris functionibus exercendo.**

§ 2. **Qui laborat infamia facti, repelli debet tum a recipiendis ordinibus ad normam can.** 987, **n.** 7, **dignitatibus, beneficiis, officiis ecclesiasticis, tum ab exercendo sacro ministerio et ab actibus legitimis ecclesiasticis.**

CAN. 2295.

**Infamia iuris desinit sola dispensatione a Sede Apostolica concessa; infamia facti cum bona existimatio apud fideles probos et graves, omnibus perpensis adiunctis et praesertim diuturna rei emendatione, fuerit, prudenti Ordinarii iudicio, recuperata.**

CAN. 2296.

§ 1. **Si agatur de rebus ad quas assequendas capacitas iure communi statuitur, inhabilitatis poenam infligere una Sedes Apostolica potest.**

§ 2. « **Iura iam quaesita non amittuntur ob supervenientem inhabilitatem, nisi huic addatur poena privationis.**

CAN. 2297.

**Muletas pecuniarias iure communi inflictas, quarum erogatio non sit eodem iure praefinita, aliasque iure peculiari statutas vel statuendas, Ordinarii locorum erogare debent in pios usus, non vero in commodum mensae episcopalis aut capitularis.**

## CAPUT II.

### *De peculiaribus clericorum poenis vindicativis.*

CAN. 2298.

**Poenae vindicativae quae clericis tantum applicantur, sunt:**

**1.° Prohibitio exercendi sacrum ministerium praeterquam in certa ecclesia;**

**2.° Suspensio in perpetuum vel ad tempus praefinitum, vel ad beneplacitum Superioris;**

**3.° Translatio poenalis ab officio vel beneficio obtento ad inferius;**

**4.° Privatio alicuius iuris cum beneficio vel officio coniuncti;**

**5.° Inhabilitas ad omnes vel ad aliquot dignitates, officia, beneficia aliave munera propria clericorum;**

**6.° Privatio poenalis beneficii vel officii cum vel sine pensione;**

**7.° Prohibitio commorandi in certo loco vel territorio;**

**8.° Praescriptio commorandi in certo loco vel territorio;**

**9.° Privatio ad tempus habitus ecclesiastici;**

**10.° Depositio;**

**11.° Privatio perpetua habitus ecclesiastici;**

**12.° Degradatio.**

CAN. 2299.

**§ 1. Si clericus beneficium inamovibile obtineat, eodem in poenam privari potest solum in casibus iure expressis; si amovibile, etiam ob alias rationabiles causas.**

**§ 2. Clerici obtinentes beneficia, officia, dignitates, possunt etiam aliquo tantum ministerio cum iisdem coniuncto, ex. gr., ministerio praedicandi, confessiones audiendi, etc., prohiberi ad certum tempus.**

**§ 3. Nequit clericus privari beneficio aut pensione cuius titulo ordinatus fuit, nisi aliunde eius honestae sustentationi provideatur, salvo praescripto can. 2303, 2304.**

CAN. 2300.

**Si clericus gravia scandala praebeat et monitus non resipiscat, nec scandalum queat aliter removeri, potest interim privari iure deferendi habitum ecclesiasticum; quae privatio, dum perdurat, secumfert prohibitionem exercendi ministeria quaevis ecclesiastica et privationem privilegiorum clericalium.**

CAN. 2301.

**Ordinarius nequit praescribere ut clericus certo in loco, extra fines suae dioecesis, commoretur, nisi accedat consensus Ordinarii illius loci vel agatur de domo poenitentiae seu emendationis clericis non solum dioecesanis, sed etiam extraneis destinata, aut de domo religiosa exempta, Superiore eiusdem consentiente.**

CAN. 2302.

**Tam praescriptio quam prohibitio certo in loco commorandi et collocatio in domo poenitentiae aut in domo religiosa, praesertim si diu**

**duraturae sint, imponantur tantum in casibus gravibus, in quibus, prudenti Ordinarii iudicio, eae poenae necessariae sint ad clerici emendationem aut scandali reparationem.**

CAN. 2303.

§ 1. **Depositio, firmis obligationibus e suscepto ordine exortis et privilegiis clericalibus, secumfert tum suspensionem ab officio, et inhabilitatem ad quaelibet officia, dignitates, beneficia, pensiones, munera in Ecclesia, tum etiam privationem illorum quae reus habeat, licet eorum titulo fuerit ordinatus.**

§ 2. **Sed hoc ultimo in casu, si clericus vere indigeat, Ordinarius pro sua caritate, quo meliore modo fieri potest, ei providere curet, ne cum dedecore status clericalis mendicare cogatur.**

§ 3. **Poena depositionis infligi nequit, nisi in casibus iure expressis.**

CAN. 2304.

§ 1. **Si clericus depositus non det emendationis signa et praesertim si scandalum dare pergat monitusque non resipiscat. Ordinarius potest eum perpetuo privare iure deferendi habitum ecclesiasticum.**

§ 2. **Haec privatio secumfert privationem privilegiorum clericalium et cessationem praescripti can.** 2303, § 2.

CAN. 2305.

§ 1. **Degradatio in se continet depositionem, perpetuam privationem habitus ecclesiastici et reductionem clerici ad statum laicalem.**

§ 2. **Haec poena ferri solummodo potest propter delictum in iure expressum, aut si clericus, iam depositus et habitu clericali privatus, grave adhuc scandalum per annum praebere pergat.**

§ 3. **Alia est *verbalis* seu *edictalis,* quae sola sententia irrogatur, ita tamen ut omnes suos effectus iuridicos statim habeat sine ulla executione; alia *realis,* si serventur sollemnia praescripta in Pontificali Romano.**

## TITULUS X.

## De remediis poenalibus et poenitentiis.

### CAPUT I.

### *De remediis poenalibus.*

CAN. 2306.

**Remedia poenalia sunt :**

1.° **Monitio;**

2.° **Correptio;**

***S.°*** **Praeceptum;**

4.° **Vigilantia.**

CAN. 2307.

**Eum qui versatur in proxima occasione delictum committendi vel in quem, ex inquisitione peracta, gravis suspicio cadit delicti commissi, Ordinarius per se vel per interpositam personam moneat.**

CAN. 2308.

**Si ex alicuius conversatione scandalum vel gravis ordinis perturbatio oriantur, est locus correptioni, ab Ordinario per se vel per interpositam personam, etiam per epistolam faciendae, peculiaribus accommodatae conditionibus personae et facti de quo agitur.**

CAN. 2309.

**§ 1. Tam monitio quam correptio potest esse vel publica vel secreta.**

§ 2. **Correptio vel monitio publica fiat vel coram notario aut duobus testibus, vel per epistolam ita tamen ut de receptione et tenore epistolae ex aliquo documento constet.**

§ 3. **Correptio publica fieri tantum potest adversus reum de delicto convictum vel confessum; et est iudicialis, si fiat a iudice pro tribunali sedente vel ab Ordinario ante processum criminalem.**

**§ 4. Correptio iudicialis vel habetur loco poenae vel fit ad augendam poenam, praecipue si agatur de recidivo.**

§ 5. **De monitione et correptione, etsi secreto factae fuerint, constare debet ex aliquo documento in secreto archivo Curiae asservando.**

**§ 6. Tam correptio quam monitio fieri potest semel vel pluries, pro Superioris arbitrio et prudentia.**

CAN. 2310.

**Monitionibus et correptionibus incassum factis, vel si ex eisdem effectum sperare non liceat, datur praeceptum, quo quid agere quidve evitare praeventus debeat, accurate indicetur, cum poenae comminatione in casu transgressionis.**

CAN. 2311.

**§ 1. Si casus gravitas ferat et praecipue si agatur de eo qui in periculo versatur relabendi in idem crimen, eum Ordinarius submittat vigilantiae.**

§ 2. **Vigilantia praecipi quoque potest ad augendam poenam, praecipue in recidivos.**

CAPUT **II.**

***De poenitentiis.***

CAN. 2312.

**§ 1. Poenitentiae in foro externo imponuntur ut delinquens vel poenam effugiat, vel poenae contractae absolutionem aut dispensationem recipiat.**

§ 2. **Ob delictum aut transgressionem occultam nunquam poenitentia publica imponatur.**

§ 3. **Poenitentiae non tam secundum quantitatem delicti, quam secundum poenitentis contritionem moderandae sunt, pensatis qualitatibus personarum et delictorum adiunctis.**

CAN. **2313.**

**§ 1. Praecipuae poenitentiae sunt praecepta :**

**1.° Recitandi determinatas preces;**

**2.° Peragendi piam aliquam peregrieationem vel alia pietatis opera;**

**3.° Servandi peculiare ieiunium;**

**4.° Erogandi eleemosynas in pios usus;**

**5.° Peragendi exercitia spiritualia in pia aut religiosa domo per aliquot dies.**

**§ 2. Poenitentias Ordinarius pro sua prudentia addere potest poenali remedio monitionis et correptionis.**

# PARS TERTIA

## DE POEMS IN SINGULA DELICTA

### TITULUS XI.

### De delictis contra fidem et unitatem Ecclesiae.

CAN. **2314.**

**§ 1. Omnes a christiana fide apostatae et omnes et singuli haeretici aut schismatici :**

**1.° Incurrunt ipso facto excommunicationem;**

**2.° Nisi moniti resipuerint, priventur beneficio, dignitate, pensione, ofiicio aliove munere, si quod in Ecclesia habeant, infames declarentur, et clerici, iterata monitione, deponantur;.**

**3.° Si sectae acatholicae nomen dederint vel publice adhaeserint, ipso facto infames sunt et, firmo praescripto can. 188, n. 4, clerici, monitione incassum praemissa, degradentur.**

**§ 2. Absolutio ab excommunicatione de qua in § 1, in foro conscientiae impertienda, est speciali modo Sedi Apostolicae reservata. Si tamen delictum apostasiae, haeresis vel schismatis ad forum externum Ordinarii loci quovis modo deductum fuerit, etiam per voluntariam confessionem, idem Ordinarius, non vero Vicarius Generalis sine mandato speciali, resipiscentem, praevia abiuratione iuridice peracta aliisque servatis de iure servandis, sua auctoritate ordinaria in foro exteriore absolvere potest; ita vero absolutus, potest deinde a peccato absolvi a quolibet confessario in foro conscientiae. Abiuratio vero habetur iuridice peracta cum fit coram ipso Ordinario loci vel eius delegato et saltem duobus testibus.**

CAN. **2315.**

**Suspectus de haeresi, qui monitus causam suspicionis non removeat, actibus legitimis prohibeatur, et clericus praeterea, repetita inutiliter**

**monitione, suspendatur a divinis; quod si intra sex menses a contracta poena completos suspectus de haeresi sese non emendaverit, habeatur tanquam haereticus, haereticorum poenis obnoxius.**

CAN. **2316.**

**Qui quoquo modo haeresis propagationem sponte et scienter iuvat, aut qui communicat in divinis cum haereticis contra praescriptum can. 1258, suspectus de haeresi est.**

CAN. **2317.**

**Pertinaciter docentes vel defendentes sive publice sive privatim doctrinam, quae ab Apostolica Sede vel a Concilio Generali damnata quidem fuit, sed non uti formaliter haeretica, arceantur a ministerio praedicandi verbum Dei audiendive sacramentales confessiones et a quolibet docendi munere, salvis aliis poenis quas sententia damnationis forte statuerit, vel quas Ordinarius, post monitionem, necessarias ad reparandum scandalum duxerit.**

CAN. **2318.**

**§ 1. In excommunicationem Sedi Apostolicae speciali modo reservatam ipso facto incurrunt, opere publici iuris facto, editores librorum apostatarum, haereticorum et schismaticorum, qui apostasiam, Haeresim, schisma propugnant, itemque eosdem libros aliosve per apostolicas litteras nominatim prohibitos defendentes aut scienter sine debita licentia legentes vel retinentes.**

**§ 2. Auctores et editores qui sine debita licentia sacrarum Scripturarum libros vel earum adnotationes aut commentarios imprimi curant, incidunt ipso facto in excommunicationem nemini reservatam.**

CAN. **2319.**

**§ 1. Subsunt excommunicationi latae sententiae Ordinario reservatae catholici :**

**1.° Qui matrimonium ineunt coram ministro acatholico contra praescriptum can. 1063;**

**2.° Qui matrimonio uniuntur cum pacto explicito vel implicito ut omnis vel aliqua proles educetur extra catholicam Ecclesiam;**

**3.° Qui scienter liberos suos acatholicis, ministris baptizandos offerre praesumunt;**

**4.° Parentes vel parentum locum tenentes qui liberos in religione acatholica educandos vel instituendos scienter tradunt.**

**§ 2. Ii de quibus in § 1, nn. 2-4, sunt praeterea suspecti de haeresi.**

## TITULUS XII.

### De delictis contra religionem.

CAN. **2320.**

**Qui species consecratas abiecerit vel ad malum finem abduxerit aut retinuerit, est suspectus de haeresi; incurrit in excommunicationem latae sententiae specialissimo modo Sedi Apostolicae reservatam; est ipso facto infamis, et clericus praeterea est deponendus.**

CAN. **2321.**

**Sacerdotes qui contra praescripta can. 806, 808 praesumpserint Missam eodem die iterare vel eam celebrare non ieiuni, suspendantur a Missae celebratione ad tempus ab Ordinario secundum diversa rerum adiuncta praefiniendum.**

CAN. **2322.**

**Ad ordinem sacerdotalem non promotus :**

**1.° Si Missae celebrationem simulaverit aut sacramentalem confessionem exceperit, excommunicationem ipso facto contrahit, speciali modo Sedi Apostolicae reservatam; et insuper laicus quidem privetur pensione aut munere, si quod habeat in Ecclesia, aliisque poenis pro gravitate culpae puniatur; clericus vero deponatur;**

**2.° Si alia munia sacerdotalia usurpaverit, ab Ordinario pro gravitate culpae puniatur.**

CAN. **2323.**

**Qui blasphemaverit vel periurium extra iudicium commiserit, prudenti Ordinarii arbitrio puniatur, maxime clericus.**

CAN. **2824.**

**Qui deliquerint contra praescriptum can. 827, 828, 840, § 1, ab Ordinario pro gravitate culpae puniantur, non exclusa, si res ferat, suspensione aut beneficii vel officii ecclesiastici privatione, vel, si de laicis agatur, excommunicatione.**

CAN. **2325.**

**Qui superstitionem exercuerit vel sacrilegium perpetraverit, pro gravitate culpae ab Ordinario puniatur, salvis poenis iure statutis contra aliquos actus supersticiosos vel sacrilegia.**

CAN. **2326.**

**Qui falsas reliquias conficit, aut scienter vendit, distribuit vel publicae fidelium venerationi exponit, ipso facto excommunicationem Ordinario reservatam contrahit.**

CAN. **2327.**

**Quaestum facientes ex indulgentiis plectuntur ipso facto excommunicatione Sedi Apostolicae simpliciter reservata.**

CAN. **2328.**

**Qui cadavera vel sepulcra mortuorum ad furtum vel alium malum finem violaverit, interdicto personali puniatur, sit ipso facto infamis, et clericus praeterea deponatur.**

CAN. **2329.**

**Ecclesiae vel coemeterii violatores, de quibus in can. 1172, 1207, interdicto ab ingressu ecclesiae aliisque congruis poenis ab Ordinario pro gravitate delicti puniantur.**

## TITULUS XIII.

### De delictis contra auctoritates, personas, res ecclesiasticas.

CAN. 2330.

**Quod attinet ad poenas statutas in delicta quae in eligendo Summo Pontifice committi possunt, unice standum const. Pii X *Vacante Sede Apostolica,* 25 Dec. 1904.**

CAN. 2331.

**§ 1. Qui Romano Pontifici Tel proprio Ordinario aliquid legitime praecipienti vel prohibenti pertinaciter non obtempérant, congruis poenis, censuris non exclusis, pro gravitate culpae puniantur.**

**§ 2. Conspirantes vero contra auctoritatem Romani Pontificis eiusve Legati vel proprii Ordinarii aut contra eorum legitima mandata, itemque subditos ad inobedientiam erga ipsos provocantes, censuris aliisve poenis coerceantur; et dignitatibus, beneficiis aliisve muneribus, si sint clerici; voce activa et passiva atque officio, si religiosi, priventur.**

CAN. 2332.

**Omnes et singuli cuiuscunque status, gradus seu conditionis etiam regalis, episcopalis vel cardinalitiae fuerint, a legibus, decretis, mandatis Romani Pontificis pro tempore exsistentis ad Universale Concilium appellantes, sunt suspecti de haeresi et ipso facto contrahunt excommunicationem Sedi Apostolicae speciali modo reservatam; Universitates vero, Collegia, Capitula aliaeve personae morales, quocunque nomine nuncupentur, interdictum speciali modo Sedi Apostolicae pariter reservatum incurrunt.**

CAN. 2333.

**Recurrentes ad laicam potestatem ad impediendas litteras vel acta quaelibet a Sede Apostolica vel ab eiusdem Legatis profecta, eorumve promulgationem vel exsecutionem directe vel indirecte prohibentes, aut eorum causa sive eos ad quos pertinent litterae vel acta sive alios laeden• tes vel perterrefaeientes, ipso facto subiaceant excommunicationi Sedi Apostolicae speciali modo reservatae.**

CAN. 2334.

**Excommunicatione latae sententiae speciali modo Sedi Apostolicae reservata plectuntur :**

**1.° Qui leges, mandata, vel decreta contra libertatem aut iura Ecclesiae edunt;**

**2.° Qui impediunt directe vel indirecte exercitium iurisdictionis ecclesiasticae sive interni sive externi fori, ad hoc recurrentes ad quamlibet laicalem potestatem.**

CAN. 2335.

**Nomen dantes sectae massonicae aliisve eiusdem generis associationibus quae contra Ecclesiam vel legitimas civiles potestates machinan-**

**tur, contrahunt ipso facto excommunicationem Sedi Apostolicae simpliciter reservatam.**

CAN. **2336.**

**§ 1. Clerici qui delictum commiserunt de quo in can. 2334, 2335, praeter poenas citatis canonibus statutas, poena suspensionis vel privationis ipsius beneficii, officii, dignitatis, pensionis aut muneris, si qua forte in Ecclesia habeant; religiosi autem privatione officii et vocis activae ac passivae aliisque poenis ad normam constitutionum plectantur.**

**§ 2. Insuper clerici et religiosi nomen dantes sectae massonicae aliisque similibus associationibus denuntiari debent Sacrae Congregationi S. Officii.**

CAN. **2337.**

**§ 1. Si parochus, ad impediendum exercitium ecclesiasticae iurisdictionis, ausus fuerit turbas ciere, publicas pro se subscriptiones promovere, populum sermonibus aut scriptis excitare aliaque similia agere, pro gravitate culpae, secundum prudens Ordinarii iudicium, puniatur, non exclusa, si res ferat, suspensione.**

**§ 2. Eodem modo puniat Ordinarius sacerdotem qui multitudinem quoquo modo excitet ad impediendum ingressum in paroeciam sacerdotis legitime nominati in parochum aut oeconomum.**

CAN. **2338.**

**§ 1. Absolvere praesumentes sine debita facultate ab excommunicatione latae sententiae specialissimo vel speciali modo Sedi Apostolicae reservata, incurrunt ipso facto in excommunicationem Sedi Apostolicae simpliciter reservatam.**

**§ 2. Impendentes quodvis auxilium vel favorem excommunicato vitando in delicto propter quod excommunicatus fuit; itemque clerici scienter et sponte in divinis cum eodem communicantes et ipsum in divinis officiis recipientes, ipso facto incurrunt in excommunicationem Sedi Apostolicae simpliciter reservatam.**

**§ 3. Scienter celebrantes vel celebrari facientes divina in locis interdictis vel admitientes ad celebranda officia divina per censuram vetita clericos excommunicatos, interdictos, suspensos post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam, interdictum ab ingressu ecclesiae ipso iure contrahunt, donec, arbitrio eius cuius sententiam contempserunt, congruenter satisfecerint.**

**§ 4. Qui causam dederunt interdicto locali aut interdicto in communitatem seu collegium, sunt ipso facto personaliter interdicti.**

CAN. **2339.**

**Qui ausi fuerint mandare seu cogere tradi ecclesiasticae sepulturae infideles, apostatas a fide, vel haereticos, schismaticos, aliosve sive excommunicatos sive interdictos contra praescriptum can. 1240, § 1, contrahunt excommunicationem latae sententiae nemini reservatam; sponte vero sepulturam eisdem donantes, interdictum ab ingressu ecclesiae Ordinario reservatum.**

CAN. 2340.

§ 1. **Si quis, obdurato animo, per annum insorduerit in censura excommunicationis, est de haeresi suspectus.**

§ 2. **Si clericus in censura suspensionis per semestre perseveraverit, graviter moneatur; et si, exacto a monitione mense, a contumacia non recesserit, privetur beneficiis aut officiis, si qua in Ecclesia forte habeat.**

CAN. 2341.

**Si quis contra praescriptum can. 120 ausus fuerit ad iudicem laicum trahere aliquem ex S. R. E. Cardinalibus vel Legatis Sedis Apostolicae, vel Officialibus maioribus Romanae Curiae ob negotia ad eorum munus pertinentia, vel Ordinarium proprium, contrahit ipso facto excommunicationem Sedi Apostolicae speciali modo reservatam; si alium Episcopum etiam mere titularem, aut Abbatem vel Praelatum *nullius*, vel aliquem ex maioribus religionum iuris pontificii Superioribus, excommunicationem latae sententiae Sedi Apostolicae simpliciter reservatam; demum si, non obtenta ab Ordinario loci licentia, aliam personam privilegio fori fruentem, clericus quidem incurrit ipso facto in suspensionem ab officio reservatam Ordinario, laicus autem congruis poenis pro gravitate culpae a proprio Ordinario puniatur.**

CAN. 2342.

**Plectuntur ipso facto excommunicatione Sedi Apostolicae simpliciter reservata :**

1.° **Clausuram monialium violantes, cuiuscunque generis aut conditionis vel sexus sint, in earum monasteria sine legitima licentia ingrediendo, pariterque eos introducentes vel admitientes; quod si clerici sint, praeterea suspendantur per tempus pro gravitate culpae ab Ordinario definiendum;**

2.° **Mulieres violantes regularium virorum clausuram et Superiores aliique, quicunque ii sint, eas cuiuscunque aetatis introducentes vel admitientes; et praeterea religiosi introducentes vel admitientes priventur officio, si quod habeant, et voce activa ac passiva;**

3.° **Moniales e clausura illegitime exeuntes contra praescriptum can.** 601.

CAN. 2343.

§ 1. **Qui violentas manus in personam Romani Pontificis iniecerit :**

1.° **Excommunicationem contrahit latae sententiae Sedi Apostolicae specialissimo modo reservatam; et est ipso facto vitandus;**

2.° **Est ipso iure infamis;**

**S.°5 Clericus est degradandus.**

§ 2. **Qui in personam S. R. E. Cardinalis vel Legati Romani Pontificis :**

1.° **In excommunicationem incurrit latae sententiae Sedi Apostolicae speciali modo reservatam;**

2.° **Est ipso iure infamis;**

**3.° Privetur beneficiis, officiis, dignitatibus, pensionibus et quolibet munere, si quod in Ecclesia habeat.**

**§ 3. Qui in personam Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi etiam titularis tantum, incurrit in excommunicationem latae sententiae Sedi Apostolicae speciali modo reservatam.**

**§ 4. Qui in personam aliorum clericorum vel utriusque sexus religiosorum, subiaceat ipso facto excommunicationi Ordinario proprio reservatae, qui praeterea aliis poenis, si res ferat, pro suo prudenti arbitrio eum puniat.**

CAN. **2344.**

**Qui Romanum Pontificem, S. R. E. Cardinalem, Legatum Romani Pontificis, Sacras Congregationes Romanas, Tribunalia Sedis Apostolicae eorumque Officiales maiores, proprium Ordinarium publicis ephemeridibus, concionibus, libellis sive directe sive indirecte, iniuriis affecerit, aut simultates vel odia contra eorundem acta, decreta, decisiones, sententias excitaverit, ab Ordinario non solum ad instantiam partis, sed etiam ex officio adigatur, per censuras quoque, ad satisfactionem praestandam, aliisve congruis poenis vel poenitentiis, pro gravitate culpae et scandali reparatione, puniatur.**

CAN. **2345. ***

**Usurpantes vel detinëntes per se vel per alios bona aut iura ad Ecclesiam Romanam pertinentia, subiaceant excommunicationi latae sententiae speciali modo Sedi Apostolicae reservatae; et si clerici fuerint, praeterea dignitatibus, beneficiis, officiis, pensionibus priventur atque inhabiles ad eadem declarentur.**

CAN. **2346.**

**Si quis bona'ecclesiastica cuiuslibet generis, sive mobilia sive immobilia, sive corporalia sive incorporalia, per se vel per alios in proprios usus convertere et usurpare praesumpserit aut impedire ne eorundem fructus seu reditus ab iis, ad quos iure pertinent, percipiantur, excommunicationi tandiu subiaceat, quandiu bona ipsa integre restituent, praedictum impedimentum removerit, ac deinde a Sede Apostolica absolutionem impetraverit; quod si eiusdem ecclesiae seu bonorum patronus fuerit, etiam iure patronatus eo ipso privatus exsistat; clericus vero, hoc delictum committens vel in eodem consentiens, privetur praeterea beneficiis quibuslibet, ad alia quaelibet inhabilis efficiatur et a suorum ordinum exsecutione, etiam post integram satisfactionem et absolutionem, sui Ordinarii arbitrio suspendatur.**

CAN. **2347.**

**Firma nullitate actus et obligatione, etiam per censuram urgenda, restituendi bona illegitime acquisita ac reparandi damna forte illata, qui bona ecclesiastica alienare praesumpserit aut in iis alienandis consensum praebere contra praescripta can. 534, § 1, et can. 1532 :**

**1.° Si agatur de re cuius pretium non.excedit mille libellas, congruis poenis a legitimo Superiore ecclesiastico puniatur;**

**2.° Si agatur de re cuius pretium sit supra mille, sed infra triginta millia libellarum, privetur patronus iure patronatus; administrator, munere administratoris; Superior vel oeconomus religiosus, proprio officio et habilitate ad cetera officia, praeter alias congruas poenas a Superioribus infligendas; Ordinarius vero aliique clerici, officium, beneficium, dignitatem, munus in Ecclesia obtinentes, solvant duplum favore ecclesiae vel piae causae laesae; ceteri clerici suspendantur ad tempus ab Ordinario definiendum;**

**3.° Quod si beneplacitum apostolicum, in memoratis canonibus praescriptum, fuerit scienter praetermissum, omnes quovis modo reos sive dando sive recipiendo sive consensum praebendo, manet praeterea excommunicatio latae sententiae nemini reservata.**

### CAN. 2348.

**Qui legatum vel donationem ad causas pias sive actu inter vivos sive testamento, etiam per fiduciam, obtinuerit et implere negligat, ab Ordinario, etiam per censuram, ad id cogatur.**

### CAN. 2349.

**Recusantes praestationes legitime debitas ad normam can. 463, § 1, 1507, prudenti arbitrio Ordinarii puniantur, donec satisfecerint.**

## TITULUS XIV.

## De delictis contra vitam, libertatem, proprietatem, bonam famam ac bonos mores.

### CAN. 2350.

**§ 1. Procurantes abortum, matre non excepta, incurrunt, effectu secuto, in excommunicationem latae sententiae Ordinario reservatam; et si sint clerici, praeterea deponantur.**

**§ 2. Qui in seipsos manus intulerint, si quidem mors secuta sit, sepultura ecclesiastica priventur ad normam can. 1240, § 1, n. 3; secus, arceantur ab actibus legitimis ecclesiasticis et, si sint clerici, suspendantur ad tempus ab Ordinario definiendum, et a beneficiis aut officiis curam animarum interni vel externi fori adnexam habentibus removeantur.**

### CAN. 2351.

**§ 1. Servato praescripto can. 1240, § 1, n. 4, duellum perpetrantes aut simpliciter ad illud provocantes vel ipsum acceptantes vel quamlibet operam aut favorem praebentes, nec non de industria spectantes illudque permittentes vel quantum in ipsis est non prohibentes, cuiuscunque dignitatis sint, subsunt ipso facto excommunicationi Sedi Apostolicae simpliciter reservatae.**

**§ 2. Ipsi vero duellantes et qui eorum patrini vocantur, sunt praeterea ipso facto infames.**

CAN. 2352.

**Excommunicatione nemini reservata ipso facto plectuntur omnes, qualibet etiam dignitate fulgentes, qui quoquo modo cogant sive virum ad statum clericalem amplectendum, sive virum aut mulierem ad religionem ingrediendam vel ad emittendam religiosam professionem tam sollemnem quam simplicem, tam perpetuam quam temporariam.**

CAN. 2353.

**Qui intuitu matrimonii vel explendae libidinis causa rapuerit mulierem nolentem vi aut dolo, vel mulierem minoris aetatis consentientem quidem, sed insciis vel contradicentibus parentibus aut tutoribus, ipso iure exclusus habeatur ab actibus legitimis ecclesiasticis et insuper aliis poenis pro gravitate culpae plectatur.**

CAN. 2354.

**§ 1. Laicus qui fuerit legitime damnatus ob delictum homicidii, raptus impuberum alterutrius sexus, venditionis hominis in servitutem vel alium malum finem, usurae, rapinae, furti qualificati vel non qualificati in re valde notabili, incendii vel malitiosae ac valde notabilis rerum destructionis, gravis mutilationis vel vulnerationis vel violentiae, ipso iure exclusus habeatur ab actibus legitimis ecclesiasticis et a quolibet munere, si quod in Ecclesia habeat, firmo onere reparandi damna.**

**§ 2. Clericus vero qui aliquod delictum commiserit de quibus in § 1, a tribunali ecclesiastico puniatur, pro diversa reatus gravitate, poenitentiis, censuris, privatione officii ac beneficii, dignitatis, et, si res ferat, etiam depositione; reus vero homicidii culpabilis degradetur.**

CAN. 2355.

**Si quis non re, sed verbis vel scriptis vel alia quavis ratione iniuriam cuiquam irrogaverit vel eius bonam famam laeserit, non solum potest ad normam can. 1618, 1938 cogi ad debitam satisfactionem praestandam damnaque reparanda, sed praeterea congruis poenis ac poenitentiis puniri, non exclusa, si de clericis agatur et casus ferat, suspensione aut remotione ab officio et beneficio.**

CAN. 2356.

**Bigami, idest qui, obstante coniugali vinculo, aliud matrimonium, etsi tantum civile, ut aiunt, attentaverint, sunt ipso facto infames; et si, spreta Ordinarii monitione, in illicito contubernio persistant, pro diversa reatus gravitate excommunicentur vel personali interdicto plectantur.**

CAN. 2357.

**§ 1. Laici legitime damnati ob delicta contra sextum cum minoribus infra aetatem sexdecim annorum commissa, vel ob stuprum, sodomiam, incestum/lenocinium, ipso facto infames sunt, praeter alias poenas quas Ordinarius infligendas iudicaverit.**

**§ 2. Qui publicum adulterii delictum commiserint, vel in concubinatu publice vivant, vel ob alia delicta contra sextum decalogi praeceptum legitime fuerint damnati, excludantur ab actibus legitimis ecclesiasticis» donec signa verae resipiscentiae dederint.**

CAN. **2358.**

**Clerici in minoribus ordinibus constituti, rei alicuius delicti contra sextum decalogi praeceptum, pro gravitate culpae puniantur etiam dimissione e statu clericali, si delicti adiuncta id suadeant, praeter poenas de quibus in can. 2357, si his locus sit.**

CAN. **2359.**

**§ 1. Clerici in sacris sive saeculares sive religiosi concubinarii, monitione inutiliter praemissa, cogantur ab illicito contubernio recedere et scandalum reparare suspensione a divinis, privatione fructuum officii, beneficii, dignitatis, servato praescripto can. 2176-2181.**

**§ 2. Si delictum admiserint contra sextum decalogi praeceptum cum minoribus infra aetatem sexdecim annorum, vel adulterium, stuprum, bestialitatem, sodomiam, lenocinium, incestum cum consanguineis aut affinibus in primo gradu exercuerint, suspendantur, infames declarentur, quolibet officio, beneficio, dignitate, munere, si quod habeant, priventur, et in casibus gravioribus deponantur.**

**§ 3. Si aliter contra sextum decalogi praeceptum deliquerint, congruis poenis secundum casus gravitatem coerceantur, non excepta officii vel beneficii privatione, maxime si curam animarum gerant.**

## TITULUS XV.

## De crimine falsi.

CAN. **2360.**

**§ 1. Omnes fabricatores vel falsarii litterarum, decretorum vel rescriptorum Sedis Apostolicae vel iisdem litteris, decretis vel rescriptis scienter utentes incurrunt ipso facto in excommunicationem speciali modo Sedi Apostolicae reservatam.**

**§ 2. Clerici delictum de quo in § 1 committentes aliis poenis praeterea coerceantur, quae usque ad privationem beneficii, officii, dignitatis et pensionis ecclesiasticae extendi possunt; religiosi autem priventur omnibus ofiiciis quae in religione habent et voce activa ac passiva, praeter alias poenas in propriis cuiusque constitutionibus statutas.**

CAN. **2361.**

**Si quis in precibus ad rescriptum a Sede Apostolica vel a loci Ordinario impetrandum fraude vel dolo verum reticuerit aut falsum exposuerit, potest a suo Ordinario pro culpae gravitate puniri, salvo praescripto can. 45, 1054.**

CAN. 2362.

**Litterarum vel actorum ecclesiasticorum tam publicorum quam privatorum fabricatores vel falsarli vel huiusmodi documentis scienter utentes, pro gravitate delicti coerceantur, firmo praescripto can.** 2406, § 1.

CAN. 2363.

**Si quis per seipsum vel per alios confessarium de sollicitationis crimine apud Superiores falso denuntiaverit, ipso facto incurrit in excommunicationem speciali modo Sedi Apostolicae reservatam, a qua nequit ullo in casu absolvi, nisi falsam denuntiationem formaliter retractaverit, et damna, si qua inde' secuta sint, pro viribus reparaverit, imposita insuper gravi ac diuturna poenitentia, firmo praescripto can.** 894.

## TITULUS XVI.

### De delictis in administratione vel susceptione ordinum aliorumque Sacramentorum.

CAN. 2364.

**Minister qui ausus fuerit Sacramenta administrare illis qui iure sive divino sive ecclesiastico eadem recipere prohibentur, suspendatur ab administrandis Sacramentis per tempus prudenti Ordinarii arbitrio definiendum aliisque poenis pro gravitate culpae puniatur, firmis peculiaribus poenis in aliqua huius generis delicta iure statutis.**

CAN. 2365.

**(Presbyter qui nec a iure nec ex Romani Pontificis concessione facultatem habens sacramentum confirmationis ministrare ausus fuerit, suspendatur; si vero facultatis sibi factae limites praetergredi praesumpserit, eadem facultate eo ipso privatus exsistat.**

CAN. 2366.

**Sacerdos qui sine necessaria iurisdictione praesumpserit sacramentales confessiones audire, est ipso facto suspensus a divinis; qui vero a peccatis reservatis absolvere, ipso facto suspensus est ab audiendis confessionibus.**

CAN. 2367.

§ 1. **Absolvens vel fingens absolvere complicem in peccato turpi incurrit ipso facto in excommunicationem specialissimo modo Sedi Apostolicae reservatam; idque etiam in mortis articulo, si alius sacerdos, licet non approbatus ad confessiones, sine gravi aliqua exoritura infamia et scandalo, possit excipere morientis confessionem, excepto casu quo moribundus recuset alii confiteri.**

§ 2. **Eandem excommunicationem non effugit absolvens vel fingens absolvere complicem qui peccatum quidem complicitatis, a quo nondum**

**est absolutus, non confitetur, sed ideo ita se gerit, quia ad id a complice confessario sive directe sive indirecte inductus est.**

CAN. 2368.

**§ 1. Qui sollicitationis crimen de quo in can. 904, commiserit, suspendatur a celebratione Missae et ab audiendis sacramentalibus confessionibus vel etiam pro delicti gravitate inhabilis ad ipsas excipiendas declaretur, privetur omnibus beneficiis, dignitatibus, voce activa et passiva, et inhabilis ad ea omnia declaretur, et in casibus gravioribus degradationi quoque subiiciatur.**

**§ 2. Fidelis vero, qui scienter omiserit eum, a quo sollicitatus fuerit, intra mensem denuntiare contra praescriptum can. 904, incurrit in excommunicationem latae sententiae nemini reservatam, non absolvendus nisi postquam obligationi satisfecerit aut se satisfacturum serio promiserit.**

CAN. 2369.

**§ 1. Confessarium, qui sigillum sacramentale directe violare praesumpserit, manet excommunicatio specialissimo modo Sedi Apostolicae reservata; qui vero indirecte tantum, obnoxius est poenis, de quibus in can. 2368, § 1.**

**§ 2. Quicunque praescriptum can. 889, § 2 temere violaverit, pro reatus gravitate plectatur salutari poena, quae potest esse etiam excommunicatio.**

CAN. 2370.

**Episcopus aliquem consecrans in Episcopum, Episcopi vel, loco Episcoporum, presbyteri assistentes, et qui consecrationem recipit sine apostolico mandato contra praescriptum can. 953, ipso iure suspensi sunt, donec Sedes Apostolica eos dispensaverit.**

CAN. 2371.

**Omnes, etiam episcopali dignitate aucti, qui per simoniam ad ordines scienter promoverint vel promoti fuerint aut alia Sacramenta ministraverint vel receperint, sunt suspecti de haeresi; clerici praeterea suspensionem incurrunt Sedi Apostolicae reservatam.**

CAN. 2372.

**Suspensionem a, divinis, Sedi Apostolicae reservatam, ipso facto contrahunt, qui recipere ordines praesumunt ab excommunicato vel suspenso vel interdicto post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam, aut a notorio apostata, haeretico, schismatico; qui vero bona fide a quopiam eorum sit ordinatus, exercitio careat ordinis sic recepti donec dispensetur.**

CAN. 2373.

**In suspensionem per annum ab ordinum collatione Sedi Apostolicae reservatam ipso facto incurrunt :**

1.° Qui contra praescriptum can. 955, alienum subditum sine Ordinarii proprii litteris dimissoriis ordinaverint;

2.° Qui subditum proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit, ordinaverint contra praescriptum can. 993, 994;

3.° Qui aliquem ad ordines maiores sine titulo canonico promoveant contra praescriptum can. 974, § 1, n. 7;

4.° Qui, salvo legitimo privilegio, religiosum, ad familiam pertinentem quae sit extra territorium ipsius ordinantis, promoverint, etiam cum litteris dimissorialibus proprii Superioris, nisi legitime probatum fuerit aliquem e casibus occurrere, de quibus in can. 966.

CAN. 2374.

Qui sine litteris vel cum falsis dimissoriis litteris, vel ante canonicam aetatem, vel per saltum ad ordines malitiose accesserit, est ipso facto a recepto ordine suspensus; qui autem sine litteris testimonialibus vel detentus aliqua censura, irregularitate aliove impedimento, gravibus poenis secundum rerum adiuncta puniatur.

CAN. 2375.

Catholici qui matrimonium mixtum, etsi validum, sine Ecclesiae dispensatione inire ausi fuerint, ipso facto ab actibus legitimis ecclesiasticis et Sacramentalibus exclusi manent, donec ab Ordinario dispensationem obtinuerint.

## TITULUS XVII.

### De delictis contra obligationes proprias status clericalis vel religiosi.

CAN. 2376.

Sacerdotes qui neque ab Ordinario dispensati neque legitimo impedimento detenti examen de quo in can. 130 facere renuerint, ab Ordinario congruis poenis ad illud cogantur.

CAN. 2377.

Sacerdotes contra praescriptum can. 131 contumaces, Ordinarius pro suo prudenti arbitrio puniat; quod si fuerint religiosi confessarii curam animarum non gerentes, eos ab audiendis saecularium confessionibus suspendat.

CAN. 2378.

Clerici maiores qui in sacro ministerio ritus et caeremonias ab Ecclesia praescriptas graviter negligant et moniti sese non emendaverint, suspendantur pro diversa reatus gravitate.

CAN. 2379.

Clerici, contra praescriptum can. 136, habitum ecclesiasticum et tonsuram clericalem non gestantes, graviter moneantur; transacto inuti-

**liter mense a monitione, quod ad clericos minores attinet, servetur praescriptum eiusdem can. 136, § 3; clerici autem maiores, salvo praescripto can. 188, n. 7, ab ordinibus receptis suspendantur, et si ad vitae genus a statu clericali alienum notorie transierint, nec, rursus moniti, resipuerit, post tres menses ab hac ultima monitione deponantur.**

CAN. **2380.**

**Clerici vel religiosi mercaturam vel negotiationem per se aut per alios exercentes contra praescriptum can. 142, congruis poenis pro gravitate culpae ab Ordinario coerceantur.**

CAN. **2381.**

**Qui officium, beneficium, dignitatem obtinet cum onere residentiae, si illegitime absit :**

**1.° Eo ipso privatur omnibus fructibus sui beneficii vel officii pro rata illegitimae absentiae, eosque tradere debet Ordinario, qui ecclesiae vel alicui pio loco vel pauperibus distribuat;**

**2.° Officio, beneficio, dignitate privetur, ad normam can. 2168-2175.**

CAN. **2382.**

**Si parochus graviter neglexerit Sacramentorum administrationem, infirmorum assistentiam, puerorum populique institutionem, concionem diebus dominicis ceterisque festis, custodiam ecclesiae paroecialis, sanctissimae Eucharistiae, sacrorum oleorum, ab Ordinario coerceatur ad normam can. 2182-2185.**

CAN. **2383.**

**Parochus qui paroeciales libros diligenter, ad normam iuris, non conscripserit aut servaverit, a proprio Ordinario pro gravitate culpae puniatur.**

CAN. **2384.**

**Canonicum theologum et poenitentiarium in suis muneribus obeundis negligentes, Episcopus gradatim compellat monitionibus, comminatione poenarum, subtractione portionis fructuum iis assignandae qui illorum vices suppleant; et perdurante per integrum annum negligentia post monitionem, suspensione a beneficio plectat; negligentia vero producta per aliud semestre, ipso beneficio privet.**

CAN. **2385.**

**Firmo praescripto can. 646, religiosus, apostata a religione, ipso iure incurrit in excommunicationem, proprio Superiori maiori vel, si religio sit laicalis aut non exempta, Ordinario loci in quo commoratur, reservatam, ab actibus legitimis ecclesiasticis est exclusus, privilegiis omnibus suae religionis privatus; et si redierit, perpetuo caret voce activa et passiva, ac praeterea aliis poenis pro gravitate culpae a Superioribus puniri debet ad normam constitutionum.**

CAN. 2386,

**Religiosus fugitivus ipso facto incurrit in privationem officii, si quod in religione habeat, et in suspensionem proprio Superiori maiori reservatam, si sit in sacris; cum autem redierit, puniatur secundum constitutiones, et si constitutiones nihil de hoc caveant, Superior maior pro gravitate culpae poenas infligat.**

CAN. 2387.

**Religiosus clericus cuius professio ob admissum ab ipso dolum nulla fuerit declarata, si sit in minoribus ordinibus constitutus, e statu clericali abiiciatur; si in maioribus, ipso facto suspensus manet, donec Sedi Apostolicae aliter visum fuerit.**

CAN. 2388.

**§ 1. Clerici in sacris constituti vel regulares aut moniales post votum sollemne castitatis, itemque omnes eum aliqua ex praedictis personis matrimonium etiam civiliter tantum contrahere praesumentes, incurrunt in excommunicationem latae sententiae Sedi Apostolicae simpliciter reservatam; clerici praeterea, si moniti, tempore ab Ordinario pro adiunctorum diversitate praefinito, non resipuerint, degradentur, firmo praescripto can. 188, n. 5.**

**§ 2. Quod si sint professi votorum simplicium perpetuorum tam in Ordinibus quam in Congregationibus religiosis, omnes, ut supra, excommunicatio tenet latae sententiae Ordinario reservata.**

CAN. 2389.

**Religiosi legem vitae communis constitutionibus praescriptae in re notabili violantes, graviter moneantur et, emendatione non secuta, puniantur etiam privatione vocis activae et passivae et, si Superiores sint, etiam officii.**

## TITULUS XVIII.

## De delictis in collatione, susceptione et dimissione dignitatum, officiorum et beneficiorum ecclesiasticorum.

CAN. 2390.

**§ 1. Libertatem electionum ecclesiasticarum quovis modo per se vel per alios impedientes, vel electores aut electum, peracta canonica electione, propter eam quoquo modo gravantes, pro modo culpae puniantur.**

**§ 2. Quod si electioni a collegio clericorum vel religiosorum peragendae, laici vel saecularis potestas sese illegitime, contra libertatem canonicam, immiscere praesumpserint, electores qui hanc immixtionem sollicitaverint vel sponte admiserint, ipso facto privati sunt pro ea vice iure eligendi; qui vero suae electioni taliter factae scienter consenserit, fit ad officium vel beneficium, de quo agitur, ipso facto inhabilis.**

CAN. **2391.**

**§ 1. Collegium quod indignum scienter elegerit, ipso facto privatur pro ea vice iure ad novam electionem procedendi,**

**§ 2. Singuli vero electores qui substantialem electionis formam scienter non servaverint, possunt pro gravitate culpae ab Ordinario puniri.**

**§ 3. Clerici vel laici qui indignum scienter praesentaverint vel nominaverint, iure praesentandi vel nominandi ipso facto pro ea vice carent.**

CAN. **2392.**

**Firmo praescripto can. 729, delictum perpetrantes simoniae in quibuslibet ofiiciis, beneficiis aut dignitatibus ecclesiasticis :**

**1.° Incurrunt in excommunicationem latae sententiae Sedi Apostolicae simpliciter reservatam;**

**2.° Ipso facto privati in perpetuum manent iure eligendi, praesentandi, nominandi, si quod habeant;**

**3.° Si clerici sint, praeterea suspendantur.**

CAN. **2393.**

**Omnes qui iure eligendi, praesentandi, vel nominandi legitime fruuntur, si, neglecta auctoritate illius cui confirmatio vel institutio competit, officium, beneficium aut dignitatem ecclesiasticam conferre praesumpserint, suo iure pro ea vice ipso facto privati manent.**

CAN. **2394.**

**Qui beneficium, officium vel dignitatem ecclesiasticam propria auctoritate occupaverit vel, ad ea electus, praesentatus, nominatus in eorundem possessionem vel regimen seu administrationem sese ingesserit, antequam necessarias litteras confirmationis vel institutionis acceperit easque illis ostenderit, quibus de iure debet :**

**1.° Sit ipso iure ad eadem inhabilis et praeterea ab Ordinario pro gravitate culpae puniatur;**

**2.° Per suspensionem, privationem beneficii, officii, dignitatis antea obtentae et, si res ferat, etiam per depositionem, cogatur a beneficii, officii, dignitatis occupatione eorumque regimine vel administratione statim, monitione praemissa, recedere;**

**3.° Capitula vero, conventus aliique omnes ad quos spectat, huiusmodi electos, praesentatos vel nominatos ante litterarum exhibitionem admitientes, ipso facto a iure eligendi, nominandi vel praesentandi suspensi maneant ad beneplacitum Sedis Apostolicae.**

CAN. **2395.**

**Qui scienter acceptat collationem officii, beneficii vel dignitatis de iure non vacantis et patiatur se in eius possessionem immitti, sit ipso facto inhabilis ad illa postea assequenda aliisque poenis pro modo culpae puniatur.**

CAN. 2396,

**Clericus, qui assecutus pacificam possessionem officii vel beneficii cum priore incompatibilis, prius quoque retinere praesumpserit contra praescriptum can. 156, 1439, utroque privatus ipso iure exsistat.**

CAN. 2397.

**Si quis ad dignitatem cardinalitiam promotus, iusiurandum, de quo in can. 234, emittere recusaverit, ipso facto cardinalitia dignitate privatus perpetuo maneat.**

CAN. 2398. '

**Si quis ad episcopatum promotus, contra praescriptum can. 333 intra tres menses consecrationem suscipere neglexerit, fructus non facit suos, fabricae ecclesiae cathedralis applicandos; et si postea in eadem negligentia per totidem menses perstiterit, episcopatu privatus ipso iure manet.**

CAN. 2399.

**Clerici maiores, munus a proprio Ordinario sibi commissum, sine eiusdem Ordinarii licentia, deserere praesumentes, suspendantur a divinis ad tempus ab Ordinario secundum diversos casus praefiniendum.**

CAN. 2400.

**Clericus qui in manus laicorum officium, beneficium aut dignitatem ecclesiasticam resignare praesumpserit, ipso facto in suspensionem a divinis incurrit.**

CAN. 2401.

**Si quis in detinendo officio, beneficio, dignitate, non obstante legitima privatione aut remotione, persistat, aut ne ea dimittat, moras illegitime nectat, ea, praemissa monitione, deserere cogatur per suspensionem a divinis aliasve poenas, depositione, si res ferat, non exclusa.**

CAN. 2402.

**Abbas vel Praelatus *nullius* qui contra praescriptum can. 322, § 2, benedictionem non receperit, est ipso facto a iurisdictione suspensus.**

CAN. 2403.

**Qui contra praescriptum can. 1406 fidei professionem sine iusto impedimento emittere negligat, moneatur, praefinito quoque congruo termino; quo transacto, contumax, etiam per privationem officii, beneficii, dignitatis, muneris, puniatur; nec interim beneficii, officii, dignitatis, muneris fructus facit suos.**

## TITULUS XIX.

### De abusu potestatis Tel officii ecclesiastici.

CAN. **2404.**

**Abusus potestatis ecclesiasticae, prudenti legitimi Superioris arbitrio, pro gravitate culpae puniatur, salvo praescripto canonum qui certam poenam in aliquos abusus statuunt.**

CAN. **2405.**

**Vicarius Capitularis aliive omnes tam de Capitulo, quam extranei, qui documentum quodlibet ad Curiam episcopalem pertinens sive per se sive per alium subtraxerint vel destruxerint vel celaverint vel substantialiter immutaverint, incurrunt ipso facto in excommunicationem Sedi Apostolicae simpliciter reservatam, et ab Ordinario etiam privatione officii, beneficii, plecti poterunt.**

CAN. **2406.**

**§ 1. Quicunque officio tenetur acta vel documenta seu libros Curiarum ecclesiasticarum vel libros paroeciales conficiendi, conscribendi aut conservandi, si ea falsare, adulterare, destruere vel occultare praesumpserit, suo officio privetur aliisve gravibus poenis ab Ordinario pro modo culpae puniatur.**

**§ 2. Qui vero acta, documenta vel libros hos legitime petenti exscribere, transmittere seu exhibere dolose detrectaverit aliove quovis modo officium suum prodiderit, privatione officii vel suspensione ab eodem et muleta ad arbitrium Ordinarii pro gravitate casus puniri potest.**

CAN. **2407.**

**Qui Curiae officiales seu administros quosvis ecclesiasticos, iudices, advocatos vel procuratores donis aut pollicitationibus ad actionem vel omissionem officio suo contrariam «inducere tentaverit, congrua poena plectatur et ad reparanda damna, si qua illata sint, compellatur.**

CAN. **2408.**

**Taxas consuetas et legitime approbatas ad normam can. 1507, augentes aut ultra eas aliquid exigentes, gravi muleta pecuniaria coerceantur, et recidivi ab officio suspendantur vel removeantur pro culpae gravitate, praeter obligationem restituendi quod iniuste perceperint.**

CAN. **2409.**

**Vicarius Capitularis concedens litteras dimissorias pro ordinatione contra praescriptum can. 958, § 1, n. 3, ipso facto subiacet suspensione a divinis.**

CAN. **2410.**

**Superiores religiosi qui, contra praescriptum can. 965-967, subditos suos ad Episcopum alienum ordinandos remittere praesumpserint, ipso facto suspensi sunt per mensem a Missae celebratione.**

CAN. **2411.**

**Superiores religiosi qui candidatum non idoneum contra praescriptum can. 542, aut sine requisitis litteris testimonialibus contra praescriptum can. 544, ad novitiatum receperint, vel ad professionem contra praescriptum can. 571, § 2 admiserint, pro gravitate culpae puniantur, non exclusa officii privatione.**

CAN. **2412.**

**Religiosarum etiam exemptarum Antistitae pro gravitate culpae, non exclusa, si res ferat, officii privatione, ab Ordinario loci puniantur :**

**1.° Si contra praescriptum can. 549 dotes puellarum receptarum quoquo modo impendere praesumpserint, salva semper obligatione de qua in can. 551, § 1.**

**2.° Si contra praescriptum can. 552 omiserint Ordinarium loci certiorem facere de proxima alicuius admissione ad novitiatum vel ad professionem.**

CAN. **2413.**

**§ 1. Antistitae quae post indictam visitationem religiosas in aliam domum, Visitatore non consentiente, transtulerint, itemque religiosae omnes, sive Antistitae sive subditae, quae per se vel per alios, directe vel indirecte, religiosas induxerint ut interrogatae a Visitatore taceant vel veritatem quoquo modo dissimulent aut non sincere exponant, vel eisdem, ob responsa quae Visitatori dederint, molestiam, sub quovis praetextu, attulerint, inhabiles ad officia assequenda, quae aliarum regimen secumferunt, a Visitatore declarentur et Antistitae officio, quo funguntur, priventur.**

**§ 2. Quae in superiore paragrapho praescripta sunt, etiam virorum religionibus applicentur.**

CAN. **2414.**

**Antistita quae contra praescriptum can. 521, § 3, 522, 523 se gesserit, a loci Ordinario moneatur; si iterum deliquerit, ab eodem officii privatione puniatur, illico tamen certiore facta Sacra Congregatione de Religiosis.**

**A. M. D. G.**

FINIS.

# DOCUMENTA

DOCUM. I.

CONSTITUTIO PII PP. X « *Vacante Sede Apostolica* »,
25 DECEMBRIS 1904.

Vacante Sede Apostolica, illud gravissimum sanctissimumque est, summum dominici gregis pastorem et caput, ad catholicam Ecclesiam provide solerterque regendam, eligere, qui in beati Petri locum succedens, Christi Iesu in terris personam gerat. Quod cum intelligerent Romani Pontifices Decessores Nostri, eo quavis aetate vigilem curam sedulamque cogitationem contulerunt ut ille modus et ordo in eligendo adhiberetur, qui rei gravitati aptius congruentique responderet. Qua de causa plures ex rè et tempore ab iis sapientissimae editae sunt leges ut negotium ipsum rite, legitime expediteque absolveretur : quas inter principem obtinent locum Constitutiones a Pio *I*, Gregorio XV et Clemente XII opportune sancitae.

Verum, decursu aetatum, factum est ut hae de Romano eligendo Pontifice indictae ac promulgatae leges sensim multiplici varioque numero augerentur : nonnullae etiam, temporum rationibus hominumque moribus mutatis, obsoletae evaderent : ita ut haud exigui laboris esse videatur discernere quaenam in Summo Pastore eligendo servanda sint.

Nos igitur, hoc incommodum praevertere volentes, quae de Romano Pontifice eligendo a Decessoribus Nostris decreta sunt, omnia in unam Constitutionem digerere opportunum duximus, integris, quantum fieri potuit, servatis ipsis priorum Constitutionum praescriptis, quin etiam verbis (licet haud semper uniformi stilo respondentibus), quae veneranda vetustas sancivit, nonnullis tamen mutatis, prouti opportunius Nobis visum est.

Itaque, re diu ac mature perpensa, certa scientia et proprio motu, de Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, hanc Constitutionem, quae perpetuo in futurum vigeat, edere statuimus, qua Sacrum Cardinalium Collegium, Romana Petri Sede vacante, atque in Romano Pontifice eligendo unice utatur, eamque vim legis habere solam decernimus, abrogatis Constitutionibus ac Decretis omnibus et singulis a Romanis Pontificibus hac de re editis, etiam in Conciliis generalibus promulgatis et in corpore iuris conclusis: excepta tamen Nostra Constitutione « *Commissum Nobis* », diei xx mensis Ianuarii labentis anni, de civili *Veto* seu *Exoluswa,* uti vocant, in electione Summi Pontificis, et Constitutione « *Praedecessores Nostri* » cum Instructione (vulgo *Regolamento)* adiecta, a fel. rec. Leone XIII die xxiv mensis Maii MDCCCLXXIXII data pro extraordinariis perturbatisque temporum adiunctis, quam in futurum quoque, ubi in iisdem Sedes Apostolica conditionibus versetur, praeter ea quibus hac Constitutione derogatum est, vigere integram volumus.

# TITULUS I.

## DE SEDE APOSTOLICA VACANTE.

### CAPUT I.

### *De potestate 8. Collegii Cardinalium, Sede Apostolica meante.*

**1. Sedis Apostolicae vacatione durante, S. Collegium Cardinalium in iis, quae ad Pontificem Maximum dum viveret pertinebant, nullam omnino potestatem aut iurisdictionem habeat, neque gratiam, neque iustitiam faciendi, aut factam per Pontificem mortuum executioni demandandi; sed ea omnia futuro Pontifici reservare teneatur [1]. Itaque irritum et inane esse decernimus quidquid potestatis aut iurisdictionis ad Romanum, dum vivit, Pontificem pertinentis (nisi quatenus in hac Nostra Constitutione expresse permittatur) coetus ipse Cardinalium duxerit (eadem vacante Ecclesia) exercendum [2].**

**2. Item praecipimus, ne S. Cardinalium Collegium de iuribus Sedis Apostolicae Romanaeque Ecclesiae quomodolibet disponere valeat, neque in quopiam iuribus eiusdem sive directe detrahere attentet, sive indirecte per conniventiae speciem, seu per dissimulationem facinorum adversus eadem iura, etiam post obitum Pontificis seu vacationis tempore, perpetratorum, attentare videatur; immo volumus ut omnium virium contentione eadem custodire et defendere debeat [3].**

3. **Leges a Romanis Pontificibus latae, per coetum Cardinalium Romanae Ecclesiae, ipsa vacante, corrigi, vel immutari nullo modo possunt, nec quicquam eis detrahi sive addi, vel dispensari quomodolibet circa ipsas seu aliquam earum partem. Quod potissimum valet de Constitutionibus pontificiis, ad ordinandum negotium electionis Romani Pontificis latis [4].**

**•4. Si quae tamen dubia exoriantur circa sensum praescriptionum, quae hac Nostra Constitutione continentur, vel etiam circa rationem, iuxta quam ad usum ea traduci debeat, sive super quovis alio Nostrae huius Constitutionis capite, edicimus ac decernimus unice penes Sacrum Cardinalium Collegium potestatem esse super his ferendi sententiam; quam in rem eidem S. Cardinalium Collegio plenam tribuimus facultatem, qua hanc Nostram Constitutionem interpretari ac dubia declarare valeant. Qua quidem in re, quemadmodum in reliquis, de quibus ad Nostrae huius Constitutionis tramites, excepto ipso electionis actu, deliberari contingat, satis omnino erit si maior congregatorum Cardinalium pars in eamdem sententiam consentiat [5].**

5. **Pariter in casu urgentis negotii, quod, ex voto maioris congregatorum**

[1] **Pii IV Const. « *In eligendis-»,* VII Idus Oct. 1562, § 6; Clem. XII Const. *«Apostolatus officium»,* iv Non. Oct. 1732, § 6.**

[2] **Clem. V in Conc. Viennensi, cap. 2 « *Ne Romani* » in pr. *de elect.* I, 3 in Clem.**

[3] **Leonis XIII Const. *«Praedecessores Nostri»,* 24 Maii 1882.**

[4] **Gleni. V cap. 2 « *Ne Romani* » in pr. *de elect.* I, 3 in Clem.; Greg. XV Const. « *Aeterni Patris* », XVII kal. Decembr. 1621, § 20.**

[5] **Leonis XIII Const. « *Praedecessores Nostri* ».**

**Cardinalium partis, in aliud tempus differri non valeat, S. Collegium, item iuxta maioris partis sententiam, de opportuno remedio disponere potest et debet** *K*

CAPUT **II.**

### *De Cardinalium Congregationibus.*

6. **Tempore Sedis vacantis duplex habeatur Cardinalium Congregatio, altera *generalis,* sive totius Collegii, altera *particularis,* constans tribus Cardinalibus antiquioribus, uno ex quoque Ordine, cum Camerario, quorum officium tertia die post Conclavis ingressum omnino exspirat, in eorumque locum tres alii sequentes in Ordine quolibet tertio die una cum eodem Camerario succedunt [2].**

**7. Volumus ut in dictis Congregationibus particularibus, quae sive ante, sive post coeptum Conclave haberi poterunt, levioris dumtaxat momenti, ac in dies seu passim occurrentia negotia expediantur. Si quid vero gravioris momenti atque indaginis fuerit, id omne ad Congregationem generalem, seu ad S. Collegium Cardinalium deferatur. Ac ulterius, quae in una Congregatione particulari decreta, resoluta, vel denegata fuerint, in alia revocari, mutari, aut concedi nequeant, sed id faciendi ius habeat ipsa tantum Congregatio generalis per pluralitatem suffragiorum [3].**

**8. Suffragia in Cardinalium Congregationibus, cum de rebus gravioris momenti agatur, non ore, sed suffragiis secretis dentur.**

9. **Inter generales Congregationes singulari mentione dignae sunt quae ante ingressum in Conclave habentur, eaedemque Congregationes praeparatoriae appellari possunt.**

**10. Congregationes generales praeparatoriae quotidie omnino locum habere debent a die obitus Pontificis usque ad diem quo Conclave Cardinales ingrediuntur, etiam diebus, quibus exsequiae defuncti Pontificis persolvuntur, idque eo consilio fiat ut liberum sit tum Cardinali Camerario sententiam S. Collegii exquirere atque cum ipso quae necessaria vel opportuna iudicaverit, communicare, tum singulis Cardinalibus sententiam suam circa occurrentia negotia aperire, in rebus dubiis explicationes sciscitari, et opportuna proponere.**

**11. In memoratis Congregationibus generalibus haec praecipue negotia expedienda sunt [4] :**

*a)* **In primis Congregationibus integre legendas erunt tum praesens haec, quum superius memoratae Constitutiones « *Commissum Nobis* » de civili *Veto* seu *Exclusiva,* uti vocant, in electione Summi Pontificis, a Nobis edita, et Leonis XIII « *Praedecessores Nostri* » cum adiecta Instructione : iisdemque perlectis, iusiurandum ab omnibus Cardinalibus praesentibus iuxta praescri-**

[1] **Greg. X, in gener. conc. Lugdun. cap. 3 « *Ubi periculum* », § 1 *de elect.* I, 6 in Sext. ; Pii IV Const. « *In eligendis* », § 6.**

[2] **Giern. XII Const. « *Apostolatus officium* », § 7; Pii IV Const. « *In eligendis* », §§ 7 et 8.**

[3] **Clem. XII Const. « *Apostolatus officium* », § 7.**

[4] **Clem. XII *Chirografo « Avendo Noi* », 2i Dec. 1732, n. 17.**

**ptam formulam [*] praestandum. Quod iusiurandum pariter emittere tenentur omnes alii Cardinales, qui serius ad" locum electionis pervenerint, sive nondum sive iam inceptis Comitiis. >**

***b)* Cardinales quam cito ea omnia decernere ac disponere debent, quae ad Conclave inchoandum urgentiora sunt.**

**c) Constituendus est dies, hora ac modus, quo corpus defuncti Pontificis transferatur.**

***d)* Item Cardinales omnia opportune paranda curabunt, ut diebus statutis Pontificiae exsequiae solvantur.**

***e)* Deputentur duo viri ecclesiastici, qui orationes « *De Pontifice defuncto* » et « *De eligendo Pontifice* » recitare debeant.**

***f)* Constituatur dies, quo, si ab ipsis petatur, tum Legatis civilium Regiminum tum Equitibus Ordinis Hierosolymitani S. Collegium conveniendi aditus detur. Praedicti autem Legati nonnisi simul congregati admittantur, neque singulis facultas in posterum concedatur S. Collegium adeundi.**

[*] Formula iurisiurandi ab Emis ac Rmis S. R. E. Cardinalibus praestandi:

*« Nos Episcopi, Presbyteri et Diaconi S. R. E. Cardinales promittimus, vovemus et iuramus, inviolabiliter et ad unguem omnes et singulos Nos esse observaturos contenta omnia [in Constitutione Summi Pontificis Pii Decimi* De Sede Apostolica vacante et de Romani Pontificis electione, *quae incipit* «Vacante Sede Apostolica», *data die vigesima quinta Decembris anno millesimo nongentesimo quarto; necnon in Constitutionibus* «Commissum Nobis » *de civili* Veto *seu* Exclusiva, *uti vocant, in electione Summi Pontificis, ab eodem Pio Decimo data die vigesima Ianuarii eiusdem anni millesimi nongentesimi quarti, ac Leonis XIII* « Praedecessores Nostri » *cum adiecta '[Instructione, data die vigesima quarta Maii anno millesimo octingentesimo octogesimo secundo, item promittimus, vovemus, et iuramus, quod quilibet ex Nobis in Romanum Pontificem, Deo sic disponente, erit assumptus, iura etiam temporalia, praesertim de civili Romani Pontificis principatu, libertatemque Sanctae Sedis integre ac strenue adserere et vindicare numquam desistei, atque eamdem hanc promissionem et iusiurandum, post eius ad Summi Pontificatus fastigium assumptionem, rursus praestabit.*

*« Praecipue autem promittimus et iuramus, sub poenis in praedicta Pii Decimi Constitutione* « Vacante Sede Apostolica » *statutis, Nos accuratissime et quoad omnes, etiam familiares seu Conclavistas nostros, secretum esse servaturos in iis omnibus, quae ad electionem Romani Pontificis quomodolibet pertinent, et m iis quae in Conclavi seu in loco electionis aguntur, neque secretum praefatum quoquomodo violaturos, sive ipso Conclavi durante, sive etiam post novi Pontificis electionem, nisi peculiaris facultas aut expressa dispensatio ab eodem futuro Pontifice Nobis tributa fuerit; itemque nullo modo a quavis civili potestate, quovis praetextu, munus proponendi* Veto *sive* Exclusivam, *etiam sub forma simplicis desiderii, esse recepturos, ipsumve hoc* Veto, *qualibet ratione Nobis cognitum, patefacturos, sive universo Cardinalium Collegio simul congregato, sive singulis purpuratis Patribus, sive scripto, sive ore, sive directo ac proxime, sive oblique ac per alios, sive ante Conclave sive ipso perdurante^; nullique interventui, intercessioni, aliive cuilibet modo, quo laicae potestates cuiuslibet gradus et ordinis voluerint sese in Pontificis electione immiscere, auxilium vel favorem praestituros ».*

Hanc formulam Cardinalis Decanus coram omnibus Cardinalibus iubeat a Praefecto Caeremoniarum elata voce legi. Deinde singuli Cardinales dicent:

*« Et Ego N. Cardinalis N. spondeo, voveo, ac iuro ».*

Et imponentes utramque manum super Evangelium, adiungent:

*« Sic me Deus adiuvet et haec Sancta Dei Evangelia ».*

*g)* Nominentur singulares duorum vel trium Cardinalium coetus, vulgo *Commissiones:* α) pro inquisitione de qualitatibus Conclavistarum eorumque approbatione[1], itemque pro eorum designatione, qui Conclavi inservire debeant; β) pro constructione et clausura Conclavis, ac pro cellarum dispositione[2].

*h)* Proponantur atque approbentur expensae Conclavis.

*i)* Epistolae Imperatorum, Regum aliorumque civitatum Moderatorum, item Nuntiorum relationes, omniaque alia, quae S. Collegii interesse possint, cum ipso communicentur.

*k)* Perlegantur, si quae sint, documenta a defuncto Pontifice Sacro Cardinalium Collegio relicta.

*l)* Frangantur Annulus Piscatoris et Plumbum Cancellariae Apostolicae. Pro-Datarius autem vel Sub-Datarius, et Secretarius Brevium vel eius Substitutus supplicationes gratiarum, quae penes ipsos sunt, sub sigillo clausas Sacro Collegio tradant.

*m)* Cellae Conclavis Cardinalibus sorte distribuantur[3].

## CAPUT III.

### *De nonnullis peculiaribus officiis, Sede Apostolica vacante.*

12. S. R. E. Camerarii et Poenitentiarii Maioris officia non cessant per obitum Pontificis[4].

13. Si autem contingat alterius vel etiam utriusque officii vacatio ante novi Pontificis electionem, tunc Congregatio generalis triduo post secutam vacationem alterutrius ex praefatis ofiiciis habeatur, ac vota seu suffragia Cardinalium simul congregatorum pro deputatione illius, qui Camerarii vel Poenitentiarii Maioris vices suppleat usque ad electionem novi Pontificis, exquirantur, denturque per schedulas secretas, a Magistris Caeremoniarum etiam ab infirmis Cardinalibus colligendas, ac coram tribus Cardinalibus eo tempore in ordine Prioribus, praesentibus eisdem Caeremoniarum Magistris atque S. Collegii Secretario, aperiendas;; isque deputatus habeatur, in quem pars relative maior votorum seu suffragiorum praefatorum convenerit, ac sic deputato facultates omnes, quas ipse Camerarius vel Poenitentiarius Maior exercere poterat, quamdiu Sedes vacaverit, attribuimus[5]. Quod si forsan vota paria fuerint, ille deputatus habeatur, qui fuerit ordine dignior, vel, si eiusdem ordinis, senior.

14. Cardinali *Camerario,* vacante Sede Apostolica, incumbit cura et administratio bonorum ac iurium temporalium ipsius S. Sedis, adsistentibus ei in suo officio Cardinalibus eo tempore in ordine Prioribus seu Capitibus Ordinum, et praehabitis semel pro levioribus, ac semper pro gravioribus negotiis suf-

[1] Pii IV Const. « *In eligendis* », § 17.

[2] Pii IV Const. « *In eligendis*», § 15; Clem. XII Const. «*Apostolatus officium* », § 10.

[3] Pii IV Const. « *In eligendis* », § 13.

[4] Clem. V cap. 2 « *Ne Romani* », § 1 de *elect.* I, 3 in Clem.; Pii IV Const. « *In eligendis* », § 9; Clem. XII Const. «*Apostolatus officium*», § 15.

[5] Clem. V cap. 2 « *Ne Romani* », % i de *elect.* I, 3 in Clem.; Clem. XII Const. « *Apostolatus officium*», § 15; Bened. XIV Const. « *In Apostolicae*», Idibus Apr. 1744, § 4.

fragiis S. Collegii. Hinc Cardinalis Camerarius, statim ac a Sacri Palatii Apostolici Praefecto nuncium de Pontificis obitu acceperit, ad Apostolicum Palatium perget, ut ipsius possessionem capiat ac eius regimen exerceat. Eiusdem Camerarii erit Pontificis mortem iure recognoscere atque authenticum mortis actum conficere; statuere, auditis Cardinalibus Capitibus Ordinum, modum ad conservationem corporis defuncti Pontificis pro temporum conditionibus magis convenientem et aptum (nisi forte Pontifex ipse vivens suam hac de re voluntatem manifestaverit); privatis eiusdem Pontificis aedibus sigilla apponere; ipsius obitum cum Cardinali in Urbe Vicario communicare, qui de re Populum Romanum singulari Edicto edocebit; eaque omnia, nomine et consensu S. Collegii, curare, quae ad iura Apostolicae Sedis tuenda et ad ipsius administrationem recte gerendam rerum temporumque adiuncta suadebunt [1].

15. Cardinalis autem Sacri Collegii *Decani* erit, vix dum ab eodem Sacri Palatii Apostolici Praefecto de Pontificis morte fuerit edoctus, ceteris Cardinalibus vacationem Sedis Apostolicae significare, eosque ad Palatium Apostolicum advocare [2].

16. *Poenitentiarius Maior* eiusque officiales, Sede vacante, ea facere et expedire valeant, quae a fel. rec. Benedicto XIV constituta ac definita sunt [3].

17. *Vicecancellarii S. R. E., Prodatarii* [4], *Secretarii Brevium* officia per obitum R. Pontificis omnino exspirant.

18. Item per obitum Pontificis cessat munus Cardinalis *Secretarii Status*, eoque munere, Sede vacante, fungitur Praelatus *S. Collegii Secretarius*. Quod si hoc officium vacare contingat, eiusdem S. Collegii erit, aliquem ad illud, quamdiu scilicet Sedes Apostolica vacaverit, per pluralitatem suffragiorum deputare.

19. E contra *Cardinalis in Urbe Vicarii* officium et iurisdictio non exspirant morte Romani Pontificis. Quod si ipsum Vicarium Urbis, Sede vacante, e vivis decedere contigerit, ne Christifideles Urbis eiusque Districtus aliquod inde accipiant in spiritualibus detrimentum, tunc exsistens Vicesgerens dicti Vicarii, quamdiu Sedes vacaverit, omnes et singulas habebit facultates, auctoritatem et potestatem, quae eidem Vicario pro exercitio officii Vicariatus quomodolibet competebant, quasque Pontifex ipse, occurrente vacatione Vicariatus Sede plena, Vicesgerenti praedicto quandoque per aliquod tempus, donec scilicet successorem Vicarium deputaverit, attribuere solet [5].

20. Item *Legatorum, Nuntiorum* ac *Delegatorum Apostolieomm* officium et potestas non cessant Sede vacante.

21. Probe autem scientes eo maxime tempore, cum de creando Pontifice agitur, divinam opem per assiduas preces, aliaque christianae pietatis et caritatis opera impensius expetendam, ac promereri satagendum esse; ideo sicuti magnopere commendamus, ita quoque retineri volumus laudabilem morem huc usque observatum, ut defuncti *Pontificis Eleemosynarius* id muneris exercere pergat cum debita S. Collegio Cardinalium subiectione et ab eo dependentia,

[1] Cfr. « *Regolamento* », Leonis XIII, nn. 3-6.

[2] Cfr. « *Regolamento* », Leonis XIII, nn. 7-8.

[3] Const. «*Pastor bonus*», Idibus Apr. 1744, §§ 51-55.

[4] Pii IV Const. « *In eligendis* », % 11.

[5] Clem. XII Const. «*Apostolatus officium*», § 17.

donec novus Pontifex eligatur, utque eadem pecuniae vis in Subventionen! eorumdem pauperum et egenorum Sede vacante per ipsum Eleemosynarium dispensetur ac erogetur, quae vivente Pontifice distribui solet, ad quem effectum consueta mandata a tribus Cardinalibus eo tempore in Ordine Prioribus, seu deputatis expediantur [1].

CAPUT IV.

*De Sacris Romanis Congregationibus earumque facultatibus Sede Apostolica vacante.*

22. Circa facultates Sacrarum Romanarum Congregationum, Sede vacante, hae, quae sequuntur, normae ab omnibus servandae sunt, non obstantibus privilegiis quibusvis.

23. Sacrae Congregationes, eadem Sede vacante, nullam potestatem habent in iis, quae Sede plena facere et expedire non possunt nisi *facto verbo cum SSmo,* vel *ex audientia SSmi,* vel *vigore specialium et extraordinariarum facultatum,* quae a Romano Pontifice earumdem Congregationum Praefectis vel Secretariis concedi solent.

24. Facultates vero quae ipsis per Litteras apostolicas attributae sunt, et proinde tamquam ordinariae atque ipsarum Congregationum propriae censentur, eae morte Romani Pontificis non exstinguuntur.

25. Volumus tamen ut his facultatibus ordinariis Sacrae Congregationes solummodo in iis gratiis concedendis, quae minoris momenti sunt, libere, pro rei opportunitate, utantur. In iis vero expediendis definiendisque negotiis quae graviora vel controversa esse videntur, illud statuimus, ut, si res talis sit, quae in aliud tempus differri valeat, futuro Pontifici reservetur omnino : sin autem nullam admittat moram, tunc S. Collegio concedimus ut committere possit negotium Praefecto et aliquot aliis Cardinalibus eius Congregationis, ad quam Pontifex illud examinandum verisimiliter commisisset, qui, negotio accurate discusso, ea desuper decernere possint, per modum tamen provisionis, donec eligatur Pontifex, quae, iuxta datam sibi a Domino prudentiam, iuribus et rationibus ecclesiasticis custodiendis ac tuendis apta et consentanea censuerint [2].

CAPUT V.

*De exsequiis Romani Pontificis.*

26. Romano Pontifice vita functo, Cardinales exsequias pro eius anima, de more per novem continuos dies persolvent, nisi forte in illis novem diebus aliquod festum ex praecipuis et magnis incidat, propter cuius observantiam exsequiae intermittendae videantur; tunc enim in numero quidem novem dierum exsequiarum intermissarum dies computantur [3]. Tribus vero postremis diebus solemniori ritu exsequias celebrabunt; et ultima earumdem exsequiarum die a viro ecclesiastico ad hoc deputato habebitur oratio « *de Pontifice defuncto* ».

[1] Gleni. XII Const. « *Apostolatus officium* », § 25.

[2] Clem. XII Const. «*Apostolatus officium*», § 18.

* Cfr. Caeremoniale Greg. XV «*Decet Romanum*», *ix* Idus Maii. 1621,

# TITULUS II.

## DE ELECTIONE ROMANI PONTIFICIS.

### CAPUT I.

### *De electoribus Romani Pontificis.*

**27. Ius eligendi Romanum Pontificem ad S. R. E. Cardinales unice et privative pertinet, excluso prorsus atque remoto quolibet cuiuspiam alterius Ecclesiasticae dignitatis, aut laicae potestatis cuiuslibet gradus et ordinis interventu** [1]

**28. Si quando contingat ut Romanus Pontifex decedat, perdurante celebratione alicuius Concilii generalis, sive Romae illud habeatur, sive in alio quovis orbis terrarum loco, electio novi Pontificis ab uno S. R. E. Cardinalium Collegio semper et exclusive fieri debet, minime vero ab ipso Concilio, atque etiam omnino exclusis ab eadem electione peragenda quibuslibet aliis personis cuiusvis, licet ipsius Concilii, auctoritate forte deputandis, praeter Cardinales praedictos. Quin imo, ut in eiusmodi electione memorati Cardinales, omni prorsus impedimento submoto et quavis perturbationum et dissidiorum occasione sublata, liberius et expeditius procedere queant, ipsum Concilium in quibuslibet statu et terminis exsistat, statim ab accepto certo nuntio demortui Pontificis, suspensum ipso iure intelligi debet, adeo ut, nulla prorsus interiecta mora, cessare statim debeat a quibuslibet conventibus, congregationibus et sessionibus, et a quibusvis decretis seu canonibus conficiendis, nec ob quamlibet causam, etiamsi gravissima et speciali mentione digna videatur, ulterius progredi, donec novus Pontifex canonice electus illud reassumi et continuari iusserit** [2]**.**

**29. Nullus Cardinalium, cuiuslibet excommunicationis, suspensionis, interdicti aut alius ecclesiastici impedimenti praetextu vel causa a Summi Pontificis electione activa et passiva excludi ullo modo potest; quas quidem censuras et excommunicationes ad effectum huiusmodi electionis tantum, illis alias in suo robore permansuris, suspendimus** [3]**.**

**30. Postquam aliquis S. R. E. Cardinalis in Consistorio creatus fuit, is statim vocem et ius eligendi Pontificem habet, et consequenter etiamsi cardinalitia galeras nondum illi traditus sit, neque os clausum, vel si clausum fuerit, nondum tamen apertum sit. Etenim huiusmodi claudendi oris ritus ad praecipuam Cardinalium facultatem, quae circa Summi Pontificis electionem versatur, non pertinet, sed caeremonia quaedam est, ea de causa introducta, ut Cardinales, antequam in Consistoriis et Congregationibus suffragium ferant, de modestia, quae ab ipsis in his et aliis actibus adhiberi debet, quodammodo admoneantur** [4]**.**

[1] **Pii IX Const. *«In hac sublimi»*, x kal. Sept. 1871 et *« Consulturi »*, 10 Oct. 1877; Leonis XIII Const. *«Praedecessores Nostri»*.**

[2] **Pii IX Const, *« Cum Romanis Pontificibus »*, pridie Nonas Decembris 1869.**

[3] **Clem. V cap. 2 *« Ne Romani », %&de elect.* I, 3 in Clem.; Pii IV Const. *« In eligmdis »*, § 29; Greg. XV Const. *« Aetemi Patris»*, § 22.**

[4] **Pii V decretum die 26 Ian. 1571 ; Caeremoniale Greg. XV, § *Porro.***

**31. Cardinales canonice depositi, vel qui dignitati cardinalitiae, consentiente Eomano Pontifice, renuntiaverunt, nullum ius ad electionem habent. Immo, Sede vacante, nec potest S. Collegium restituere et habilitare Cardinales per Papam privatos seu depósitos, ne quidem ad vocem [1].**

**32. Statuimus etiam et declaramus, quod si forte aliquis Cardinalis saltem in Diaconatus ordine constitutus non fuerit, is nullatenus ad eligendum admitti debeat [2], nisi certo et indubitato privilegio Pontificio munitus sit [3].**

**33. Item statuimus, ut cum Pontificem de hac vita migrare contigerit, praesentes Cardinales expectare debeant absentes per decem tantummodo dies, quibus exsequiae defuncti Pontificis celebrantur; quibus elapsis, statim Conclave ingredi et ad electionis negotium procedere tenentur [4].**

**34. Si tamen Cardinales absentes supervenerint, re integra, id est antequam eidem Ecclesiae sit de Pastore provisum, in eodem negotio, in illo statu, in quo ipsum invenerint, admittantur [5].**

**35. Omnibus autem Cardinalibus in virtute sanctae obedientiae praecipimus et mandamus, ut, postquam per Cardinalem Decanum, vel ipso impedito, per alium Cardinalem, de vacatione Sedis Apostolicae certiores facti, atque ad novi Pontificis electionem advocati fuerint, nisi legitimo impedimento detineantur, indictionis litteris obtemperare, et ad locum eisdem designatum pro perficienda Pontificis electione statim se conferre debeant [6].**

**36. Si quis vero forte Conclave intrare noluerit, vel ingressus, absque manifesta infirmitatis causa, iuramento medicorum et a maiori parte Cardinalium approbata, exiverit; tunc, ipso minime requisito, nec in eiusdem electionis negotio ulterius admittendo, per alios ad eligendum Summum Pontificem libere procedatur. Si vero, infirmitate superveniente, aliquem eorum e Conclavi exire contingat, ipsa etiam infirmitate durante, poterit, eius suffragio non requisito, ad electionem procedi; sed si ad Conclave, post sanitatem sibi redditam, seu ante, redire voluerit, rursus admittatur [7].**

**37. Cardinales omnes et singuli, valetudine non impediti, cum tertio pulsata per loca solita conclavis campanula fuerit, ad scrutinium convenire debent; cui legi si quis non obtemperaverit, latae sententiae excommunicationis poenam incurrat [8].**

## CAPUT II.

### *De Conclavistis ac de aliis in Conclavi partem habentibus.*

**38. Quilibet Cardinalis in Conclavi duobus servientibus clericis, vel laicis, vel uno clerico et uno laico, contentus sit; infirmis autem et graviter affectis, a maiore parte S. Collegii, vel a Cardinali Camerario una simul cum Cardi-**

[1] Bonif. VIII cap. un. *de schismatic.* V, 3 in Sext.; Pii IX Litt. « *Quamquam* », 29 Sept. 1867.

[2] Pii IV Const. « *In eligendis* », § 25; Sixt. V Const. «*Postquam verus* », in Non. Dec. 1586, § 6.

[3] Cfr. Caeremoniale Greg. XV, § *Porro.*

[4] Greg. X cap. 3 « *Ubi periculum* », § *i de elect.* I, 6 in Sext.; Pii IV Const. « *In eligendis* », §§ 2, 3, 5.

[5] Greg. X cap. 3 « *Ubi periculum* », § 1 *de elect.* I, 6 in Sext.

[6] Leonis XIII Const. « *Praedecessores Nostri* ».

[7] Greg. X cap. 3 « *Ubi periculum* », § 1 de *elect.1*,6 in Sext.; Pii IV.Const.« *In eligendis* », § 4,

[8] Greg. XV Const. «*Aetemi Patris*», § 17.

**nalibus Capitibus Ordinum, de consensu maioris partis S. Collegii, tertius indulgeri potest [1].**

**39. Conclavistae Praelati esse non possunt, neque consanguinei vel affines in primo et secundo gradu Cardinalium, etiamsi expensis eorum viverent, aut eiusdem Ordinis seu Congregationis religiosae. Et de qualitatibus Conclavistarum, Cardinales deputati ante Conclavis ingressum diligenter inquisitionem habere, et eos approbare, ac post ingressum denuo diligenter inquirere debent [2].**

**40. Conclavistae iusiurandum, quod ab ipsis iuxta statutam formam [[3]] edi debet, serio ac religiose, pro rei gravitate, praestent. Quam ob rem S. R. E. Camerarii erit cavere, ut ab ipsis praedictum iusiurandum saltem una vel altera die ante ingressum in Conclave emittatur, postquam unusquisque eorum eiusdem iurisiurandi momentum ac formulae sententiam probe intellexerit.**

**41. Conclavistae vero, et quicumque alii servientes, e Conclavi, ex causa infirmitatis manifestae et notabilis a medicis iuramento probatae, et de con-**

[1] Pii IV" Const. « *In eligendis* », § 16.

[2] Pii IV Const. « *In eligendis* », § 17.

[3] Formula iurisiurandi a Magistris Caeremoniarum atque ab omnibus aliis Conclavistis ecclesiasticis praestandi, una vel altera die ante ingressum in Conclave, coram Caeremoniarum Praefecto vel S. Collegii Secretario ad rem deputatis:

*« Ego..................................................................................................................*

*constitutus coram te..................................................................................................*

*tactis per me SS. Dei Evangeliis coram me positis, iuro et promitto me inviolabile servaturum esse secretum in omnibus et singulis, quae de novi Pontificis electione deque iis, quae in Conclavi seu in loco electionis aguntur, quovis modo cognoverim, adeo ut nec directe, nec indirecte, neque nutu, neque verbo, neque scriptis, vel alias quomodolibet, ipsum mihi violare liceat, et hoc nedum sub poena excommunicationis latae sententiae, futuro Pontifici speciali modo reservatae, privative etiam quoad S. Poenitentiariam, sed etiam sub poena privationis cuiuscumque beneficii, pensionis, officii vel muneris ipso facto incurrendam in casu transgressionis. Quod secretum accuratissime ac religiose servabo etiam post peractam novi Pontificis electionem, nisi ab eodem Pontifice peculiaris facultas aut expressa dispensatio mihi concessa fuerit.*

*Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia, quae propriis manibus tango ».*

Formóla del giuramento per i Conclavisti ed altri inservienti laici :

*« IO..................................................................................................................*

*stando dinnanzi a.....................................................................................................*

*tocca/ndo colle mie proprie mani i Santi Evangeli, giuro e prometto che osserverò un inviolabile e rigoroso segreto su tutte e singole quelle cose, le quali in qualunque modo venissi a conoscere, riguardanti la elesione del nuovo Pontefice e ciò che avverrà nel Conclave o nel luogo della elesione, e che non violerò in alcun modo questo segreto, né direttamente, né indirettamente, né con parole, né con scritti, né con segni, o in altra qualsiasi guisa; e ciò non solo sotto pena di scomunica, riservata in modo speciale al futuro Pontefice, ad esclusione anche della Sacra Penitenzieria, e da incorrersi sens'altra dichiarazione col solo fatto della violazione del giurato segreto, ma anche sotto altre pene anche gravissime da infiiggermisi dalla stessa Santità Sua in caso di trasgressione. Il segreto io giuro e prometto che manterrò coscienziosamente anche dopo avvenuta l'elezione del nuovo Pontefice, a meno che non mi venga su ciò concessa dal medesimo Pontefice una espressa e speciale facoltà,*

*« Così Dio mi aiuti e questi Santi Evangeli, che tocco colle mie mani».*

**sensu deputatorum, quorum etiam conscientiam oneramus, et non aliter exituri, nullo modo reverti possunt; sed eorum loco, alii eodem prorsus tempore, quo infirmi exibunt, ingrediantur [1].**

**42. Item si aliquem Cardinalem in Conclavi vita fungi accidat, ipsius Conclavistae statim e Conclavi exire debent, neque ad alterius Cardinalis famulatum in eodem Conclavi assumi poterunt [2].**

**43. Sacri Palatii Apostolici Sacrista quoque cum uno vel pluribus (ad S. Collegii arbitrium) Clericis coadiutoribus in officio Sacristae, itemque Magistri Caeremoniarum non plures quam sex Conclave ingrediantur, muneribus quae ad ipsos pertinent vacaturi. Adsit praeterea unus S. Collegii Secretarius tantum, unus Religiosus pro confessionibus excipiendis, duo Medici, unus Chirurgus, unus Aromatarius cum uno aut duobus servientibus, qui omnes a maiori parte Cardinalium vel a Cardinali Camerario una simul cum Cardinalibus Capitibus Ordinum, de consensu maioris partis Cardinalium, erunt eligendi; aliique Conclavis utilitati atque commoditati servientes, qui tamen plures esse non debent quam quod necessitas postulaverit [3].**

## CAPUT III.

## *De ingressu in Conclave* [4].

**44. Exsequiis defuncti Pontificis (ut supra) persolutis, et interim Conclavi opportune praeparato, Cardinales in Basilicam Sancti Petri, vel alio pro temporis et loci opportunitate conveniunt, ubi per Decanum Sacri Collegii, vel eo impedito per alium ex antiquioribus Cardinalibus, Missa de Spiritu Sancto celebratur, et in fine per aliquem Praelatum aut alium virum ecclesiasticum doctum habeatur oratio, qua moneantur, ut, sepositis omnibus privatis affectibus, solum Deum prae oculis habentes, Sanctae Romanae et universali Ecclesiae de Pastore sufficienti et idoneo providere, omni qua possunt brevitate et diligentia curent.**

**45. Re divina peracta, statim, vel, si Patribus potius libuerit, vespere, fit ingressus in Conclave. Clericus Caeremoniarum capit Crucem Papalem, et procedit: quem Cardinales sequuntur, Episcopi primum, deinde Presbyteri, postremo Diaconi cum suis cappis violaceis : Crucem praecedunt Familiares Cardinalium, et immediate Cantores Hymnum *Veni Creator Spiritus* cantantes : post Cardinales sequuntur Praelati, atque ita ordine procedentes, Conclave ingrediuntur, et cum ad Cappellani pervenerint, Cardinalium Decanus apud Altare dicit orationem *Deus qui corola fidelium;* qua finita, tum praesens quum etiam memoratae Constitutiones « *Commissum Nobis* » de civili *Veto,* et Leonis XIII « *Praedecessores Nostri* » (praetermissis iis, quae nonnisi res iam peractas respiciunt) iterum leguntur; ac iusiurandum, iuxta superius praescriptam formam, ab omnibus Cardinalibus rursus emittitur. Deinde Cardinales post brevem sermonem habitum per Decanum, quo eos convenien-**

[1] Pii IV Const. « *In eligendis* », § 24.

[2] Clem. XII Chirogr. « *Avendo noi* », n. 16.

[3] Pii IV Const. «*In eligendis* », § 18; Clem. XII Const. «*Apostolatus officium*», § 13.

[4] Cfr. Caeremoniale Greg. XV.

**tibus verbis ad. electionis negotium rite et recte peragendum hortatur, ad cellas sorte inter eos distributas divertunt.**

**Interim Officiales Conclavis et alii in Conclavi servientes iuramenta iuxta praescriptas formulas praestant coram Caeremoniarum Praefecto vel S. Collegii Secretario, ad rem deputatis a Cardinali Camerario, coram quo antea et ab ipsis iusiurandum emittendum est. Pariter hac eadem die, qua fit ingressus in Conclave, Praelatus Pontificiae Domui praepositus et Marescallus Conclavis iusiurandum emittere debent iuxta statutas formulas coram Cardinali Decano, praesentibus omnibus Cardinalibus, idemque praestant Praelati, quibus Conclavis custodia concreditur.**

**46. Tandem, postquam ter, iussu Cardinalis Decani, campanula personata fuerit, exclusis omnibus, qui in Conclavi remanere non debent, ipsum Conclave intus et extra claudatur, et claves S. R. E. Camerario ac Magistro Caeremoniarum et Praelatis custodibus Conclavis iuxta solitum assignentur.**

**Deinde accensis fanalibus, tres Cardinales Capita Ordinum et Camerarius, una cum Magistro Caeremoniarum latebras et ángulos omnes Conclavis diligenter perquirant, ne quis ex iis, qui esse in Conclavi prohibentur, intus remanserit. In Conclavi autem esse possunt Familiares Cardinalium et alii Officiales et Ministri Conclavis, quos superius recensuimus; omnium autem istorum Conclavistarum recognitio fieri debet, ne quis inter illos forte sit ex iis, qui in Conclavi esse non possunt : quae recognitio ut certius fiat, iubentur Conclavistae omnes intrare Cappellani, et postea singillatim recensentur.**

## CAPUT IV.

### *De clausura Conclavis, ac de secreto servando in iis omnibus, quae in Conclavi aguntur.*

**47. Electio Summi Pontificis fieri debet in Conclavi, et eo clauso % sublata tamen nullitate electionis a Gregorio XV (vel alio quovis decreto pontificio) hac de re statuta.**

**48. Tenentur quoque Cardinales pro tempore deputati, per se vel per alios, cellas Cardinalium et alia Conclavis loca saepius visitare et diligenter perquirere, ne Conclavis clausura ullo modo violetur. Et si quid tale deprehensum fuerit, auctores e Conclavi expellantur et gravibus poenis futuri Pontificis arbitrio plectantur [2].**

**49. Clauso Conclavi, nulli ad colloquium cum Cardinalibus vel aliis in Conclavi partem habentibus admittantur, nisi praesentibus Praelatis, quibus Conclavis custodia concreditur, et nisi voce et idiomate intelligibili loquantur. Et si quis forte (quod absit) clam ipsum Conclave ingrediatur, omni honore, gradu, atque officio et beneficio ipso facto privatus existat [3].**

**50. Volumus item ut epistolae, aut cuiusvis generis scripta, etiam typis edita, tum ad eos, qui in Conclavi sunt (non exceptis ipsis S. R. E. Cardina-**

[1] **Greg. X cap. 3 « *Ubi periculum »,%lde elect. 1,* 6 in Sext.; Greg. XV Const. « *Aeterni Patris* », § 1.**

[2] **Pii IV Const. « *In eligendis* », § 15.**

[3] **Greg. X cap. 3 « *Ubi periculum* », % 1 *de elect.* I, 6 in Sext.; Pii IV Const. « *In eligendis* », § 19.**

**libus), tum praesertim e Conclavi ad eos, qui foris sunt, mitti nullatenus possint, nisi prius omnia et singula S. Collegii Secretarii, ac simul Praelatorum, qui ad custodiam Conclavis deputati sunt, examini atque inspectioni subiiciantur. Absolute autem omnibus interdicimus, ne ephemerides quotidianae vel periodicae extra Conclave mittantur. Qui vero contra fecerint, poenae excommunicationis latae sententiae subiaceant[1].**

**51. Praeterea, uti iam in supra relatis, tam pro S. B. E. Cardinalibus quam pro Conclavistis, iurisiurandi formulis expressum est, severe praecipimus et mandamus ut ab omnibus in Conclavi partem habentibus secretum religiosissime servetur in iis omnibus, quae ad electionem Romani Pontificis pertineant, et in iis quae in Conclavi, seu in loco electionis agantur. Hinc quaecumque directe vel indirecte secretum violare quomodolibet poterunt, sive verba, sive scripta, sive signa, aut alia quaevis, omnia vitare et cavere omnino tenentur[2]; ita ut hanc legem violantes excommunicationem ipso facto incurrant, a qua, sicut ab alia quavis et contra quoslibet in hac Constitutione imposita et irrogata, seu infra imponenda et irroganda poena excommunicationis, a nullo, ne a Maiori quidem Poenitentiario, cuiuslibet facultatis vigore, praeterquam a Romano Pontifice, nisi in mortis articulo, absolvi possit[3].**

**52. Specialiter autem, sub eiusdem excommunicationis poena, Cardinales prohibemus, ne suis Familiaribus seu Conclavistis vel aliis quibusvis ea pandant, quae scrutinium directe vel indirecte respiciant, itemque quae in Cardinalium Congregationibus sive ante Conclave sive ipso durante habitis acta vel decreta sint,**

**53. Insuper praecipimus, graviter onerata ipsorum conscientia, S. R. E. Cardinalibus ut secretum huiusmodi servetur etiam post peractam novi Pontificis electionem, neque ullo modo ipsum violari liceat, nisi ab eodem Pontifice peculiaris ad hoc facultas aut expressa dispensatio concessa fuerit. Quod praeceptum extendi volumus ad alios omnes, qui in Conclavi partem habuerunt, si quid forte, bona vel mala fide, de iis, quae in Conclavi gesta- sint, cognoverint.**

## CAPUT V.

### *De forma electionis*[4].

**54. Mane sequenti, post clausum praecedenti nocte Conclave, ac post solitum campanulae sonum, conveniunt Cardinales in eo praesentes, qui infirmitate non sunt impediti, induti super vestem crocea aut *mozzeta* violacea (quibus vestibus uti debent quandocumque aliquid collegialiter agendum est), ad designatum Sacellum, et ibi celebrata consueta Missa, et facta Cardinalium Communione, ac postea recitato Hymno *Veni Creator Spiritus* cum oratione de Spiritu Sancto, statim ad negotium electionis procedere debent, quod quidem uno tantum ex tribus, qui infra exponuntur, modis sive formis peragendum est, alioquin electio nullitatis vitio subiacet.**

[1] Greg. X cap. 3 « *UM periculum », § i de elect.* 1, 6 in Sext.; Pii IV Const. « *In eligendis», §* 20; Clem. XII Const. *«Apostolatus officium», §* i1.

[2] Greg. XV Const. « *Aeterni Patris* », § 20.

[3] Greg. XV Const. « *Aeterni Patris* », § 19.

[4] Cfr. Caeremoniale Greg. XV.

**55. Primus modus est, qui quasi *per inspirationem* vocatur, quando scilicet omnes Cardinales, quasi afflati Spiritu Sancto, aliquem unanimiter et viva voce Summum Pontificem proclamant; circa quem modum infrascripta notanda sunt.**

**Primum, haec forma electionis adhiberi potest solum in Conclavi, et eo clauso. Secundo, debet fieri electio secundum hanc formam ab omnibus et singulis Cardinalibus in Conclavi praesentibus, etiam iis, qui ob infirmitatem in cellis detinentur. Tertio, communiter, et nemine eorum dissentiente. Quarto, nullo praecedente de persona speciali tractatu, per verbum « *eligo* » intelligibile voce prolatum, aut scripto expressum, si voce non possit proferri. Exemplum autem huius, potest esse huiusmodi. Si quis e Patribus, clauso Conclavi, nullo, ut praefertur, praecedente speciali tractatu, diceret: Reverendissimi Domini, perspecta singulari virtute et probitate Reverendissimi D. N., iudicarent illum eligendum esse in Summum Pontificem, et ex nunc ego ipsum eligo in Papam. Deinde hoc audito, si ceteri Patres, nemine excepto, sequentes primi sententiam eodem verbo « *eligo* » intelligibili voce prolato, aut si non potest, in scriptis expresso, eumdem N., de quo nullus specialis tractatus praecessit, communiter eligerent, ipse N. esset canonice electus et verus Papa secundum hanc electionis formam, quae dicitur *per inspirationem.***

**56. Secundus modus est *per compromissum,* quando scilicet Cardinales ad electionem per hanc formam seu viam procedere volentes, committerent aliquibus ex Patribus eligendi potestatem, ut vice omnium Ecclesiae Catholicae provideant de Pastore, cuius formae praxis debet esse huiusmodi. Primo omnes et singuli Cardinales in Conclavi clauso praesentes, nemine eorum dissentiente, in aliquos ex Patribus (i. e. in tres vel quinque vel septem, non in minorem vel maiorem numerum) compromissum faciunt, exempli gratia in hanc formam: « In nomine Domini Amen. Anno etc. mense etc. die etc. Nos Episcopi, Presbyteri et Diaconi S. R. E. Cardinales omnes et singuli in Conclavi existentes, videlicet N. N. (et singillatim omnes nominentur Cardinales) degimus, et eligimus per viam procedere compromissi, et unanimiter et concorditer, nemine discrepante, eligimus compromissarios N. N. et N. Cardinales etc., quibus damus plenariam facultatem et potestatem providendi S. R. E. de Pastore sub hac forma videlicet ». (Hic necesse erit, ut Cardinales Compromittentes exprimant modum et formam, secundum quam Compromissarii debent eligere, et secundum quam electus debet censeri verus et legitimus Papa, ut puta si electi sint tres Compromissarii, declarandum est an ad hoc ut electio sit valida, prius proponere debeant Sacro Collegio personam ab ipsis nominandam ad Pontificatum, an vero absolute debeant electionem peragere; an omnes tres debeant convenire in unam personam; an vero sufficiat, quod duo in unam concordent, et an debeant nominare aliquem de Collegio, vel etiam aliquem extra Collegium, et alia his similia). His autem, vel aliis similibus expressis, addi compromisso debet tempus, ad quod usque volunt Cardinales potestatem Compromissarios habere eligendi, et postea subiunguntur haec verba : « Et promittimus nos illum pro Romano Pontifice habituros, quem DD. Compromissarii secundum formam praedictam duxerint eligendum », vel alia ad' formam Compromissariis praescriptam accommodata.**

**Secundo, completo huiusmodi mandato, Compromissarii ad partem in**

aliquo loco separato et clauso se conferunt, et de electione facienda tractant, et debet inter eos praemitti protestatio, quod per quamcumque prolationem verborum suum dare consensum non intelligunt, nisi in scriptis illum expresse ponant. Et haec protestatio necessaria est inter Compromissarios, ut verbis humanis et reverentialibus inter se, sine praeiudicio, uti possint.

Tertio, facta per Compromissarios electione secundum formam eis praescriptam, et in Conclavi promulgata, electus per huiusmodi viam compromissi, est canonicus et verus Papa.

57. Tertius et ordinarius modus, seu forma electionis Romani Pontificis est, quae vocatur *per scrutinium.* Qua in re plenissime confirmamus et renovandis legem iam a Praedecessoribus Nostris sapienter inductam ac per plura deinde saecula semper religiosissime servatam, qua nempe statutum est ut ille tantummodo Romanus Pontifex habendus sit, in quem duae saltem ex tribus partibus Cardinalium in Conclavi praesentium per secreta schedularum suffragia convenerint [1].

Numerus autem suffragiorum duarum ex tribus partibus Cardinalium in Conclavi praesentium, ut electio per viam scrutinii valida sit, ita est censendus ut in duabus tertiis partibus suffragium electi non numeretur, nec quisquam, sive scrutinii sive compromissi via procedatur, seipsum eligere, seu suffragium sibi dare ullatenus possit : electi tamen persona, si in Conclavi sit, debeat in numerum Cardinalium computari [2].

58. Scrutinii autem ritus continet tres actiones : alteram, quae *antescrutinium,* alteram, quae *scrutinium,* et tertiam, quae *postscrutinium* appellari potest.

59. *Antescrutinii* actus sunt quinque, videlicet: praeparatio schedularum; extractio Scrutatorum, Deputatorum pro votis infirmorum et Recognitorum per sortem; scriptio schedularum; earum complicado; obsignatio earumdem.

60. Schedularum praeparatio et distributio ad Magistros Caeremoniarum pertinet, qui eas impressas, ubi fieri poterit, alioquin unius manu scriptas secundum formam inferius describendam accipient, et singulis Cardinalibus saltem duas vel tres distribuent.

61. Forma, autem schedulae, quoad eius figuram attinet, erit altera parte longior, hoc est plus longa, quam lata. Circa ea vero, quae in eisdem schedulis contenta sunt, in anteriori eius parte, quae brevitatis gratia facies nominari potest, tria comprehendi debent. Primo in superiori parte secundum eius latitudinem, duo haec verba Ego Card. cum tanta ad invicem distantia ut inter ipsa, nomen proprium Cardinalis eligentis scribi possit, et paulo inferius bina signa, parvorum hemiciclorum instar confecta-, ad loca sigillorum indicanda.

Secundo, in medio continere debet haec verba :

Eligo in Summum Pontificem Reverendissimum Dominum meum D. Cardinalem . . . . . .

Tertio, in parte inferiori, alia bina signa, uti supra hemiciclorum instar confecta, ad loca sigillorum similiter demonstranda.

[1] Alex. III in Concil. Later. cap. 6 *«Licet de vitanda», de elect.* 1, 6; Greg. XV Const. *« Aeterni Patris », % i.*

[2] Greg. XV Const. *«Aeterni Patris»,* § 2.

**In esteriori autem parte schedularum, quae tergum nominari potest, duo sunt imprimendi limbi ex illis, quos ad ornatum librorum impressores adhibent, et vulgari vocabulo *fregi* nuncupant, quorum primum circa sui medium continet hoc verbum, Nomen, impressum secundum longitudinem ipsius limbi; alterum vero continet hoc verbum, Signa, similiter impressum, ut praecedens. Hi autem limbi excogitati sunt ad obscurandum diaphanum paginarum, ne scilicet ad lumen, nomina et signa eligentium conspici possint; ubi vero impressori» copia non fuerit, limborum defectus lineis suppleri poterit. Sed haec fient clariora per infra positas figuras schedularum.**

EXEMPLUM FACIEI

**Schedulae scrutinii.**

**Ego............................................Card.........................................**

. . . . . . . . . . . . . . . . .*(locus primae plicaturaè)*

. . . . . . . . . . . . .*(locus secundae plicaturae)*

**Eligo in Summum Pontificem R. D.**

**meum D. Card.**


0

. . . . . . .. . . . *(locus secundae plicaiurae)*

*(locus primae plicaiurae)*

## EXEMPLUM TERGI

Schedulae scrutinii.



**62. Secundus actus antescrutinii est extractio Scrutatorum, Deputatorum pro votis infirmorum, et Recognitorum : quae extractio, antequam ad scrutinium procedatur, sorte facienda est, hoc modo. In uno saeculo, aut vase, publice ponantur tot schedulae, vel si magis placet, spherulae ligneae palam numeratae, quot sunt Cardinales praesentes in Conclavi, cum eorum nominibus: deinde per ultimum Diaconum extrahantur primo Scrutatores tres, postea tres Deputati pro votis infirmorum, qui brevitatis gratia Infirmarii appellari possunt, ac tandem Recognitores, de quorum omnium officio inferius suo loco scribetur. Quod si in extractione Scrutatorum, Infirmariorum et Recognitorum, extracta fuerint Cardinales, qui ob infirmitatem aliudve impedimentum muneribus praedictis satisfacere non possint, alii non impediti, loco illorum, extrahantur. Peracta vero extractione, schedulae, seu spherulae eorum, qui extracti fuerunt, in saeculum, seu in vas iterum coniiciantur.**

**63. Tertius actus antescrutinii est schedularum scriptio, quae ab unoquoque Cardinali fiet hoc modo. Primo in superiori parte, in spatio inter verba Ego Card. scribet proprium nomen; deinde in secunda parte nomen illius, quem eligit, charactere tamen, quantum fieri potest, alterato, ne manus scribentis cognosci possit; et caveat ne plura nomina in schedula scribat; quia suffragium esset nullum. In tertia vero parte signa, videlicet numerum aliquem, et dictum aliquod Scripturae seu verbum, aut aliquid huiusmodi, ut in exemplo pro faciliori intelligentia oculis subiecto, videre est.**

**EXEMPLUM**

**Schedulae scrutinii scriptae.**

Ego Bonifacius Card. Caietanum.

***(locus primae plicaturae)***

***(locus secundae plicaturae).***

Eligo in Summum Pontificem R. D.

meum D. Card. Barpnium.

***n*** ________________________________***r*** \\

***(locus secundae pUcaturae)***


. . . . . . . . . . . ***(locus primae plicaturae)***

18. Gloria in excelsis Deo.

**6é. Quartus actus antescrutinii est schedularum complicatior quae ut expeditius peragi a Cardinalibus valeat, poterit a Caeremoniarum Magistris, cum eas praeparant, fieri in hunc, qui sequitur modum. Binae fient plicaturae ex utraque parte cuiusque schedulae, ita ut nomen eligentis et signa cum fuerint scripta, maneant tecta ex utraque parte a limbis; deinde quod reliquum est ita complicetur ut schedula fere ad latitudinem pollicis redigatur, prout ex complicata schedula, quae hic exempli gratia ponitur, conspici potest.**

**EXEMPLUM**


**Schedulae plicataè.**




Eligo in Summum Pontificem R. D.

. . . . . . . . .. . . . *(locus ultimae plicaturae)*

meum D. Card. Baronium.




**Ceterum Magistri Caeremoniarum schedulas, non complicatas ut supra, sed explicatas, Cardinalibus distiibuent, et Cardinales easdem, postquam ut supra scripserint, complicabunt iuxta plicaturas a Magistris Caeremoniarum paratas.**

**Secretarius autem S. Collegii et Magistri Caeremoniarum debent ab aula discedere, antequam Cardinales nomen eligendi in schedulis scribere coeperint, ita ut tempore scrutinii Cardinales soli in Cappella remaneant.**

**Porro, post eorum egressum ex aula, ultimi Cardinalis ordinis Diaconorum erit ostium Cappellae claudere : ac generatim ipsum, quotiescumque opus fuerit, aperire et claudere, exempli gratia, quum Cardinales Infirmarii ad vota infirmorum colligenda pergunt ac postea quum ad Cappellani redeunt, vel ob quamcumque aliam necessitatem.**

**65. Quintus et postremus actus antescrutinii est schedularum obsignatio, quae ab unoquoque Cardinali facienda erit in tergo schedularum cum cera rubra et sigillo ad hoc parato. Porro sigillum non debet esse solitum Cardinalis, sed aliud, et secrete habitum, et ita simplex ut facile notari possit,**

**veluti si in sigillo sculpantur aut tres numeri, aut tres litterae et numeri, vel una tantum imago.**

**Haec de antescrutinio sufficiant; ceterum, quod attinet ad Cardinales infirmos, aut aliter impeditos, inferius suo loco dicetur.**

**66. Sequitur secunda actio, quae nomine *scrutinii* appellata fuit. Octo sunt huius actionis actus, videlicet: delatio schedulae, iuramenti praestatio, positio schedulae in calicem, schedularum mixtio, earum numeratio, scrutinii publicatio, schedularum in filum insertio, earum depositio seorsum.**

**67. Delatio schedulae, et duo sequentes actus, qui melius simul describuntur ob eorum connexionem, hoc modo fient. Quilibet Cardinalis propriam schedulam, postquam illam scripserit, obsignaverit et complicaverit, duobus primis digitis sumet, ac elevata manu palam deferet ad Altare, penes quod stant Scrutatores, et in quo est calix magnus ad recipiendas schedulas paratus et patena coopertus; ibique genuflectens, aliquantulum orabit: deinde surgens, alta et intelligibili voce, iurabit in hanc formam, quae in tabella super Altari posita descripta habetur:**

**Testor Christum Dominum, qui me iudicaturus est, me eligere, quem secundum Deum iudico eligi debere.**

**Post haec schedulam in patenam ponet, et per patenam mittet in calicem; quo facto inclinabit se ad Altare, et ad suum locum revertetur.**

**68. Haec servanda erunt si Cardinalis ad Altare pergere possit; nam si ob infirmam valetudinem non possit, et praesens in Cappella sit, ultimus Scrutator ad eum accedet; et Cardinalis infirmus, postquam schedulam in loco suo secrete, ut supra dictum est, confecerit, praevio iuramento praedicto, ipsam obsignatam et complicatam eidem Scrutatori tradet, qui eam palam deferet ad Altare, et sine oratione et iuramento in patenam ponet, et per eam in calicem mittet.**

**69. Si vero aliqui Cardinales infirmi sint in suis cellis, tres Cardinales Infirmarii, ut supra extracti, ad eos accèdent cum capsula altitudine unius palmi, in cuius superiori parte sit rima, seu foramen, eius magnitudinis, ut per illud schedula complicata possit per suam latitudinem intus capsulam transmitti; quam capsulam antequam Scrutatores Infirmariis tradant, palam aperient, ut ceteri Cardinales possint eam inanem et vacuam conspicere, deinde claudent, et clavem ponent super Altare; deinde Infirmarii cum capsula clausa, et cum parvo disco sufficientes schedulas continentes, ad unumquemque eorum accèdent; et infirmi acceptas ex disco schedulas secrete scribent, obsignabunt et complicabunt, et praevio iam dicto iuramento in capsulam per rimam mittent; quod si infirmi scribere non possint, sive aliquis ex tribus Cardinalibus Infirmariis, sive alius ex ordine tamen clericali, eorum arbitrio deligendus, praestito de secreto servando in manibus Infirmariorum iuramento, praedicta faciet: atque hi advertere debent quod non solum iuramenti vinculo tenentur servare secretum, sed etiam in excommunicationem latae sententiae, si contrafecerint, incurrent. His peractis, Infirmarii ad Cappellani revertentur cum capsula, quam Scrutatores aperient, et schedulas in ea contentas palam numerabunt: et tot repertas, quot sunt infirmi, ponent singillatim in patenam, et per patenam simul omnes in calicem.**

**Ne autem nimis in longum protrahatur scrutinii actio, Infirmarii pote-**

**runt proprias schedulas post Decanum conficere et in calicem ponere, deinde dum ceteri Cardinales scrutinium agunt, ad infirmos pergere ad accipienda eorum suffragia eo modo, quo proxime ante dictum est.**

**70. Quartus actus scrutinii est schedularum permixtio, quae fiet per primum Scrutatorem, calice in quo ipsae schedulae positae fuerunt, patena eoo-" perto, pluries agitato.**

**71. Quintus actus est numeratio schedularum, quae palam fiet per ultimum Scrutatorem, capiendo singillatim unamquamque schedulam ex calice, eamque ponendo in alium, qui ad hoc paratus sit, calicem vacuum. Quod si numerus schedularum non respondeat numero Cardinalium, omnes comburendae sunt, et iterum, idest secunda vice, ad suffragia statim est deveniendum. Si vero numerus schedularum numero Cardinalium respondeat, prosequendi sunt alii actus scrutinii.**

**72. Sextus actus est publicatio scrutinii, quae per Scrutatores, qui sedent ad mensam ante Altare positam, fiet hoc modo. Primus Scrutator accipiet unam schedulam, eamque intactis sigillis explicabit, et viso in ea schedula electi nomine, eam tradet secundo Scrutatori, qui pariter, eodem electi nomine perspecto, eamdem tradet tertio, qui illam alta et intelligibili voce perleget, ut omnes Cardinales praesentes notare possint suffragium in folio impresso, quod penes se habebunt cum nominibus omnium Cardinalium : notabit autem iuxta nomen Cardinalis ex schedula recitati. Idem faciendum erit de ceteris schedulis in calice positis, usque ad ultimam. Quod si in scrutinii publicatione inveniant Scrutatores duas schedulas ita complicatas ut ab uno tantum datas fuisse appareat, si quidem unus et idem in utraque electus fuerit, schedulae praedictae habebuntur et notabuntur pro uno suffragio, si vero diversi fuerint nominati, neutrum suffragium validum erit; scrutinium tamen neutro casu vitiatur. Ceterum suffragia praedicta, finita scrutinii publicatione, a Scrutatoribus iuxta nomina Cardinalium, qui ea obtinuerunt, in unam summam redigentur, vel in separato folio notabuntur, hoc modo: *Reverendissimus D. Cardinalis A habet suffragia %0, et Reverendissimus D. Cardinalis B habet suffragia 15,* et sic de aliis; quod fit ne Cardinales, cum opus est, cogantur semper numerare suffragia, quae iuxta nomina Cardinalium notarunt.**

**73. Septimus actus scrutinii est schedularum in filum insertio, quae ut schedulae ipsae cautius conservari possint excogitata fuit. Haec autem insertio fiet per ultimum Scrutatorem, inserendo schedulam unamquamque, postquam eam perlegerit, acu cum filo ad hunc effectum parato, in loco, ubi est verbum Eligo.**

**74. Octavus et postremus scrutinii actus est depositio schedularum seorsum, quae similiter fiet per ultimum Scrutatorem, qui, finita insertione omnium schedularum in filum, capita fili nodo iunget, et schedulas omnes ita colligata» in alium calicem vacuum, vel in mensa seorsum ponet.**

**75. Sequitur tertia et postrema actio, quae *postscrutinium* appellata fuit, cuius actus tres sunt, videlicet : numeratio suffragiorum, eorum recognitio, et schedularum combustio.**

**Primus itaque actus est numeratio suffragiorum, quae fiet per Scrutatores semper, sive secuta sit electio, sive non : et si quidem secuta non sit electio, ut sciatur, quod in eo scrutinio non habetur Papa; si vero secuta sit, ut constet de canonica Pontificis electione. Fiet autem haec numeratio suffragio-**

rum hoc modo. Scrutatores in unam summam redigent suffragia, quae quilibet nominatus in Pontificem obtinuit et si invenerint nullum ex nominatis ad duas tertias partes suffragiorum pervenisse, non habetur Papa in illo scrutinio; si vero invenerint aliquem ex nominatis duas tantum partes suffragiorum obtinuisse, aperient electi schedulam (quam ex sigillis et signis ab ipso electo hoc in casu manifestandis cognoscent), etiam in ea parte, in qua est nomen eligenti»; et si quidem ex ea apparuerit electum alii suffragatum fuisse, electio eius erit canonica; si vero constiterit sibi suffragium dedisse, eius electio nulla erit Ob defectum* unius suffragii.

Secundus actus postscrutinii est recognitio, quae per Recognitores, sive secuta sit electio, sive non, fiet inspiciendo tam schedulas scrutinii, quam suffragiorum annotationes factas per Scrutatores, ut per huiusmodi recognitionem constare possit an Scrutatores sincere et fideliter muneri suo satisfecerint.

Tertius, et postremus actus postscrutinii est combustio omnium schedularum, quae semper et palam per Scrutatores, adiuvantibus Magistris Caeremoniarum, fiet, ac statim post recognitionem, sive electio sit secuta, sive non. Si tamen secundum scrutinium, iuxta ea quae inferius praeserventur, peragendum sit, tunc combustio schedularum primi scrutinii nonnisi in fine una cum schedulis secundi scrutinii facienda erit.

76. In Praedecessorum Nostrorum, ac praecipue Gregorii XV, Constitutionibus, ad expeditiorem electionem habendam statutum fuerat ut, scrutinio publicato, si electio per consensum duarum partium in eo facta non fuerit, statim antequam ad alios actus deveniretur, Cardinales possent, semel in quolibet scrutinio, accedere alicui ex illis, qui in eodem scrutinio saltem unum suffragium validum obtinuissent, dummodo is non esset, qui ab ipsomet Cardinali fuerat in scrutinio nominatus. Cum tamen huiusmodi forma *accessus* non parum esset ad exequendum difficilis, praesertim quoad ea, quae schedularum inspectionem, aperitionem et collationem spectabant, Nos et huic incommodo occurrere et nihilominus optatae electionis accelerationi nullimode officere cupientes, statuimus ac praescribimus ut loco ipsius accessus, semel tam mane quam vespere, post completum iuxta huc usque exposita scrutinium, si quidem in eo secuta non sit electio, Cardinales statim ad novum scrutinium peragendum procedere debeant, in quo rursus suffragia sua ferant, iis, quae in primo scrutinio lata sunt, minime computatis. Volumus autem ut in hoc secundo scrutinio iidem ac in primo ritus serventur, ita tamen ut Cardinales non teneantur novum emittere iusiurandum, neque novos eligere Scrutatores, Infirmarios et Recognitores, sed quae in primo scrutinio quoad haec praestita sunt, sine renovatione valeant etiam pro secundo.

77. Et haec omnia, quae de scrutinii ritibus sunt exposita, servanda erunt diligenter a Cardinalibus in omnibus scrutiniis, quae singulis diebus peragi debent mane post solitam Missam, et Hymnum *Veni Creator Spiritus* cum oratione de Spiritu Sancto, et prima quidem tantum die post Cardinalium sacram peractam Communionem; et post meridiem hora opportuna, pariter post Hymnum *Veni Creator Spiritus* et orationem de Spiritu Sancto [1]..

78. Quod si electio aliter celebrata fuerit, quam in *scrutinio* per secreta schedularum suffragia duarum ex tribus partibus Cardinalium in Conclavi

[1] Greg. XV Const. « *Alterni Patris* », § 17.

praesentium, electi suffragio non computato; vel* per viam *compromissi* ab omnibus Cardinalibus similiter in Conclavi praesentibus, nemine dissentiente, initi et ita ut nemo seipsum elegerit; vel quasi per *inspirationem,* nullo praecedente de persona speciali tractatu, omnium pariter Cardinalium praesentium in Conclavi, communiter, nemine itidem dissentiente, per verbum « *eligo* » intelligibili voce prolatum aut scripto, si voce non potuerit, expressum; nulla sit et invalida eo ipso absque ulla declaratione, et ita electo nullum ius tribuat[1].

## CAPUT VI.

### *De iis, quae servanda vel vitanda sunt in electione Romani Pontificis.*

79. Simoniae crimen, tam divino quam humano iure detestabile, in electione Romani Pontificis omnino sicut reprobatum esse constat, ita et Nos reprobamus atque damnamus[2], huiusque criminis reos poena excommunicationis latae sententiae innodamus; sublata tamen irritatione electionis simoniacae, quam Deus avertat, a Iulio II (vel alio qualicumque decreto pontificio) statuta, ut praetextus amputetur impugnandi valorem electionis Romani Pontificis.

80. Item sub excommunicationis poena prohibemus ne quis, etiamsi Cardinalatus honore fulgeat, vivente Romano Pontifice et eo inconsulto, tractare de ipsius Successoris electione, aut aliquod suffragium polliceri, vel hac de causa privatis conventiculis factis aliquid deliberare et decernere praesumat[3].

81. Quae autem in memorata Nostra Constitutione « *Commissum Nobis* » de civili *Veto* seu *Exclusiva,* uti vocant, in electione Summi Pontificis edixi mus et sanximus, hic omni ex parte atque integre renovantes, confirmata esse volumus. Quamobrem iterum in virtute sanctae obedientiae, sub interminatione divini iudicii et poena excommunicationis latae sententiae, omnes et singulos S. R. E. Cardinales, tam praesentes quam futuros, pariterque Secretarium S. Collegii Cardinalium aliosque omnes in Conclavi partem habentes, prohibemus ne, quovis praetextu, a quavis civili potestate munus recipiant *Veto* sive *Exclusivam,* etiam sub forma simplicis desiderii, proponendi, ipsumve hoc *Veto,* qualibet ratione sibi cognitum, patefaciant sive universo Cardinalium Collegio simul congregato sive singulis purpuratis Patribus, sive scripto, sive ore, sive directo ac proxime, sive oblique ac per alios, sive ante Conclave sive ipso perdurante. Quam prohibitionem extendi volumus ad omnes* interventus, intercessiones aliosque modos quoslibet, quibus laicae potestates cuiuslibet gradus et ordinis voluerint sese in Pontificis electione immiscere.

82. Cardinales praeterea abstineant ab omnibus pactionibus, conventionibus, promissionibus aliisque quibuscumque obligationibus, quibus adstringi possint ad suffragium alicui vel aliquibus dandum vel non dandum; quae omnia et singula, si de facto intervenerint, etiam iuramento adiecto, nulla et irrita, neque ad eorum observantiam quemquam teneri decernimus, et contra facientes

[1] Greg. XV Const. « *Aeterni Patris* », § 19.

[2] Iulii II Const. « *Cum tam divino* », xix kal. Febr. 1505.

[3] Symmachus Papa in Synod. Rom. c. 2 D. 79; Pauli IV Const. « *Cum secundum Apostolum*», XVII kal. Ianuar. 1558.

ex nunc excommunicationis poena innodamus. Tractatus tamen pro electione habendos, Sede vacante, vetare non intelligimus [1].

83. Pariter interdicimus ne Cardinales, antequam ad electionem deveniant, capitula conficiant, seu quaedam communi consensu statuant, ad quo rum observantiam sese adstringant, si ad Pontificatum assumantur; quae item, si de facto intervenerint, etiam iuramento adiecto, nulla et irrita declaramus [2].

84. Iisdem denique, quibus Decessores Nostri, vocibus, S. R. E. Cardinales vehementer hortamur ut in eligendo Pontifice, nulla propensione animi vel aversione ducti, nullius inclinati gratia aut obsequio, non intercessione in saeculo potentium, non vi vel metu vel aura populari moti, sed unice Dei gloriam et Ecclesiae bonum prae oculis habentes, in eum sua vota conferant, quem universali Ecclesiae fructuose utiliterque gubernandae prae ceteris idoneum in Domino iudicaverint [3].

85. Cum vero fideles non tam humanae industriae subsidiis, etsi sollicitae, inniti debeant, quam in humilis devotaeque orationis instantia sperare, huic adiicimus sanctioni, ut in omnibus civitatibus, ceterisque locis saltem insignioribus, ubi primum de Pontificis obitu nuncium pervenerit, a Clero et populo, solemnibus pro eo exsequiis celebratis, singulis diebus (donec Romanae Ecclesiae de suo Pastore fuerit provisum) humiles assiduaeque preces fundantur ad Dominum, ut Ipse, qui concordiam facit in sublimibus suis, sic efficiat eorumdem Cardinalium corda in eligendo concordia, ut provisio celeris, unanimis et utilis (prout animarum salus exigit, et totius orbis requirit utilitas! ex ipsorum unanimitate sequatur. Et ne tam salubre praesentis sanctionis edictum, ignorantiae negligi praetextu contingat, praecipimus ut Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi et alii Ecclesiarum Praelati, ceterique, quibus officium est enuntiare verbum Dei, Clerum et populum, propter hoc specialiter frequentius congregandos, in suis sermonibus ad supplicum precum suffragia pro celeri et felici exitu tanti negotii frequentanda solerter excitent, et ipsis eadem auctoritate non solum orationum frequentiam, sed observantiam (prout circumstantiae pensandae suaserint) ieiuniorum hortentur [4].

86. Electum vero haeredem et Successorem Nostrum rogamus, ne muneris arduitate deterritus ab eodem subeundo se retrahat, at potius divinae voluntatis consilio humiliter se subiiciat : nam Deus qui imponit onus, manum etiam Ipse supponet, ne ei ferendo sit impar; is enim qui oneris est auctor, Ipse est administrationis adiutor; et ne sub magnitudine gratiae succumbat infirmus, dabit virtutem qui contulit dignitatem [5].

[1] Greg. X cap. 3 « *Ubi periculum* », § 4, *de elect.* I, 6 in Sext.; Pii IV Const. « *In eligendis* », § 26; Greg. XV Const. « *Aeterni Patris* », § 18."

[2] Pii IV Const. « *In eligendis* », § 3; Greg. XV Const. « *Aeterni Patris* », % 18.

[3] Greg. X cap. 3 « *Ubi periculum* ",".% 4 *de elect.* I, 6 in Sext.; Pii IV Const. « *In eligendis* », § 26; Greg. XV Const. « *Aetemi Patris*», § 23; Clem. XII Const. «*Apostolatus officium*», § 5; Pii IX Const. «*Licet per Apostolicas* », vi Idus Septembr. 1874: Leonis XIII Const. «*Praedecessores Nostri*»; Pii X Const. « *Commissum Nobis*».

[4] Greg. X cap. 3 « *Ubi periculum*», % 5, *de elect.* I, 6 in Sext.

[5] Leonis XIII Const. « *Praedecessores Nostri* ».

## CAPUT VII.

### *De acceptatione et proclamatione electionis, nec non de consecratione et coronatione novi Pontificis.*

**87. Post electionem canonice factam consensus electi per Cardinalem Decanum nomine totius S. Collegii requiratur [1].**

**88. Hoc consensu praestito intra terminum, quatenus opus sit, prudenti arbitrio Cardinalium per maiorem votorum numerum determinandum, illico electus est verus Papa, atque actu plenam absolutamque iurisdictionem supra totum orbem acquirit et exercere potest. Hinc, si quis litteras super negotiis quibuscumque confectas, quae a Romano Pontifice ante coronationem suam emanaverint, audeat impugnare, excommunicationis sententia innodamus [2].**

**89. Deinde populo expectanti novus Romanus Pontifex a Priore Diaconorum publicatur [3].**

**90. Quod si electus nondum sit Presbyter vel Episcopus, a Decano Collegii Cardinalium ordinabitur et consecrabitur [4].**

**91. Tandem per Decanum Cardinalem Diaconum coronatur [5].**

**Haec igitur, tota rei causa graviter considerata, atque etiam Decessorum Nostrorum exemplis permoti, statuimus et praescribimus, decernentes praesentes has Litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet in praemissis ius vel interesse habentes, vel habere praetendentes quomodolibet illis non consenserint, nec ad ea vocati sive auditi fuerint, aut ex quibuslibet aliis causis, impugnari minime posse, sed easdem semper ac perpetuo firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac iis ad quos spectat et pro tempore spectabit suffragari, et ab eis respective et inviolabiliter observari debere, ac irritum et inane, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.**

**Volumus etiam Nostras has Litteras legi coram omnibus in primis Congregationibus post obitum Pontificis haberi solitis, ut supra (n. 11, *a)*; rursus post ingressum in Conclave, ut supra (n. 45); item cum quis ad purpurae honorem fuerit evectus, interposito sacramento de religiose retinendis iis, quae in praesenti Constitutione decreta sunt.**

**Non obstantibus, quatenus opus sit, per Romanos Pontifices Praedecessores Nostros editis Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, quas omnes et singulas abrogatas, ut supra, declaramus, ceterisque etiam individua ac specialissima mentione et derogatione dignis contrariis quibuscumque.**

**Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostrae constitutionis, ordinationis, abrogationis. mandati, innodationis, admonitionis, inhibitionis, praecepti, voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc**

[1] Caeremoniale Rom., lib. I, tit. I, *De Conclavi et Electione Papae,* §34.

[2] Clem. V, cap. 4, *de sent. excomm.,* V, 10 in Extravag. comm.

[3] Caeremoniale Rom., lib. I, tit. I, *De Conclavi et Electione Papae,* § 35.

[4] Caerem. Rom., lib. I, tit. II, *De ordin, ei consecrat, novi Pontificis,* § 13.

[5] Caerem. Rom., lib. I, tit. II, *De ordin, et consecrat, novi Pontificis,* § 18.

**attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.**

**Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo nongentesimo quarto, die vigesima quinta Decembris, Christo Iesu in terris nascenti sacra, Pontificatus Nostri anno secundo.**

**PIVS PP. X**

## DOCUM. IL

### Constitutio Pii PP. X « *Commissum Nobis* », 20 Ianuarii 1904.

**Commissum Nobis, Deo sic disponente, universae Ecclesiae regendae munus serio admonet ut pro viribus caveamus, ne ex alienae potestatis incursu ea libertas quidquam detrimenti capiat, qua Christus in commune bonum ipsam donavit, quamque tot evangelii praecones, tot sanctissimi antistites, tot illustres Decessores Nostri verbo, scriptis, effuso etiam sanguine propugnarunt. Quorum exemplis et auctoritate permoti, ubi primum hanc Petri Cathedram; licet impares, ascendimus, Apostolici officii Nostri esse duximus in id maxime incumbere, ut vita Ecclesiae libere omnino explicetur, omni externo interventu remoto, prout ipsam evolvi divinus Institutor voluit, atque excelsa eius missio omnino requirit.**

**Iam, si qua est in Ecclesiae vita functio quae huiusmodi libertatem postulet maxime, illa profecto censenda talis, quae in Romani Pontificis[1] electione versatur; siquidem** ***salus, non unius membri, sed totius corporis agitur, cum de capite consulitur*** [1]**.**

**Huic plenae libertati in Summo Pastore eligendo opponitur in primis civile illud** ***Veto,*** **a supremis nonnullarum civitatum rectoribus haud semel prolatum, quo tentatur aditum ad Supremum Pontificatum alicui praecludere. Id si aliquoties accidit, Apostolicae tamen Sedi probatum est nunquam. Quin etiam Romani Pontifices, in iis quae de habendo Conclavi constituerunt, nihil paene maiore contentione studiove conati sunt, quam ut externae cuiusvis potestatis interventum a sacro Cardinalium Senatu ad Pontificem eligendum vocato propulsèrent. Rem plane declarant Constitutiones «** ***In eligendis*** **» Pii IV; - «** ***Aeterni Patris*** **» Gregorii XV; - «** ***Apostolatus officium*** **» Clementis XII; in primisque Pii IX, «** ***In hac sublimi*** **» - «** ***Licet per Apostolicas*** **» et «** ***Consulturi*** **».**

**Verum, quandoquidem et experientia docuerit, hactenus constituta ad impediendum civile** ***Veto,*** **seu** ***Exclusivam*** **non ita votis respondisse, et ob mutata temporum adiuncta huiusmodi civilis potestatis immixtio nostra aetate multo videatur magis omni rationis et aequitatis fundamento destituta, idcirco Nos, pro Apostolico Nobis commisso munere, et Praedecessorum Nostrorum vestigiis inhaerentes, re mature deliberata, certa scientia et proprio motu. •civile** ***Veto,*** **sive** ***Exclusivam,*** **quam dicunt, etiam sub forma simplicis desiderii, itemque omnes interventus, intercessiones quaslibet omnino reprobamus, «dicentes licere nemini, ne supremis quidem civitatum moderatoribus, quovis**

[1] **Greg. XV Const.** ***«Aeterno Patris»*** **in prooem.**

praetextu se interponere aut ingerere in gravi negotio electionis Romani Pontificis.

Quamobrem in virtute sanctae obedientiae, sub interminatione divini iudicii et poena excommunicationis latae sententiae speciali modo reservatae futuro Pontifici, omnes et singulos S. R. E. Cardinales, tam praesentes quam futuros, pariterque Secretarium S. Collegii Cardinalium aliosque omnes in Conclavi partem habentes, prohibemus, ne, quovis praetextu, a quavis civili potestate munus recipiant *Veto* sive *Exclusivam,* etiam sub forma simplicis desiderii, proponendi, ipsumve hoc *Veto,* qualibet ratione sibi cognitum, patefaciant sive universo Cardinalium Collegio simul congregato,, sive singulis purpuratis Patribus, sive scripto, sive ore, sive directo ac proxime, sive oblique ac per alios. Quam prohibitionem extendi volumus ad memoratos omnes interventus, intercessiones aliosque modos quoslibet, quibus laicae potestates cuiuslibet gradus et ordinis voluerint sese in Pontificis electione immiscere.

Iisdem denique, quibus Decessores Nostri, vocibus, S. R. E. Cardinales vehementer hortamur, ut in eligendo Pontifice, *Principum saecularium intercessionibus ceterisque mundanis respectibus minime attentis* [1], sed unice Dei gloriam et Ecclesiae bonum prae oculis habentes, in eum sua vota conferant quem universali Ecclesiae fructuose utiliterque gubernandae prae ceteris idoneum in Domino iudicaverint. Volumus etiam Nostras has Litteras una cum aliis id genus Constitutionibus legi coram omnibus in prima Congregatione post obitum Pontificis haberi solita; rursus post ingressum in Conclave; item cum quis ad purpurae honorem fuerit evectus, interposito sacramento de religiose retinendi s iis, quae in praesenti Constitutione decreta sunt.

Contrariis quibuscumque, etiam speciali vel specialissima mentione dignis, minime obstantibus.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostrae inhibitionis, mandati, declarationis, innodationis, voluntatis, admonitionis, hortationis, praecepti infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, et Sanctorum Petri et Pauli Apostolorum Eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo nongentesimo quarto, die xx Ianuarii, Pontificatus Nostri anno primo.

PIVS PP. X

## DOCUM. III.

### Constitutio Leonis PP. XIII « *Praedecessores Nostri* », cum adiecta Instructione, 24 Maii 1882.

Praedecessores Nostri pro supremi Apostolatus officio sollicita cura et singulari studio continenter prospexerunt, ut Romanorum Pontificum electiones, a quibus pax, unitas et status Ecclesiae tantopere pendet, ordinatim et regulariter fierent; et plura pro temporum adiunctis, ut eae celeriter, libere et expedite ad exitum deducerentur, sapienter invenerunt et decreverunt. Haec

[1] Pii IV Const. « *In eligendis*», § 26; Clem. XII Const. «*Apostolatus officium*», § 5.

**autem sollicitudo et vigilans eorum cura praecipue enituit cum bellorum motus, aut perturbati rerum publicarum ordines suspicionem iniicerent, ne quae pro Romano Pontifice eligendo sacra comitia haberi deberent, vel per apertam vim libertate destiti! erentur, vel alia quavis ratione electio deturbaretur, aut distineretur, aut alia eidem expediendae impedimenta obiicerentur. Siquidem tunc consentaneum visum diiudicatumque est impendenti malo extraordinariis occurrere remediis, quae adiunctorum gravitas e re magis esse suaderet, «t pericula propulsarentur, quibus pax et unitas ipsa Ecclesiae in discrimen adducebatur. Huius vero peculiaris sollicitudinis monumenta praecipue suppetunt Romani Pontifices, qui inde a superiore saeculo Ecclesiae clavum temiere in tam misera rerum conversione ac perturbatione, qua haec praesertim Apostolica Sedes oppugnata est, tum hostilium copiarum irruptione, tum internarum seditionum motibus, tum etiam usurpatione civilis principatus, qui ad liberum et independens spirituale Ecclesiae regimen, Deo sic providente, constitutus fuit; quo tempore Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales aut Urbe expulsi, aut in diversa loca deportati sunt; ipsi autem Romani Pontifices impio ausu a propria sede abrepti, in exilium acti, aut etiam in carcerem detrusi ac detenti sunt. Ipsi enim quamvis tot tantisque iactarentur tempestatum fluctibus, nihil tamen antiquius habuere, quam, ut futuri Pontificis electionem in tuto ponerent, tum iis quae in eam rem Romanorum Pontificum Constitutionibus sancita aut consuetudinibus invecta fuerant opportune derogando, cum alia pro rerum adiunctis sapienter constituendo quibus electio celerius et facilius expediri absolvique posset.**

**At vero ut pro sua aetate Praedecessores Nostri, ita Nos immo vero eo magis devinctos et obstrictos ipsi sentimus debito consulendi certae et expeditae Successoris Nostri electioni, quo saeviores perspicimus ingruere adversus Christi Ecclesiam tempestatum aestus et acriores hostium in dies experimur conatus et impetus adversus hanc Sanctam Sedem; quo magis sus deque omnia versa et perturbatus videmus publicos rerum ordines, ita ut anxius haereat animus et pavida mens incerta maneat quid demum futura tempora portendant. Quamvis itaque Dei promissionibus confisi, cuius in humilitate cordis Nostri nunquam desistimus implorare opem, certa fulciamur spe fore ut etiam in praesenti discrimine suo omnipotenti praesidio Ecclesiae Sponsae suae Ipse adsit; nihilominus perpendentes hinc caducum et labilem humanae vitae fluxum, inde autem multiplices óbices qui aut electioni Nostri Successoris intercédere, aut eidem moram afferre queant, sive Nos supremum diem hic Romae claudere contingat in eadem in qua nunc versamur conditione, sub hostili dominatione constitutos et undique innumeris impeditos insidiis; sive tum Nobis, tum Sacro Cardinalium Collegio graviora adhuc experiri ac perpeti accidat: sive demum exilii iter arripere cogamur, ibique ex mortalis huius vitae aerumnis ad aeternam pacem Nos vocare Deo libuerit; conveniens et necessarium indicavimus ea constituere quae pro casuum varietate, quibus praevertere humano consilio licuit, in electione Nostri Successoris servari deberent. Inhaerentes itaque Praedecessorum Nostrorum vestigiis, implorato prius coelesti lumine et exquisito consilio peculiaris Congregationis Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, certa scientia et proprio motu de plenitudine Apostolicae potestatis haec quae sequuntur decernimus.**

**Ius iamdiu firmatum et praescriptum eligendi Romanum Pontificem Successorem Nostrum ad Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales unice et privative pertinere declaramus et edicimus et, quatenus opus sit, hac Nostra Constitutione approbamus et confirmamus, excluso prorsus atque remoto quolibet cuiuspiam alterius ecclesiasticae dignitatis, aut laicae potestatis cuiuslibet gradus et ordinis interventu, quovis quaesito colore aut praetextu etiam supplendi munus et vices Cardinalium, casu quo iidem per orbem dispersi aut deportati aut alio quolibet obstáculo praepediatur comitia habere pro canonica Successoris Nostri electione. Quam iii rem Constitutionem f. r. Pii IX Decessoris Nostri quae incipit « *Cum Romanis Pontificibus* » die iv Decembris MDCCCLXIX datam confirmamus et renovamus. Ut autem magis adhuc cautum sit, ne alienus quis electioni quamvis extrinsece tantum sese interponat et immisceat, nominatim derogamus Constitutionibus Gregorii X in Concilio Lugdunensi « *Ubi periculum* », Clementis V in Concilio Viennensi « *Ne Romani* » et Pii IV « *In eligendis* » pro ea parte qua civilibus aut politicis magistratibus civitatis, in qua Romani Pontificis electio sit celebranda, vel etiam Praelatis, Rectoribus, Officialibus Urbis, Principum Oratoribus, aliis quibusvis potestatem tribuunt, ut praescriptiones pro electione praefata faciant observari.**

**Derogamus etiam iis regulis et praescriptionibus quae per Apostolicas Romanorum Pontificum Constitutiones, etiam in Generalibus Conciliis editas, aut alioqui speciali mentione dignas, praefinitae sunt circa electionis tempus et locum, circa Conclave eiusque clausuram aliasque minoris momenti res, ut sunt sollemnitates et caeremoniae quae adhiberi consueverunt, nominatim circa custodiam Conclavis, circa suppeditationem rerum ad victum aliosque vitae usus pertinentium, item circa personarum, quas in Conclave suscipi oporteat, qualitates et numerum, qui tamen consuetum non excedat, aliaque huiusmodi; quas utrum omnes vel aliquas servari aut missas fieri oporteat, quod maior pars congregatorum Cardinalium suffragium tulerit, ius erit. Maioris item partis congregatorum Cardinalium erit decernere utrum, nulla interiecta mora, et ante nonum a Nostro obitu diem electio celebrari, aut etiam si publicae rei status perturbatio, vel alia gravis causa intercedat, comitiorum tempus in longius protrahi oporteat; quo postremo in casu penes eosdem Cardinales erit pari modo potestas leges circa clausuram Conclavis aliasque praescriptiones, ut supra, moderandi aut etiam relaxandi. Qua ex re Cardinales omnes a iurisiurandi religione, qua supradictas Praedecessorum Nostrorum Constitutiones servare promittant, äbsölvimus et absolutos fore declaramus, non solum in praedictis illarum praescriptionibus ad comitiorum tempus et locum atque ad Conclave eiusque clausuram spectantibus, verum etiam in aliis minoris momenti caeremoniis et sollemnitatibus, si quae harum observatio rei exitum retardare possit. In ceteris tamen quae celeri, quam summopere optamus, novi Pontificis electioni non officiant, maxime autem in rebus cum clausula electionem aliter factam irritante praescriptis, praeter ea scilicet quibus a Nobis derogatum est, Constitutiones ipsas observandas mandamus.**

**Etsi vero amplam illam facultatem Collegio Cardinalium concesserimus, praesertim quoad tempus et locum electionis futuri Romani Pontificis, nihil tamen innovatum esse declaramus, sive quantum ad generalem canonum san-**

**ctionem, ne Sede vacante aliquid innovetur; sive quantum ad speciales Constitutiones quibus cautum est, ne in Collegium Cardinalium ea potestas et iurisdictio transeat, quae ad Pontificem dum viveret pertinebat; ne Collegium de iuribus Sedis Apostolicae Romanaeque Ecclesiae quomodolibet disponere valeat, neque in quopiam iuribus eiusdem sive directe detrahere attentet, sive indirecte per conniventiae speciem, seu per dissimulationem facinorum adversus ea iura perpetratorum, attentare videatur, immo omnium virium contentione eadem custodire et defendere debeat.**

**Dum autem ad propositum finem expeditius assequendum, materialem Conclavis seu loci clausuram relaxari permittimus, obligationem tamen secreti servandi in iis omnibus, quae ad electionem Romani Pontificis pertinent, et in iis quae in Conclavi, seu in loco electionis aguntur, haudquaquam relaxamus. Itaque eo modo et forma, ac sub poenis a Decessorum Nostrorum Constitutionibus indictis, praecipimus iterum et mandamus, ut secretum istud accuratissime servetur atque ab aliis servari curetur, et quidem eo cautius et arctius, quo gravior se prodit temporum difficultas.**

**Quolibet item loco et quibusvis in adiunctis electionem celebrari contigerit, non aliter legitima et valida ea erit, quam si numerus Cardinalium, qui ad eam convenerint, dimidium Cardinalium omnino pro tempore existentium, plus uno saltem, excedat; quem tamen numerum si deinceps minui accidat, sive quod aliquem ex Cardinalibus, qui ad comitia convenerint, mors praeveniat, aut morbus opprimât, sive alia qualibet ex causa, impedimento id minime esse debebit, quominus Cardinales reliqui inceptum Opus prosequi et electionem legitime et valide absolvere queant. Electum vero legitimum Beati Petri Successorem et Nostrum verumque Romanum Pontificem agnosci haberique decernimus in quem secretis per schedulas suffragiis duae ex tribus congregatorum Cardinalium partes in scrutinio, sive in scrutinio et accessu convenerint; sin autem per inspirationem vel per compromissum electio fiat, eadem per Cardinales, ut supra, congregatos, servata consueta forma canonica, perfici debebit.**

**His universim praestitutis quae in Nostri Successoris electione, quovis loco et quibusvis in adiunctis eadem celebretur servari oporteat, necessarium duximus quaedam speciatim adiicere quae pro casuum qui occurrant varietate servari debeant. Mandamus itaque et decernimus, si Nos in hac Urbe Roma vita fungi accidat, ut Cardinales, qui tum praesentes in Curia erunt, vix dum Nos diem contigerit clausisse supremum, antequam vel ipsae exequiae in suffragium animae Nostrae persolvantur (aliis Cardinalibus etiam de latere Legatis aut ex alia qualibet causa, etiam cum venia vel mandato Nòstro absentibus, per praescriptum decem dierum spatium minime expeetatis) huius Urbis, rerum ac temporum circumstantiis serio perpensis, délibèrent an in eadem Urbe, vel extra eam comitia pro novo Pontifice eligendo haberi debeant. Ea autem deliberatio plenum effectum sortiatur in quam maior Cardinalium tunc praesentium pars consenserit. Quod si Cardinalibus congregatis insuper visum fuerit, nulla interiecta mora, novi Pontificis electionem ad exitum adduci, praesente, ut aiunt, cadavere, liberum erit, servatis quae servanda supra praecipimus, electionem novi Pontificis vel in primo ipso conventu perficere. Insuper, ut omnis amoveatur cunctationis et perttirbationum occasio, quoad**

**Pontificias exequias praecipimus consuetum praetermitti apparatum a Constitutionibus et consuetudine invectum, easque a Cardinalibus peragi modesto ritu ac forma in Palatii Vaticani Cappella, si Nos extremum diem ibi claudere contigerit. Volumus tamen omnino et mandamus, si Cardinales comitia pro electione hic in Urbe aut alibi in Italia habenda esse duxerint, ut in casu cuiusvis iniuriae Conclavis loco vel personis illatae, quae maioris partis congregatorum Cardinalium iudicio electioni libertatem adimat, omne illico abrumpatur electionis incoeptum, comitia dissolvantur et ad tutiorem sedem transferantur extra Italiam. Demum animo perpendentes afflictum statum in quem res Sanctae Sedis adductae sunt hostilis dominationis causa, sub qua eiusdem civilis principatus et ipsa haec Urbs Roma constituta reperitur, ne vacationis tempore dignitas et rationes eiusdem Sanctae huius Sedis adhuc detrimenta ulterius capiant, et etiam ut Sacro Cardinalium Collegio certa suppetat via qua tricis et difficultatibus, quas casus ferat, sese expedire queat, peculiari Instructione, quam huic Constitutioni adiicimus, normam et regulam praefinire sategimus, ad cuius praescriptum se conformare, prout casus tulerit, Cardinales debeant.**

**Cum autem ea sit temporum iniquitas, ut merito timendum sit, ne invalescens hostium nostrorum in dies oppressio et audacia, vel in deterius ruens rerum publicarum status, Nos ex hac Urbe exulatum abire cogat, vel etiam hinc abducamur vi, et extra Romanam Curiam exinde mors Nos praeveniat; decernimus atque mandamus, ut in hoc casu ex eo extra Curiam loco, ubi Nos omnipotens Deus ex hac vita migrare voluerit, Cardinalis quicumque adsit, aut si plures erunt, eorum dignior, nempe non qui creatione, sed iure ceteris anteit, aut, iis omnibus absentibus, Nuntius Apostolicus et, in eius defectu, loci Ordinarius, aut Praelatus, vel alius quispiam ecclesiastica dignitate insignitus, quam celeriter de Pontificis morte Cardinalem Sacri Collegii Decanum aliosque Cardinales, de quorum sede sit edoctus, certiores faciat, ut statim ad comitia peragenda se praeparent. Cardinalis Decanus, vel ipso impedito, Cardinalis dignitate potior, vix dum huiusmodi nuncium acceperit, vel quovis alio modo Apostolicae Sedi vacationem certo exploratam habuerit, una cum tribus antiquioribus Cardinalibus ex unoquoque Ordine et cum Cardinali Sanctae Romanae Ecclesiae Camerario, si una simul erunt, vel, ipsis absentibus, cum aliis quibusvis Cardinalibus, vel demum ipse solus, si reliqui omnino absint, locum alicuius regionis, quaecumque demum ea sit, eligant, qui ad habenda comitia magis opportunus videbitur. Hinc nulla interiecta mora, idem Cardinalis Decanus, vel, ipso impedito, alius Cardinalis, ut supra, ceteris Cardinalibus vacationem Sedis Apostolicae significet, eosque ad novi Pontificis electionem advocet, ac de loco certiores faciat in quo illam peragi deliberatum fuit. Omnibus autem Cardinalibus in virtute sanctae obedientiae praecipimus et mandamus, ut, nisi legitimo impedimento detenti fuerint, indictionis litteris obtemperare, atque ad locum eisdem designatum pro perficienda Pontificis electione statim se conferre debeant. Ceterum in quemcumque locum Cardinales, ut supra, convenerint, omnino legitima, canonica atque valida erit habenda novi Pontificis electio, dummodo ea impleta fuerint quae ad validam electionem efficiendam requiruntur, iis exceptis quibus Nos expresse derogavimus. Quae quidem omnia, proportione servata, etiam ad casum**

accommodari transferrique debebunt quo, quamvis Nos hic Romae accidat diem supremum obire, Sacro tamen Cardinalium Collegio, invalescente seditionum publicaeque perturbationis tumultu, hostium oppressione et insectationibus hac illae per orbem violenter disperso, comitia pro novi Pontificis electione Romae haberi nequeant.

Quoniam vero Christus Beatum Petrum dispensatione mirabili in dominam gentium Romam direxit, qui ibi, sicut doctrinae virtute sublimis emicuit, ita sanguinis gloriosa effusione decoratus conquiescit [1], praecipimus et mandamus ut Cardinales in primo quem habituri fuerint generali conventu pro novi Ponti fiel« electione iureiurando spondeant sese omne studium et omnem diligentiam collaturos ut Pontificia Sedes Romam restituatur, vix dum óbices et impedimenta amota fuerint, quae illam alio transferre coegerint.

Etsi autem in bonam spem erigamur fore, ut Successor Noster melioribus fruatur temporibus et in suprema hac Petri Cathedra diu sedeat, tamen ut contrario etiam provideamus eventui, motu item proprio ac de Apostolicae potestatis plenitudine omnia quae in hisce litteris sancita et constituta sunt pro comitiis prima post mortem Nostram vice futuris, extendimus, ac pari modo decernimus pro altera electione post Successoris Nostri obitum perficienda, si nimirum, nulla de his nova lege edita, Successor Noster decesserit.

Si quae vero dubia exoriantur circa sensum praescriptionum, quae hac Nostra Constitutione continentur, Vel etiam utrum, aut qua ratione ad usum et praxim eadem deduci debeat, sive super quocumque alio Nostrae huius Constitutionis capite, edicimus et decernimus unice penes Sacrum Cardinalium Collegium potestatem esse super his ferre sententiam; quam in rem ipsis -Cardinalibus plenam tribuimus facultatem, qua hanc Nostram Constitutionem interpretari ac dubia declarare valeant. Qua quidem in re, quemadmodum in reliquis, de quibus ad "Nostrae huius Constitutionis tramites, excepto ipso electionis actu, deliberare contingat, satis omnino erit, si maior congregatorum Cardinalium pars, ut supra declaratum est, in eamdem sententiam consentiat. Mandamus autem ut hae Apostolicae Litterae voluntatis Nostrae testes quamprimum post mortem Nostram, et, si per adiuncta liceat, ipso etiam obitus Nostri die, in prima generali praesentium Cardinalium Congregatione e vestigio et extra ordinem indicenda, per integrum recitentur. Id autem impedimento minime erit quominus antea, si per tempus licuerit, nec aliae intercedant difficultates, earumdem lectio peragatur in Congregatione Capitum Ordiuum, quum haec locum habebit.

Nos interim Deo et Patri per Unigenitum Filium eius Iesum Christum redemptorem hominum animam Nostram commendantes, ut ex huius vitae aerumnis ereptam in caelestem patriam suscipiat, Venerabiles Fratres Nostros Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, quibus, Nobis corpore solutis, erit vita superstes, per viscera misericordiae Iesu Christi obsecramus et obtestamur, ut mutua animorum concordia et voluntatum conspiratione in hoc omnia sua studia, omnia consilia conferant, ne Petri Navis tot tantisque iactata fluctibus gubernatore diu careat. Cogitent animoque perpendant, vacante Apostolica Sede, tunc maxime nutare Ecclesiae statum; nam si gregi pastoris cura

[1] S. Gelasius T, Ep. 14.

defuerit, facile laqueos insidiatoris occurrit Cogitent Ecclesiae hostibus vix quidpiam optabilius et opportunius accidere posse, quam Romani Pontificis electionem in longius distrahi, aut etiam perturbari. Nam si Papa Urbis vocatur in dubium, Episcopatus iam videbitur, non Episcopus vacillare[3]. Iterum vero obsecramus et obtestamur Fratres Nostros Cardinales, ut nulla propensione animi vel aversione commoti, nullius inclinati gratia aut obsequio, non intercessione in saeculo potentium moti, sed unice Dei gloriam et Ecclesiae bonum prae oculis habentes in eum sua vota conferant quem animi praestantia et religionis zelo eminere prospexerint, quique mysticae Navis fortiter sapienterque clavum regere et ingruentium hostium impetus frangere sit potens; alioqui sciant districtissimo Dei iudicio poenas laturos, si sua culpa et negligentia in tanto rerum discrimine et celeri et optima novi Pontificis electione afflicto Ecclesiae statui consulere neglexerint. Electum vero haeredem et Successorem Nostrum, cui toto cordis affectu precamur a Domino, ut locum nostrum felicius occupet, rogamus ne muneris arduitate deterritus ab eodem subeundo se retrahat, at potius divinae voluntatis consilio humiliter se subiiciat, nam Deus qui imponit onus, manum etiam Ipse supponet, ne ei ferendo sit impar; is enim qui oneris est auctor, Ipse est administrationis adiutor; et ne sub magnitudine gratiae succumbat infirmus, dabit virtutem qui contulit dignitatem [3].

Haec igitur periculis nostrorum temporum totaque rei causa graviter considerata, ac etiam Decessorum Nostrorum Pii VI, Pii VII, Gregorii XVI et Pii IX exemplis permoti statuimus, praescribimus, indulgemus, decernentes praesentes Litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet in praemissis ius vel interesse habentes, seu habere praetendentes quomodolibet illis non consenserint, nec ad ea vocati sive auditi fuerint, aut ex quibuslibet aliis causis, impugnari minime posse, sed easdem semper ac perpetuo firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere ac iis, ad quos spectat et pro tempore spectabit suffragari et ab eis respective et inviolabiliter observari debere, ac irritum et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus, quatenus opus sit, de iure quaesito non tollendo aliisque Nostris et Cancellariae Apostolicae regulis, itemque tam per Alexandrum III, Gregorium X, Clementem V, Pium IV, Gregorium XV, Clementem XII, aliosque Romanos Pontifices Praedecessores Nostros, quam etiam per Nos de Romani Pontificis electione editis Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, quarum tenores praesentibus, tamquam plene et sufficienter ac de verbo ad verbum insertos habentes, iisdem omnibus et singulis ad praemissorum dumtaxat effectum, illis quoad reliqua in iis contenta in suo valore permansuris, latissime et plenissime derogamus, ceterisque etiam individua ac specialissima mentione et derogatione dignis contrariis quibuscumque. Volumus insuper ut praesentium Litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii Apostolici subscriptis et sigillo munitis personae in ecclesiastica dignitate constitutae eadem prorsus

[1] S. Gregorius M., lib. I, Ep. 80.

[4] S. Avitus Viennensis, Ep. 31 ad Symmachum.

[3] S. Leo Magnus, Serm. 2, de Natali eiusdem, n. 1.

fides habeatur quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostrae permissionis, dispensationis, facultatis, ordinationis, decreti, mandati, voluntatis, derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicae MDCCCLXXXII die xxiv Maii Pontificatus Nostri Anno quinto.

LEO PP. XIII

# INSTRUCTIO

*A Sacro Cardinalium Collegio observanda vacante Sede Apostolica donec extraordinaria conditio perduret in qua nunc ipsa versatur.*

1. - Vacante Apostolica Sede, Sacrum Cardinalium Collegium eodem modo se gerat quo se exhibuit eo ipso die cum Roma occupata est. Quapropter *a)* Cardinales sive singillatim, sive collective ab omni communicatione cum quavis civili auctoritate abstineant : 6) privato more se vestiant et incedant, veluti huc usque ab iis servatum est : c) sacra munera, quae eorum dignitatis sunt, haud publice obeant.

2. - Sacri Palatii Apostolici Praefectus Cardinalem S. R. E. Camerarium opportune moneat ut ipse se ad Vaticanas Aedes conferat.

3. - Cardinalis Camerarius, statim ac ab eodem Sacri Palatii Apostolici Praefecto nuncium de Pontificis obitu acceperit, eo pergit ut summi imperii actu ipsius Palatii possessionem capiat, illudque nunquam derelinquat, ibique omnes officii sui partes expleat.

4. - Cum Cardinalis Camerarius unica auctoritas sit quae legitime obitum Pontificis cognoscere possit, de obitu ipso authenticam attestationem exarabit.

5. - Sigilla aedibus privatis defuncti Pontificis unice a Cardinali Camerario apponentur, idque ad servanda iura tum Sanctae Sedis, quum cuiuslibet privati hominis. Quaevis huius praecepti violatio haberi debebit tamquam vis contra S. Collegii libertatem et summam Sanctae Romanae Ecclesiae potestatem illata.

6. - Idem Cardinalis Camerarius mortem Pontificis Cardinali Vicario significabit, ut hic de re Populum Romanum edoceat publico edicto, quo ipsemet Cardinalis Vicarius enunciabit rem sibi a legitima auctoritate fuisse communicatam, scilicet a Cardinali S. R. E. Camerario, et iusta funebria in Basilica Vaticana esse persolvenda a Capitulo S. Petri.

7. - Pariter opportune Sacri Palatii Apostolici Praefectus moneat Sacri Collegii Cardinalem Decanum, qui collegas ad Vaticanas Aedes advocet.

8. - Cardinalis Decanus in hoc advocationis nuncio, quod ex Aedibus Vaticanis expresse dabitur, Sacro Collegio significabit ut accedant iuxta praescripta articuli primi harum regularum.

**9. - Statim ac Sancta Sedes vacaverit, illico Apostolici Palatii " portae claudantur. Nemo ingredi poterit nisi ex venia Cardinalis Camerarii. Verum novendialibus peractis, exterior accessus ad Musaea et Bibliothecam iterum pateat, ut omnes ea loca visitare possint, veluti huc usque factum est : claudatur tamen si S. Sedis hostes hac concessione uti velint tamquam praetextu quo sibi aperiant aditum in alias Aedium Vaticanarum partes.**

**10. - Si quis ad Vaticanarum Aedium portas armatus ipse aut cum manu hominum armis instructorum accedat eo consilio ut S. Palatium invadat, portae non aperiantur, sed potius sinatur ut ab invasore evertantur.**

**11. - Si contigerit ut aliquis a Gubernio aut a Municipio missus ad S. Palatium accedat, satelles, qui tunc in statione erit, petet ab eo quisnam sit et qua de causa venerit : responsio autem accepta ad Cardinalem Camerarium deferetur, qui pro temporis adiunctis rem aget.**

**12. - Si aliqua auctoritas vel politica vel civilis expetiverit loqui cum Cardinali Decano aut Cardinali Camerario, is petenti satisfaciet. Verum in loco iam antea ad rem expresse constituto personam illam excipiet: locus tamen distinctus erit a ceteris Cardinalium habitationibus, neque ulla Apostolici Palatii in parte situs, ubi excipere solet ceteros omnes, quibus quolibet titulo ius competit ut ad eius praesentiam admittantur. Ad praedictum locum exteriori Musaeorum via accedetur. At Camerarius aut quivis alius eum excipere recusabit, qui forte declarasset se eo consilio velle in Apostolicum Palatium ingredi ut summae potestatis et imperii actus ederet, aut Vaticanarum Aedium quavis parte potiretur aut quolibet modo Sanctae Sedis iura violaret.**

**13. - Si forte contingat ut italicum Gubernium opem et auxilium suum Sacro Collegio offerat, distinguendum est an haec auxilii oblatio scriptis vel potius ore fiat, scilicet accessione cuiusdam legati ab eodem Gubernio missi, ad Cardinalem Decanum aut ad Cardinalem Camerarium.**

**In priori casu, Cardinalis Decanus nihil respondebit praedictae communicationi, sed diplomaticum Coetum Legatorum, qui apud Apostolicam Sedem sunt, litteris opportune datis exorabit ut Gubernio Romam nunc occupanti nuncient *a)* Sacrum Collegium, iuramentorum, quibus adstrictum est, memor nullam mutationem inducere posse illi rerum conditioni, quam defunctus Pontifex reliquit atque ipsum S. Collegium integram Successori eius transmittere debet, *b)* Itaque nullam communicationem Sacrum Collegium cum Gubernio habere posse, quocum defunctus Pontifex minime communicabat. c) Ceterum in iis, quae spectant interiorem S. Palatii partem, nullum auxilium opus esse : in iis vero, quae ad tranquillitatem exteriorem pertinent, quoniam S. Collegium Urbem non regit, nihil respondere posse.**

**In altero casu autem, si quis ab italico Gubernio missus peteret loqui cum Cardinali Camerario aut cum Cardinali Decano, hic eodem modo excipiet eum ac supra ostensum est ad articulum 12 atque oblata occasione utetur ut easdem declarationes et protestationes edat, de quibus supra in priori casu dictum est, ubi dirigendae essent protestatione litterae ad Coetum Diplomaticum.**

**In quolibet casu vero nulli alteri e S. Collegii Membris has visitationes et communicationes licebit excipere nomine eorum qui nunc gubernant, sed eas deferet ad Cardinales Ordinis Capita aut ad Cardinalem Camerarium :**

**idque eo consilio fiat ut in illis difficilibus rerum adiunctis integra servetur unitas auctoritatis, actionis et directionis.**

**14. - Si foris violentiae actus fiant ea mente ut perturbationes excitentur atque hinc praetextus sumantur in S. Palatium penetrandi, S. Collegium necessarias cautiones adhibebit, ac de re Diplomaticum Coetum certiorem faciet, ut tranquillitas componatur et Cardinalibus restituatur libertas.**

**15. - Si quis conetur Bibliotheca potiri, Musaeis, Archivis aut qualibet alia S. Palatii parte, claudantur portae, sinatur ut evertantur ac, debita protestatione a Cardinali Camerario emissa, solemnibus litteris de re Diplomaticus Coetus certior fiat.**

**16. - Debitae protestationes pariter edantur si quis conetur armis exuere S. Palatii excubias, atque earum loco itálicos milites ponere.**

**17. - Omnes Congregationes tum particulares Capitum Ordinis, cum generales totius S. Collegii, haberi debebunt in Palatio Vaticano.**

**18. - Cardinales in coetum collecti ut primam Congregationem habeant, opportune consulant Conclavi celebrando.**

**19. - S. Collegium, attentis locis quae in promptu fuerint, expensisque adhibitis quo minori mensura possibile erit, de Conclavistarum admissione deliberabit, ac simul de numero Caeremoniarum magistrorum, famulorum aliorumque qui ad Conclave admitti solent.**

**20. - Quum constituta iuramenta S. Collegium praestiturum erit, tunc ipsum omnes protestationes iterabit a defuncto Pontifice pro iuribus, legibus et bonis S. Sedis et Ecclesiae tuendis editas, quin tamen omittat de re Diplomaticum Coetum certiorem facere.**

**21. - Pontificis mors tum Pontificiis Legatis, quum Cardinalibus, qui Romae non adfuerint quando ipse Pontifex obiit, subito nunciabitur telegrammate, quo, post significatam mortem, adiicientur haec verba: « *reliqua per epistolas* ». Prima Congregatione habita, idem nuncium iterum dabitur per commendatas litteras, sigillisque munitas, ut iisdem locus et tempus significentur, quibus Conclave habebitur.**

**22. - In prima congregatione, quam Ordinis Capita cum Cardinali Camerario habebunt, omnes communicationes ex more ad Gubernia mittentur, idest mittentur ad omnia Gubernia, etiam ad ea quibuscum S. Sedes diplomaticas communicationes forte non habeat, etsi hae communicationes vel nunquam intercesserint vel interruptae fuerint, dummodo haec Gubernia recognita iam sint a Summo Pontifice defuncto. Hac via et ratione impedietur quominus nuncium ab Apostolica Sede iis omnibus Principibus detur, quos ipsa nunc haud rite cognoscit.**

**23. - Cum nihil a S. Collegio (veluti supra ad articulum *primum* harum Instructionum constitutum fuit) vacante Apostolica Sede innovandum sit in ea rerum conditione, quam Pontifex moriens reliquit, nullo modo eorum Statuum legatos ei excipere fas erit, qui diplomaticas relatioues cum Apostolica Sede disruperint, etsi hi Status excipi ultro petant.**

**24. - Defuncti Pontificis corpus pontificalibus vestibus, quo citius fieri potest, induatur, ac privatim scala interiori ad S. Petri Basilicam deferatur in sanctissimi Sacramenti sacellum. Ibi, absolutione data, exponetur, quatuor**

e Pontificia Militum Nobilium cohorte cadaver custodientibus, cancelloque clauso.

25. - S. Collegium, nisi aliter pontificiis singularibus placitis circa sepulcri locum et sepeliendi morem fuerit constitutum, rem aget iuxta opportunas normas et consuetudines, quae semper in vigore fuerunt, quantum temporum conditiones permittant. Tumulatio praesentibus Cardinalibus fiet,, clausis ianuis.

26. - Praeter exsequias, quae publice in Basilica S. Petri peragentur, alias privatim Cardinales persolvent in Syxtino Sacello, Praelatorum conventu eorumque qui iure ad Sacella Pontificia et Cardinalicia in vitandi sunt.

27. - Acta, vacante Apostolica Sede, exaranda unus Clericus Camerae (qui tunc etiam Protonotarii Apostolici munere fungetur) et Notarius Camerae Apostolicae simul scriptis consignent.

28. - Cardinalis Camerarii erit eas omnes innovationes inducere, quae pro re nata necessariae fuerint, ut .congruenter apteque nonnullas administrationis partes custodire ac tueri possit, quae iam singulis Camerae Praelatis: concredi solent.

29. - Pariter Cardinali Camerario curae erit ut victus Cardinalibus provideatur et ministretur in ipsis Vaticanis aedibus.

Idem Cardinalis invigilabit ne in hac et omni alia occasione, quae communicationes cum personis ad Conclave non pertinentibus spectet, ullo unquam modo sanctiones rigidissimae frangantur quae constitutae fuerunt ne quis a Conclavi cum externis communicet.

30. - Quod si in prima Congregatione Generali S. Collegium constituerit Conclave extra Italiam celebrare, id Cardinalibus, qui in Curia non adsint,, subito nuncietur.

31. - In eodem nuncio certus locus, et tempus, quo simul conveniant, significetur.

32. - Pariter Cardinales Ordinis^Capita rem Diplomatico Coetui nuncient, eumque invitent ut sequatur S. Collegium in locum pergens, quem ipsum S. Collegium elegerit : quo cum pervenerit, eas rationes et consilia in agendo adhibebit, quas magis idoneas utilioresque reputaverit.

## DOGUM. IV.

## Constitutio Benedicti PP. XIV « *Cum illud* », 14 Decembris 1742.

Cum illud semper plurimum formidaverit Ecclesia Catholica, ne indignis; quibusque, et extra sacerdotale meritum constitutis, cura animarum, et Dominici gregis custodia crederetur; quia totius familiae status, et ordo nutat, si quod requiritur in corpore, non invenitur in capite : Hinc canonicis sanctionibus, ac praesertim Sanctae Tridentinae Synodi Decretis pro vide consultum est, regimen ecclesiarum parochialium iis esse committendum, quorum omnis aetas a puerilibus exordiis ad perfectiores annos per disciplinae ecclesiasticae stipendia ita cucurrisset, ut de illorum supra alios provectione, ac potiori doctrinae, morum, ac diuturni laboris suffragio, nefas esset dubitare.

**Quia vero perniciosa apud plurimos opinio sensim invaluit, Tridentini Decretis non praescriptam esse dignioris electionem; sed caveri tantummodo, ne indignis ecclesiae parochiales, aliaque beneficia, quibus cura imminet animarum, conferrentur; san. mem. Innocentius XI Praedecessor Noster erroneam doctrinam a vera, et sincera Patrum mente longius deflectentem damnavit, et edocuit, quam prudens, ac diligens esse debeat Pastoralis officii dispensatio.**

**§ 1. Ad tramites idcirco eiusdem Sanctae Synodi, usu receptum est, occurrente parochialis ecclesiae vacatione, quae libere ab Ordinario conferenda sit, concursum institui, ut, habita in eo de cuiuslibet aetate, moribus, doctrina, et sufficientia, solerti inquisitione, Episcopus eligat quem caeteris magis idoneum iudicaverit.**

§ 2. **At quia contingere quandoque potest, quod favore,' vel gratia, vel minus aequo iudicio, minus digni dignioribus praeponantur, san. me. Pius V Noster Praedecessor, ne quid in huiusmodi electione esset inordinatum, atque praeposterum, edita saluberrima Constitutione, licere voluit iniuste in concursu reiectis, interposita ad Metropolitanum, vel Episcopum viciniorem, vel Sedem quandoque Apostolicam appellatione, praeelectum ad novum examen provocare, et ecclesiam alteri non rite collatam, novo facto meritorum periculo, si ita ius esset, vindicare. Et ne frivolae appellationis diffugio locus esset, provide ibidem cautum est; dictae appellationi in devolutivo tantum deferri oportere, non suspensa, aut quoquo modo retardata praeelecto ab Ordinario parochialis ecclesiae possessione.**

§ 3. **Consultissimae huiusmodi leges eum in finem institutae, ne in tanti momenti re imperiti magistris, novi antiquis, rudes praeferantur emeritis, violatae sunt hominum fraude et malitia, ipsa medela vulnus exasperantium. Saepissime enim reiecti ab Ordinario, dictae Constitutionis obtentu, in vocem appellationis facile prorumpere, et, minus legitima concurrente causa, electos ab Episcopo ad novum examen provocare consueverant; illosque praeterea, relicta gregis, et ecclesiae custodia, longum iter arripere, et diuturni laboris, temporis, et pecuniae impensa exhaustos, litem in secunda, tertia, et ulteriori quandoque instantia sustinere cogebant.**

**§ 4. Quin etiam experientia compertum est, magno iustitiae detrimento litem ipsam absolvi. Quandoquidem ii, qui examini se subiecerant, atque in primaevo concursu, utpote legitimarum institutionum nescii, reiecti fuerant, longa postmodum decurrente lite, sedulam litteris ex industria navantes operam, praeferri aliis merebantur, et acerbe succensebant Episcopo, iudici quidem adeptae, non autem adipiscendae peritiae, per iniuriam se fuisse reiectos.**

§ 5. **Hinc apud bene moratos homines, et iustitiae vindices, frequens querelarum occasio : quibus sedandis cum Congregatio Concilii Tridentini interpres omne studium, diligentiamque conferret; Nobis, qui Secretarii munere fungebamur, mandatum est, ut sermone, typis postea vulgato, rem sedulo expendere, ingruentis mali originem, et apta eidem avertendo remedia investigare pro viribus niteremur. Sensus hac de re Nostros explicantes, vitio potissimum laborare comperuimus praxim examinis oretenus habiti, nec scriptis consigna ti : electi siquidem ad curam animarum ab Ordinario collatore, et ad iteratum examen coram alio iudice provocati, ius legitimae collationis tueri non poterant certo, ac permanenti testimonio iam probatae idoneitatis;**

**sed a novi examinis alea, subeunda coram iudice appellationis, gestarum rerum prorsus ignaro, tota res pendere videbatur. Quocirca gravi iustitiae detrimento recepta in foro erat opinio, provocari posse ad alium iudicem, nullo exhibitio indebitae reiectionis documento. Quod quidem cum a sacrorum canonum censura longius aberraret, facile huic corruptelae occurri posse censuimus, si certa primum, et apte disposita habendi examinis forma praescriberetur; si quaestiones examinatis propositae, et consentaneae illorum responsiones, totaque rei gestae series in scriptis redigeretur; et si acta demum totius concursus ad iudicem appellationis integra asportarentur.**

**§ 6. Inita a Nobis consilii ratio non solum arrisit Congregationi, illam die 16 Novembris 1720 ratam habenti; sed etiam Pontificii iudicii accessione roborata fuit a Clemente XI ecclesiasticae disciplinae vindice, et assertore eximio. Utque locorum Ordinarii ea omnia filiali, quo par erat, obsequio, et diligentia exequerentur, iis datae sunt die 10 Ianuarii 1721 opportunae litterae nostro calamo exaratae, eiusdemque Pontificis sensu, et oraculo comprobatae, quarum tenorem, etsi alias praelo commissum, et insertum in Bullario dicti Clementis Praedecessoris Nostri, congrue hic duximus referendum.**

**§ 7.** ***Reverendissime Domine uti Frater. Quo parochiales ecclesiae dignioribus personis gubernandae traderentur, statuit, ut notum est, Sacrosancta Tridentina Synodus sess. 2í, cap. 18, ut, vacante ecclesia parochiali, induceretur, et -fieret concursus; ac, postquam concurrentes ab Episcopo, vel eius Vicario Generali, atque ab Examinât oribus Synodalibus saltem tribus, examinati, et approbati essent, Episcopus eum eligeret, quem aetate, moribus, doctrina, prudentia, aliisque rebus ad vacantem ecclesiam gubernandam necessariis, et opportunis, digniorem caeteris, magisque idoneum indicaret. Adiecitque ad hanc Concilii sanctionem validius confirmandam, re, et nomine sanctissimus Pontifex Pius V, quod, si unquam Episcopus minus habilem, postpositis magis idoneis, elegisset, possent ii, qui reiecti essent, a mala eiusmodi electione ad Metropolitanum, vel, si ipse eligens Metropolitanus, aut exemptus foret, ad viciniorem Ordinarium, ut Sedis Apostolicae Delegatum, vel alias ad ipsam Sedem Apostolicam appellare, ac praeelectum ad novum examen coram ipso appellationis iudice, et eius Examinatoribus, provocare; ea tamen cautione, ut appellatio non in suspensivo, sed in devolutivo esse deberet; quemadmodum in eius Constitutione, quae trigesima tertia est, latius cavetur; concludendo, quod, constito de prioris eligentis irrationabili iudicio, eoque revocato, parochialis ecclesia magis idoneo conferatur.***

***Cum autem neque Concilii Decreto, neque Pontificis Bulla examinis in concursu peragendi forma, seu methodus ulla certa, ac peculiaris servanda proponatur; difficili dictu est, quanta examinum, aliorum alibi diversitas, extiterit, atque hinc occasio querelarum. Nam alicubi, cum non eaedem omnibus quaestiones, non iidem casus propositi fuissent: erant identidem, qui, vel in iudicio, vel extra conquererentur, sibi quidem postpositis difficiliores, praeclecto autem faciliores ad solvendum quaestiones obtigisse. Alibi vero eaedem quidem omnibus quaestiones propositae fuerunt, sed neque hae, neque datae a concurrentibus responsiones, scripto, seu litteris consignabantur. Cumque postmodum, nec raro contingeret, ut e postpositis quispiam, iure Bullae supradictae, novum ad examen coram iudice appellationis, eiusque examinatoribus,***

*electum provocarci : S. Congregatio usque ab anno 1603 considerans gravamen non alia ratione, quam r\flvo examine, probari posse; provocationem ad novum examen censuit admittendam, gravamine nec dum probato, et requisitis tantummodo probationibus in subsequenti iudicio: in quo, probato, per novum examen appellantis, gravamine quoad doctrinam, probanda superest eiusdem prae iam electo in reliquis ad regendam ecclesiam requisitis praestantia, ut de maiori alterutrius ad parochialis ecclesiae gubernium idoneitate sententia ferri possit: cum non continuo, si quis est doctior, is etiam aptior, seu magis idoneus ad id regimen habeatur, vel etiam habendus sit. Quam Sacrae Congregationis sententiam scriptores, et tribunalia laudarunt. Aliis demum in dioecesibus laudabilis invaluit consuetudo, ut eaedem omnibus quaestiones, iidemque casus proponantur; ac (ne qua detur ansa Cancellario quidquam suo marte addendi, minuendi, mutandi) ut ipsimet concurrentes, qui interrogati fuerint, quaeque responderet, sua manu perscribant.*

*Atque Ordinarii, qui morem hunc longe optimum in examinando tenuere, Sacrae deinde Congregationi etiam, atque etiam considerandum reliquerunt, his, qui sic examinati essent, atque postpositi, in posterum, ut solent, appellantibus, indulgenda, nec ne, statim electi novum ad examen provocatio, nulla gravaminis praerequisita probatione, videretur; cum isti ex actis primi examinis gravamen doctrinae facile alioquin probare possent; quod alii aliter nimirum examinati, probare, nisi secundo, seu novo examine, non poterant. Nec defuere alii probitatis, ac peritiae in administrandis diu ecclesiis laude praestantes, qui monerent, fraenum aliquod huiusmodi appellantium licentiae tandem iniiciendum, eorumque iam nimis crebras novum ad examen provocationes esse reprimendas; quippe quae vix unquam sine magno ecclesiarum damno contingunt. Nam cum novum, examen coram iudice appellationis longe procul a parochia peragendum sit; electus ab Episcopo, qui provocatur, parochiam, quam possidet, cogitur interea temporis deserere, eamque Oeconomo, vel Vicario cuipiam, veluti sponsam ignotis custodibus, relinquere, sponso non parumper, sed diu sane abfuturo; dum nempe, implicita, ut fit, lite, tema etiam vel quaterna, alia ex aliis, examina, super praestantia primum doctrinae, tum deinde aliorum, quae ad integrandam idoneitatem opportuna sunt, contentiose multiplicentur, et commode, ne dicam otiose, transigantur, antequam deliberari possit utri concurrentium parochia sit adiudicanda.*

*Ad tollendam eiusmodi non minus querelarum, quam incommodorum occasionem, Sacra Congregatio Concilii Tridentini interpres, postquam rem omnem a capite repetitam in gemina sessione 1 Octobris, et 16 Novembris 1720 summo studio recognovit, tandem, Sanctissimo etiam annuente, statuit (quod per praesentes litteras encyclicas exequitur) omnes, et singulos Episcopos, aliosque Praelatos, penes quos sit ius, et auctoritas faciendi concursum, hortari, ut examen eiusmodi instituere non graventur, quale iam et multae dioeceses, et Urbs ipsa observat, atque Apostolica etiam Dataria postulat; sive, cum, Sede vacante, vacat ecclesia aliqua parochialis, cuius collatio ad Sedem Apostolicam pertineat; sive cum vacat parochialis aliqua, ut dicitur, iuxta Decretum; sive demum, cum, vacante in collegiatis, aut cathedralibus ecclesiis dignitate aliqua maiori, annexam habente curam animarum, faciendus est concursus, atque ad Apostolicam Datariam transmittendus, ut notum çst^*

*atque in litteris, quae de ordine Sanctissimi, tunc a Dataria prodeunt, clare praescribitur.*

*Vacante itaque ecclesia parochiali, quae conferenda sit per concursum, atque hoc solitis formulis indicto, haec quae sequuntur, e® Sacrae Congregationis sententia, consilio, suasione, servanda proponuntur.*

1. *Primum nempe, ut assignentur eaedem omnibus concurrentibus quaestiones, iidem casus, idemque textus Evangelii, super quo sermonis aliquid perscribant, ad probandam dicendi pro concione facultatem.*

2. *Alterum, ut casus, et quaestiones resolvendae dictentur omnibus eodem tempore, atque omnibus pariter eodem tempore textus Evangelii tradatur.*

3. *Tertium, ut certum, idemque omnibus spatium temporis constituatur, intra quod casus résolvant, quaestionibus respondeant, conciunculam componant.*

4. *Quartum, ut eodem concurrentes omnes in conclavi claudantur, unde, quandiu scribent (dabitur enim omnibus scribendi copia) nemo eorum egredi, neque alius quispiam eo ingredi possit, nisi postquam scripta confecerint, et exhibuerint.*

5. *Quintum, ut omnes sua quisque manu tum responsa, tum sermonem scribant, subscribantque.*

6. *Sextum, ut responsa quidem latine, sermo autem ea, qua ad populum haberi solet, lingua scribatttr.*

7. *Postremum, ut unumquodque responsum, et unusquisque sermo, cum ab unoquoque concurrentium exhibebitur, non solum ab eo, qui scripsit, atque a Cancellario concursus, verum etiam ab Examinatoribus, et ab Ordinario, vel eius Vicario, qui concursui interfuerint, subscribatur.*

*Peracto secundum hanc formulam concursu, collataque ei, qui magis idoneus, ac dignior indicatus fuerit, ecclesia parochiali, non admittatur appellatio, aut a mala relatione Examinatorum, aut ab irrationabili iudicio Episcopi, nisi intra decem dies a die collationis interponatur.*

*Si quis autem, hoc intra spatium appellaverit, actaque concursus petat ad iudicem appellationis transferenda; mittantur vel acta ipsa originalia concursus clausa, et obsignata, vel certe unum aliquod authenticum eorum exemplum, a Cancellario concursus, atque altero notario collatum, et auscultatum coram Vicario, vel alio in ecclesiastica dignitate constituto, quem eligat Ordinarius, ad quem etiam notarii Cancellario adiungendi electio pertinebit; necnon ab Examinatoribus Synodalibus, qui concursui interfuerunt, subscriptum.*

*Ex quibus actis, vel authentico eorum exemplo, nisi gravamen quoad doctrinam probet is, qui sic, ut praemittitur, examinatus, aut a mala relatione Examinatorum, aut ab irrationabili iudicio Episcopi appellaverit, novum ad examen provocandi facultatem a Sacra Congregatione frustra postulabit.*

*Quemadmodum et in iudicio appellationis persequi ius suum frustra tentaba is, quijorte se gravatum doleat quoad reliqua, nisi, interposita mature, ut dictum est, appellatione ab irrationabili iudicio Episcopi, gravamen quoad illa ostenderit, vel ex actis primi concursus, vel saltem ex attestationibus, et documentis extraiudicialibus etiam, sed non levibus.*

*Atque ita quidem sensit Sacra Congregatio, et Sanctissimus assensit.*

*At si quis tamen Ordinariorum aliter, ac supra descriptum est, concurrentium examina instituere perrexerit, perget et Sacra ipsa Congregatio more pristino appellantibus, qui se gravatos dixerint, provocationem ad novum examen, nulla gravaminis praevia probatione, indulgere. Interim tamen, ne harum litterarum memoria dilabatur, vult eadem Sacra Congregatio, eas in uniuscuiusque Ordinarii Cancellaria perpetuo conservari. Cuius interea consilium, tum voluntatem, dum ego omnibus significo, Amplitudini Tuae f austa omnia e coelo precor. Romae hac die 10 Ianuarii 1721.*

*Amplitudinis Tuae.*

*Uti frater*
*P. M. Card. CORRADINUS, Praefectus.*

P. LAMBERTINUS, *Secretarius.*

**§ 8. Quantum recte dispensandis ecclesiasticis muneribus, administrandae iustitiae) componendis dissidiis, continendisque in officio clericis proficomperuimus, cum Anconitanam primum ecclesiam, ac deinde Bononiensem ceret saluberrima praemissarum legum institutio, satis superque experientia sponsam nostram paterna charitate cominus amplecteremur. Freti siquidem dictarum legum praesidio, digniores parochiis, et curae animarum praefecimus : tantaque, benedicente Domino, id accidit animorum consensione, ut nemo questus sit, traditum minus digno celsioris loci praemium, vel minus iuste alteri credita vacantis ecclesiae gubernacula.**

**§ 9. At quia certis admonemur indiciis, non ita id aliis Episcopis contigisse; imo non deesse, qui privatis abrepti studiis, saepe declinare, ac redarguere iudicium Episcopale praesumant: Nos propterea solliciti de implendis, prout decet, muneris Nostri partibus> nonnulla praefatis litteris addenda, nonnulla vero tacite, breviterque ibidem tradita, clarius explicanda censuimus, ut recte omnia, atque ex ordine peragantur.**

**§ 10. Moerentes igitur audivimus, quod in plerisque dioecesibus, etsi recepta sit laudabilis, firmiterque custodienda consuetudo in scriptis redigendi examen concurrentium, nihilominus Examinatorum suffragia in sola litterarum peritia versantur, nec illorum exquiritur sententia de clericorum aetate, institutione, gravitate, et honestate morum, prudentia, muniis antea exercitis, et an tales demum sint, qui oves suas verbo, et exemplo iuvare possint. Quam devia sit huiusmodi praxis a Tridentini semita, is plane intelliget, qui expendet verba relata** ***cap. 18, sess. 24, de Reformat. : Peracto deinde examine, ^enuntientur quotcunique ab his idonei iudicati fuerint moribus, doctrina, prudentia, et aliis rebus ad vacantem ecclesiam gubernandam opportunis.*** **Idque probe noscens Congregatio eiusdem Concilii interpres, pluries edixit, Examinatores suo deesse muneri, si doctrinae tantum iudices essent, nec inquirerent, qui prae aliis, probitate morum, laboribus, praestito antea ecclesiae obsequio, caeterisque dotibus ad officium parochi cumulate obeundum necesariis, essent idonei, et commendabiles.**

**§ 11. Absoluto examine, ut cuique satis compertum est, sit tantummodo potestas Examinatoribus renuntiandi quotquot regendae ecclesiae idoneos iudi-**

caverint, reservata uni Episcopo electione dignioris, quemadmodum sancitum est a Tridentino illis verbis : *Ex hisque Episcopus eligat, quem caeteris magis idoneum iudicaverit:* At si quem clericorum f orte contigerit, appellare a mala relatione Examinatorum, quorum cura unice versata fuerit in exquirenda doctrina, non facta uno eodemque tempore solerti etiam investigatione aliarum qualitatum, quae Pastoris congruant officio: ordo iudicii secumferet: ut etiam iudex, ad quem provocatum fuit, in sola doctrinae indagine immoretur : nec sine gravi animarum detrimento, et disciplinae iniuria, praeficiatur ecclesiae, qui litteris magis posset, licet caetera minus aptus, et quandoque indignus; contra vero arceatur ille, qui licet impar doctrinae merito, attamen moribus, gravitate, prudentia, probato nomine, diuturno ecclesiae famulatu, ac multiplici virtutum laude praecellit.

§ 12. Factum praeterea satis extirpandis abusibus non videtur, si tam Episcopus, quam Examinatores, coniunctis studiis, industriae ñervos omnes intendermi in conferenda concordi iudicio Ecclesia personae, quae licet scientia, et litteris alteri concedat, -maiori tamen caeterarum qualitatum eminet ornamento; siquidem postpositus, suae nimium fidens doctrinae, ab irrationabili iudicio Episcopi non raro appellat; causaque ad iudicem appellationis delata, idem totus est in perquirenda madori doctrina, ac reparando gravamine litterato homini irrogato, nusquam librato aliarum virtutum pondere, quae in appellante desiderantur : lugentque ut plurimum vigiles Ecclesiarum Antistites exitum huiusmodi appellationis, intimeque dolent, parochias doctis, non aptis Pastoribus, ut dictum est, regendas committi.

§ 13. At si iudex etiam appellationis (quod raro evenit) tantum tribuens scientiae, quantum satis, maiori, et accuratior! examine inquirat, qui mores hominum sint, quae gravitas, prudentia, qui suscepti antea labores, quae virtutum specimina, quae demum totius anteactae vitae ratio, pascendo gregi consentanea: tot iudici exhibentur attestationes ab appellante ex industria collectae, ut, revocato Episcopali iudicio, tamquam irrationabili, non vereatur iudex succurrere eidem appellanti, quem tam copiosa, tamque conspicua probitatis adiuvant documenta.

§14. Demum cum praecipue Episcopis, tanquam in specula constitutis, pateant subditorum excessus, con tingere solet, ut in concursu, tam inspecta scientia, quam moribus, ille idoneus ab Examinatoribus renuntietur, cui foeda aliqua vitii labes, ac criminis macula inusta sit, omnibus, praeterquam Episcopo, occulta. Si Episcopus, insta suadente causa, crimine non revelato, eumdem criminosum tacitus praeterierit, aliumque immunem a sorde praeelegerit, illico postpositus, simulato gravamine, provocat ad superiorem iudicem criminis ignarum, et consueto diffugio appellationis, evehitur ad pastorale fastigium, qui non potest consulere populo, sed nocere, nec praestare regimen, sed augere discrimen.

§ 15. Ne. igitur improbi ingenii homines remedium appellationis, ad iustitiae praesidium institutum, callide traducant ad iniquitatis defensionem : optimum factu aliquibus fortasse videretur, si appellatione quavis sublata, cura praeficiendi rectores animarum prorsus relinqueretur Episcopis, rationem villicationis suae Christo iudici tantum reddituris. Verum nullo pacto probare id possumus, quod adversaretur menti Concilii Tridentini, tacite

permitteatis appellationem in devolutivo a mala relatione Examinatorum, quemadmodum innuere videntur verba illa : *Nec praedictorum Examinatorum relationem, quominus executionem habeat, ulla devolutio, et appellatio, etiam ad Sedem Apostolicam, sive eiusdem Sedis Legatos, aut Tice-Legatos, aut Nuntios, seu Episcopos, aut Metropolitanos, Primates, vel Patriarchas interposita impediat, aut suspendat.* Cui sanctioni respondet etiam Constitutio Piana, admittens appellationem in devolutivo ab irrationabili iudicio Episcopi.

§ 16. Qua de re, ut in huiusmodi negotio apte omnia atque composite paragantur, officii Nostri esse duximus, eum vobis, ven. Fratres, gerendarum rerum ordinem praescribere, quem longo usu utilem agnovimus instituendis animarum rectoribus, qui credito sibi gregi praeesse, et prodesse possint.

I. Episcopus, habita notitia vacationis ecclesiae, statim, ad praescriptum Tridentini, idoneum in ea deputet Vicarium, cum congrua eius arbitrio fructuum portionis assignatione, qui onera ipsius ecclesiae sustineat, donec ei de rectore provideatur.

II. Publico evulgetur edicto notitia concursus, congruo, et ab Episcopo praefinito tempore celebrandi : eodemque edicto omnes clare, et aperte moneantur, ut interim decurrente ternano assignato, coram Cancellario Episcopali, vel altero ab Episcopo deputando, suarum qualitatum, meritorum, et munerum probationes, attestationes tam iudiciales, quam extraiudiciales, aliaque id genus documenta, quae fraude vacent, exhibeant. Alioquin, dicto termino elapso, documenta huiusmodi, quaecumque, et qualiacumque ea sint, nullatenus recipientur.

III. Eveniente die concursus, a Cancellaria Episcopali singulorum merita, qualitates, et requisita (ut vocant)/incorrupta fide deprompta a iuribus tempore habili exhibitis, in scriptis summatim redigantur : porro copia epitomes tradetur non solum Episcopo, vel Vicario Generali vices illius obeunti, sed singillatim omnibus Examinatoribus ad concursum adscitis, ut cum de scientia, tum dé vita, moribus, aliisque regendae ecclesiae necessariis dotibus ferant iudicium.

IV. Die praestituta ab Episcopo habeatur concursus, servata accurate in omnibus forma tradita in supra relatis litteris anno 1721 editis, totaque rerum in eo gestarum series scriptis diligenter enucleetur. Porro Examinatores, ad assequendam certam, et indubiam coniectnram scientiae, postquam diligenter expenderint singulorum peritiam in evolvendo, explicandoque oretenus aliquo ecclesiasticae doctrinae capite, vel a SS. Patribus, vel a Sacro Concilio Tridentino, vel a Catechismo Romano excerpto, ac pari diligentia libraverint a quolibet scripto datas responsiones quaestionibus propositis; et postquam demum deprehenderint qua quisque polleat gravitate sententiarum, et elegantia sermonis in conçiuncula scripto pariter exarata, et textui evangelico, vel alteri dato themati accommodata: parem, ni forte maiorem solertiam Examinatores adhibeant in perscrutandis aliis qualitatibus^ regimini animarum consentaneis: morum honestatem inquirant, gravitatem, prudentiam, praestita hactenus Ecclesiae obsequia, acquisitam in aliis muneribus laudem, aliaque spectabilium virtutum ornamenta, doctrinae arcto foedere

**consocianda; hisce omnibus coniunctim expensis, inhabiles per sua suffragia reiiciant, et idoneos Episcopo renuntient.**

**V. Absoluto concursu ab Episcopo, vel, eo impedito, a Vicario Generali una cum Examinatoribus Synodalibus non paucioribus quam tribus, notula compendiaria requisitorum antea distributa tradatur Cancellario, qui illam comburat, vel penes acta secreto custodiat, et nemini ostendat, nisi de mandato Episcopi, vel eius Vicarii Generalis. Subinde vero Ordinarius, cum primum ei libuerit, eligat ex approbatis digniorem, nec illi possessio, ullo appellationis vel inhibitionis obten tu, retardetur.**

**VI. Si quem clericorum appellare contigerit a mala relatione Examinatorum, vel ab irrationabili iudicio Episcopi: coram iudice appellationis acta concursus integra omnino producat; et iudex, nisi illis visis, et gravamine comperto, sententiam non pronunciet. Praeterea in ferenda sententia, ac reparando gravamine, idem iudex innitatur solummodo probationibus ab actis dicitis, tam respectu doctrinae, quam aliorum meritorum. Quia vero a publica indictione, usque ad diem habiti concursus, tantum temporis intercessit quantum satis fuit commode exhibendis necessariis iuribus, attestationibus, requisitis, aliisque meritorum documentis; idcirco, ut quaevis via fraudibus praecidatur, volumus, ac districte mandamus, ne dictae attestationes, fides tam iudiciales, quam extraiudiciales, et documenta quaecumque studiose conquisita, et post concursum, ut aiunt, expiscata, ullo modo recipiantur. Non obstantibus supra memoratis litteris, a Congregatione Concilii Tridentini interprete anno 1721 editis, quibus, ad praemissorum effectum in hac parte derogamus, illis tamen in reliquis, una cum omnibus* in eis contentis, firmiter in suo robore permansuris.**

**VII. Ubi vero Episcopus, posthabito uno, vel altero ex approbatis, ecclesiam contulerit magis idoneo ob aliquam sibi ipsi tantum notam causam, quam censeat significari oportere iudici appellationis ad detergendam iniustae fortasse praeelectionis notam : familiaribus litteris iudicem certiorem efficiat, inviolabilis secreti lege adiecta. Nemo sit, qui hanc praxim Nostrae tribuat solertiae, cum illa profluat a Tridentini Decretis. *Sessione* etenim *24, cap. 20 de Reform,* ita disponitur : *Praeterea si quis in casibus a iure permissis appellaverit, aut de aliquo gravamine conquestus fuerit, seu alias, ob lapsum biennii, de quo supra, ad alium iudicem recurrerit, teneatur acta omnia coram Episcopo gesta ad iudicem, appellationis expensis suis transferre,*** EODEM TAMEN EPISCOPO PRIUS ADMONITO, UT SI QUID EI PRO CAUSAE INSTRUCTIONE VIDEBITUR, POSSIT IUDICI APPELLATIONIS SIGNIFICARE.

**Et quamvis iure Nobis timendum sit, ne dicta praxis monendi iudicem, a quo appellatum est, in more olim posita, hac tempestate obsoleverit, et a foro recesserit; attamen Episcopus (ut dictum est) si ex causa sibi tantum, et non aliis nota, quae tamen approbari digna sit, ecclesiam contulerit; illam iudici appellationis, datis secreto litteris, denunciet, et aperiat. Sciant porro iudices, delatas ab Episcopo causas, et rationes, inviolabilis secreti fide esse custodiendas, nec parvipendendum esse testimonium illius Pastoris, cui divino mandatur eloquio, oves suas agnoscere. Facile enim credi non potest, Episcopos suae non minus, quam alienae salutis adeo immemores, ut non deterriti divini interminatione iudicii, odio vel favore moveantur; et in Sacro-**

rum Canonum singularem iniuriam, dicaci *malum bonum, bonum malum, ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras.*

Si vero Episcopo fuerit suspecta fides iudicis, ad quem appellatum est, nec eidem revelanda censuerit huiusmodi occulta rationum momenta: illa significet secretis litteris S. R. E. Cardinali Praefecto pro tempore Congregationis Concilii, qui nec consilio, nec auctoritate deerit, quo minus a iudice appellationis debitus iustitiae locus tribuatur.

§ 17. Praeterea quia aequitati etiam convenit, causas appellationis, quae magno litigantium dispendio, et Ecclesiae pernicie, immortales quandoque existunt, quanta fieri potest brevitate terminari : idcirco ubi a iudice appellationis lata sit sententia, quae praeelectioni factae ab Episcopo omnino sit conformis, nullus pateat novae appellationi aditus, sed auctoritate rei iudicatae controversiae finis imponatur. Sin vero iudex appellationis aliter, quam Ordinarius, pronunciaverit; liceat praeelecto ab Episcopo, qui causa cecidit, ad alium iudicem appellare, firmiter interim retenta parochialis ecclesiae possessione. Tandem postquam tertius quoque iudex sententiam dixerit, ne partes ultra modum graventur laboribus, et expensis, praesertim quia agitur de cura animarum, cui damnosum est, certi Pastoris destitui solatio; is legitimum regendae ecclesiae ius obtineat, cui duae conformes assistunt sententiae, nec ullum novae appellationis remedium succumbenti suffragetur.

§ 18. His sane regulis, quamvis appellatio sublata non sit, satis tamen praesidii comparatum esse arbitramur ecclesiasticae disciplinae, ac recto gerendarum rerum ordini. Unum superest, ut proposita hactenus media debitae executioni mandentur; Eumque in scopum locorum Ordinarii vigilantiam suam desiderari non patiantur. Ferendum quippe non esset, ad nostri Apostolatus auditum novas in diem deferri querelas, ac submovendis abusibus novas implorari leges, ab iis, qui iam praestitutas negligunt et contemnunt.

§ 19. Demum cum non raro contingat, ecclesias parochiales, dignitates, canonicatus, aliaque beneficia curam animarum habentia, a Sede Apostolica esse conferenda; vel quia vacaverint in mensibus reservatis, vel quia ex alio capite dictae Sedi reservata sint; Nos Praedecessorum Nostrorum vestigiis inhaerentes, praecipimus, et mandamus, ut uno vel altero eveniente casu, concursus ab Episcopo sine ullo discrimine indicatur, nulla ad hunc actum petita venia, vel licentia, quam Nostris hisce litteris sibi tributam Episcopi intelligant.

§ 20. Absoluto concursu, si res sit de beneficiis curatis, *quae tantum ratione mensium reservata sint,* Episcopus inter approbatos eligat magis idoneum, et Datariae significet, nec acta concursus transmittat, nisi a Dataria, cum id opportunum duxerit, requirantur. Sin vero dicta beneficia, quibus cura imminet animarum, *ex alio quovis capite, quam mensium Apostolicorum,* Sanctae Sedi reservata sint; eo sane casu, veteri non immutato more, abstineat Episcopus a ferendo dignioris iudicio, et acta concursus ultro Datariae exhibeat.

§ 21. Licebit tamen Ordinariis, pro suo arbitrio, familiaribus litteris Datario scriptis, eidem denunciare personam, quam censent regendae ecclesiae magis idoneam, eumdemque commonere, an occulta aliqua, et in actis iuste reticita subsit causa, quae cuipiam obstet ad beneficium curatum obti-

nendum. Nos ipsi postmodum ab hac Sede omnium principe, et magistra, luculento edocebimus exemplo, quanti faciendam sit episcopale iudicium, quantoque vos honore prosequamur, venerabiles Fratres, in partem Nostrae sollicitudinis evocatos, quibus interim Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud S. Mariam Maiorem die xiv Decembris MDCCXLII. Pontificatus Nostri anno tertio. «

DOCTJM. V.

CONSTITUTIO BENEDICTI PP. XIV « *Sacramentum Poenitentiae* », I IUNII 1741.

Sacramentum Poenitentiae, quam secundam, post naufragium deperditae gratiae, tabulam sancti Patres apte nuncuparunt, Nos licet immerentes ad universi dominici gregis curam superna dispositione vocati, omne studium, et pastoralem sollicitudinem adhibere tenemur, ne quod post amissam baptismi innocentiam datum est divina benignitate perfugium, per daemonum fraudem, et hominum Dei beneficiis perverse utentium malitiam, naufragis ac miseris peccatoribus luctuosum evadat exitium; et quod in salutem, et curationem animarum, a Deo, qui dives est in misericordia, institutum est, execrabili scelestorum quorumdam sacerdotum improbitate, in earum perniciem, atque interitum vertatur.

§ 1. Dudum quidem a fel. record. Gregorio Papa XV Praedecessore Nostro per suas litteras in forma Brevium sub datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem die xxx Augusti MDCXXII, Pontificatus sui anno secundo, sapienter provisum fuit contra quoscumque sacerdotes audiendis confessionibus deputatos, ad turpia et inhonesta sollicitantes; et deinceps successivis temporibus, ad earum litterarum interpretationem ac declarationem, plura subinde a Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium adversus haereticam pravitatem generalium Inquisitorum sub die xi mensis Februarii Anno Domini MDCI/XI, prodierunt decreta, et a rec. mem. Alexandro PP. VII pariter praedecessore Nostro in Congregatione Generali Sanctae Romanae Universalis Inquisitionis die xxiv Septembris MDCLXV coram eo habita, inter alias ab Evangelica veritate, et sanctorum Patrum doctrina alienas et dissonas propositiones, sexta videlicet, et septima, huc revocandae, damnatae, et prohibitae fuerunt. Nos itaque mature perpendentes quanti momenti sit ad aeternam animarum salutem ea ubique exacte observari, et quanti ad infirmas oves curandas, et decorem Sanctae Ecclesiae Dei retinendum, intersit, ne aliqui sacerdotes Poenitentiae Sacramento nefarie abutentes, poenitentibus pro curatione vulnus, pro pane lapidem, pro pisce serpentera, pro medicina venenum porrigant, sed animo secum recolentes, se a Christo Domino praesides, et iudices animarum constitutos, ea sanctitate, quae sublimitati ac dignitati muneris convenit, tam venerandum Sacramentum administrent : Motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostra, praefatas litteras huiusmodi, ac omnia, et singula decreta praedicta ad illarum interpretationem et declarationem emanata, Apostolica auctori-

**tate tenore praesentium approbamus et confirmamus, illisque omnibus et singulis inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adiicimus; atque etiam, quatenus opus sit, denuo committimus et mandamus omnibus haereticae pravitatis Inquisitoribus, et locorum Ordinariis omnium regnorum, provinciarum, civitatum, dominiorum, et locorum universi Orbis Christiani, in suis respective dioecesibus/ut diligenter, omnique humano respectu postposito, inquirant, et procedant contra omnes, et singulos sacerdotes tam saeculares, quam regulares quomodolibet exemptos, ac Sedi Apostolicae immediate subiectos, quorumcumque Ordinum, Institutorum, Societatum, et Congregationum, et cuiuscumque dignitatis, et praeeminentiae, aut quovis privilegio, et indulto munitos, qui aliquem poenitentem, quaecumque persona illa sit, vel in actu sacramentalis confessionis vel ante, vel immediate post confessionem, vel occasione, aut praetextu confessionis, vel etiam extra occasionem confessionis in confessionali, sive in alio loco ad confessiones audiendas destinato, aut electo, cum simulatione audiendi ibidem confessionem, ad inhonesta, et turpia sollicitare, vel provocare, sive verbis, sive signis, sive nutibus, sive tactu, sive per scripturam, aut tunc aut post legendam, tentaverint, aut cum eis illicitos, et inhonestos sermones, vel tractatus temerario ausu habuerint; et quos in aliquo ex huiusmodi nefariis excessibus culpabiles repererint, in eos pro criminum qualitate et circumstantiis, severe animadvertant, per condignas poenas, iuxta memoratam Gregorii Praedecessoris Nostri constitutionem, quam hie de verbo ad verbum pro inserta haberi volumus : dantes etiam, si opus sit, et rursus concedentes facultatem, ne delictum tam enorme, et Ecclesiae Dei iniuriosum, remaneat, ob probationum defectum, impunitum, iam alias in praefata constitutione tributam, procedendi cum testibus etiam singularibus, dummodo praesumptiones, indicia, et alia adminicula concurrant.**

**I 2. Meminerint praeterea omnes et singuli sacerdotes ad confessiones audiendas constituti, teneri se ac obligari, suos poenitentes, quos noverint fuisse ab aliis, ut supra, sollicitatos, sedulo monere, iuxta occurrendum casuum circumstantias, de obligatione denunciandi Inquisitoribus, sive locorum Ordinariis praedictis, personam, quae sollicitationem commiserit, etiamsi sacerdos sit, qui iurisdictione ad absolutionem valide impertiendam careat, aut sollicitatio inter confessarium, et poenitentem mutua fuerit, sive sollicitationi poenitens consenserit, sive consensum minime praestiterit, vel longum tempus post ipsam sollicitationem iam effluxerit, aut sollicitatio à confessario, non pro se ipso, sed pro alia persona peracta fuerit. Caveant insuper diligenter confessarii, ne poenitentibus, quos noverint iam ab alio sollicitatos, sacramentalem absolutionem impertiant, nisi prius denunciationem praedictam ad effectum perducentes, delinquentem indicaverint competenti iudici, vel saltem se, cum primum poterunt, delaturos spondeant ac promittant.**

**§ 3. Et quoniam improbi quidem homines reperiuntur, qui vel odio, vel ira-, vel alia indigna causa commoti, vel aliorum impiis suasionibus, aut promissis, aut blanditiis, aut minis, aut alio quovis modo incitati, tremendo Dei iudicio posthabito, et Ecclesiae auctoritate contempta, innoxios sacerdotes apud ecclesiasticos iudices falso sollicitationis insimulant : ut igitur tam nefaria audacia, et tam detestabile facinus metu magnitudinis poenae coerceatur, quaecumque persona, quae exseerabili huiusmodi flagitio se inquinaverit,**

**vel per se ipsam innocentes confessarios impie calumniando, vel sceleste procurando, ut id ab aliis fiat, a quocumque sacerdote quovis privilegio, auctoritate, et dignitate munito, praeterquam a Nobis, Nostrasque Successoribus, nisi in fine vitae, et excepto mortis articulo, spe absolutionis obtinendae, quam Nobis et Successoribus praedictis reservamus, perpetuo careat.**

**§ 4. Demum magnopere cupientes a sacerdotalis iudicii, et sacri tribunalis sanctitate omnem turpitudinis occasionem, et Sacramentorum contemptum, et Ecclesiae iniuriam longe submovere, et tam exitiosa huiusmodi mala prorsus eliminare, et quantum in Domino possumus, animarum periculis occurrere, quas sacrilegi quidam, daemonis potius, quam Dei ministri, loco eas per Sacramentum Creatori suo ac nostro reconciliandi, maiori peccatorum mole onerantes, in profundum iniquitatis barathrum nefarie submergunt, nonnullorum Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, et aliquorum in theologia Magistrorum consilio desuper adhibito, accedentibus quoque iteratis plurium Episcoporum supplicationibus, hac Nostra in perpetuum valitura sanctione, quemadmodum a pluribus Episcopis per synodales suas constitutiones iam factum esse novimus, omnibus et singulis sacerdotibus, tam saecularibus quam regularibus cuiuscumque Ordinis, ac dignitatis, tametsi alioquin ad confessiones excipiendas approbatis, et quovis privilegio et indulto, etiam speciali expressione, et specialissima nota et mentione digno suffultis, auctoritate Apostolica, et Nostrae potestatis plenitudine interdicimus et prohibemus, ne aliquis eorum, extra casum extremae necessitatis, nimirum in ipsius mortis articulo, et deficiente tunc quocumque alio sacerdote qui confessarii munus obire possit, confessionem sacramentalem personae complicis in peccato turpi atque inhonesto, contra sextum Decalogi praeceptum commisso, excipere audeat, sublata propterea illi ipso iure quacumque auctoritate et iurisdictione ad qualemcumque personam ab huiusmodi culpa absolvendam; adeo quidem, ut absolutio, si quam impertient, nulla atque irrita omnino sit, tanquam impertita a sacerdote, qui iurisdictione ac facultate ad valide absolvendum necessaria privatus existit, quam ei per praesentes has Nostras adimere intendimus; et nihilominus, si quis confessarius secus facere ausus fuerit, maioris quoque excommunicationis poenam, a qua absolvendi potestatem Nobis solis, Nostrasque Successoribus dumtaxat reservamus, ipso facto incurrat.**

**§ 5. Declarantes etiam, et decernentes, quod nec etiam in vim cuiuscumque Iubilaei, aut etiam Bullae, quae appellatur Cruciatae Sanctae, aut alterius cuiuslibet indulti, confessionem dicti complicis huiusmodi quisquam valeat excipere, eique sacramentalem absolutionem elargiri; cum ad hunc effectum, et in hoc casu, nullus confessarius, utpote qui in huiusmodi peccati, et poenitentis genere, iurisdictione, ut praefertur, careat, et absolvendi facultate a Nobis privatus existat, habendus sit pro confessario legitimo, et approbato. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, praesertim quae nuncupantur Cruciatae Sanctae, vel Iubilaei Universalis et plenarii, necnon quibusvis Ecclesiarum, et monasteriorum, et Ordinum quorumlibet, quorum ipsi sacerdotes fuerint, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et Litteris Apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et for-**

**mis, ac cum quibusvis clausulis, et decretis, etiam motu proprio, aut alias quomodolibet concessis, etiam iteratis vicibus approbatis, et innovatis; quibus omnibus, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.**

**§ 6. Volumus demum ac praecipimus, ut omnes locorum Ordinarii, tam praesentes quam futuri pro tempore existentes, in approbatione confessariorum, tam praedictam Constitutionem Gregorii Praedecessoris, quam praesentem hanc Nostram, ab omnibus sacerdotibus approbandis attente legi et accurate observari curent, moneantque eos in Domino atque hortentur, ut sacrum ministerium ipsorum fidei commissum summa animi innocentia, morum puritate, iudicii integritate peragant, exhibeantque semetipsos ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei. Memores praeterea sint se locum tenere, ac vices obire summi atque aeterni Sacerdotis, qui sanctus, innocens, impollutus, per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, ut emundaret conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi : sedulo igitur studeant diligenterque caveant, ne quaerentibus et pulsantibus eorum culpa caelum claudatur; ne deperditae oves ad ovile dominicum redire properantes, eorum manibus ferarum dentibus dilaniandole tradantur; ne prodigi filii egentes et saucii ad coelestem Patrem revertentes, nefaria eorum improbitate, gravioribus peccatorum vulneribus, dum adhuc in via sunt, confodiantur.**

**§ 7. Ut autem praesentes Litterae ad omnium notitiam facilius deveniant, et nemo illarum ignorantiam allegare valeat, volumus illas seu earum exempla ad valvas Ecclesiae Lateranensis, et Basilicae Principis Apostolorum, necnon Cancellariae Apostolicae, Curiaeque Generalis in Monte Citatorio, ac in Acie Campi Florae de Urbe, ut moris est, affigi et publicari, sicque publicata® et affixas, omnes et singulos, quos illae concernunt, perinde arctare et afficere, ac si unicuique eorum nominatim et personaliter intimatae fuissent : utque ipsarum praesentium Litterarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides, tam in iudicio quam extra illud, ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.**

**§ 8. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostrae voluntatis, sanctionis, praecepti, mandati et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Romae apud S. Mariam Maiorem Anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentésimo quadragesimo primo, Kalendis Iunii, Pontificatus Nostri Anno I.**

X. SUB-DATARIUS.

**Pro D.** CARD. PASSIONEO
CAIETANUS AMATUS.

## DOGUM. VI.

Ex Constitutione Pauli PP. III « *Altitudo»,* i Iunii 1537.

. . . . Sane cum sicut, non sine grandi et spirituali mentis nostrae laetitia, accepimus, quamplures incolae occidentalis et meridionalis Indiae, licet divinae sint legis expertes, S. Spiritu tamen cooperante, illustrati, errores, quos hactenus observarunt, penitus ab eorum mentibus et cordibus abiecerint, ac fidei catholicae veritatem et S. Ecclesiae unitatem amplecti, et secundum ritum eiusdem Romanae Ecclesiae vivere desiderent et proponant . . . . . Super eorum vero matrimoniis hoc observandum decernimus, ut qui ante conversionem plures iuxta eorum mores habebant uxores, et non ,recordantur quam primo acceperint, conversi ad fidem, unam ex illis accipiant, quam voluerint, ut cum ea matrimonium contrahant per verba de praesenti, ut moris est; qui vero recordantur quam primo acceperint, aliis dimissis, eam retineant. Ac eis concedimus, ut coniuncti etiam in tertio gradu tam consanguineitatis, quam affinitatis, non excludantur a matrimoniis contrahendis donec huic S. Sedi super hoc aliud visum fuerit statuendum . . . . .

## DOGUM. VIL

Constitutio S. Pii PP. V « *Romani Pontificis* », 2 Augusti 1571.

Romani Pontificis aequa et circumspecta providentia, ne ea quae pro salubri Indorum noviter ad fidem conversorum directione sanciri debent et terminari, alicuius haesitationis scrupulo subiaceant, declarationibus et aliis opportunis consuevit providere remediis. Cum itaque, sicut accepimus, Indis in sua infidelitate manentibus plures permittantur uxores, quas ipsi etiam levissimis de causis répudiant, hinc factum est quod incipientibus baptismum permissum sit permanere cum ea uxore, quae simul cum marito baptizata existit; et quia saepenumero contingit illam non esse primam coniugem, unde tam ministri quam Episcopi gravissimis scrupulis torquentur, existimantes illud non esse verum matrimonium; sed quia durissimum esset separare eos ab uxoribus, cum quibus ipsi Indi baptismum susceperunt, maxime quia difficillimum foret primam coniugem reperire : ideo Nos, statui dictorum Indorum paterno affectu benigne consulere, atque ipsos Episcopos et ministros ab huiusmodi scrupulis eximere volentes, motu proprio et ex certa scientia Nostra, ac apostolicae potestatis plenitudine, ut Indi, sic ut praemittitur baptizati, et in futurum baptizandi, cum uxore, quae cum ipsis fuerit baptizata et baptizantur, remanere valeant, tanquam cum uxore legitima, aliis dimissis, apostolica auctoritate, tenore praesentium, declaramus, matrimoniumque huiusmodi* inter eos legitime consistere *etc.*

## DOCÜM. VIII.


### Constitutio Gregorii PP. XIII « *Populis* », 25 Ianuarii 1585.

**Populis ac nationibus nuper ex gentilitatis errore ad fidem catholicam conversis expedit indulgere circa libertatem contrahendi matrimonia, ne homines, continentiae servandae minime assueti, propterea minus libenter in fide persistant, et alios illorum exemplo ab eius perceptione deterreant. Quoniam igitur saepe contingit multos utriusque sed praecipue virilis sexus infideles, post contracta gentili ritu matrimonia, ex Angola, Aethiopia, Brasilia, et aliis Indicis regionibus, ab hostibus captos, a patriis finibus et propriis coniugibus in remotissimas regiones exterminan, adeo ut tam ipsi, captivique qui in patria remanent, si postea ad fidem convertantur, coniuges infideles tam longo locorum intervallo disiunctos, an sine contumelia Creatoris secum cohabitare velint, ut par est, monere nequeant, vel quia interdum ad hostiles et barbaras provincias ne nuntiis quidem accessus pateat, vel quia ignorent prorsus in quas regiones fuerint transvecti, vel quia itineris longitudo magnam afferat difficultatem : idcirco Nos, attendentes huiusmodi connubia inter infideles contracta, vera quidem, non tamen adeo rata censeri, ut necessitate suadente dissolvi non possint, talium gentium infirmitatem paterna pietate miserati, universis et singulis dictorum locorum Ordinariis et parochis, et presbyteris Societatis Iesu ad confessiones audiendas ab eiusdem Societatis Superioribus approbatis et ad dictas regiones pro tempore missis vel in illis admissis, plenam auctoritate Apostolica, tenore praesentium, concedimus facultatem dispensandi cum quibuscumque utriusque sexus Christifidelibus incolis dictarum regionum et serius ad fidem conversis qui ante baptisma susceptum, matrimonium contraxerunt, ut eorum quilibet, superstite coniuge infideli, et eius consensu minime requisito, aut responso non expectato, matrimonia cum quovis fideli alterius etiam ritus contrahere et in facie Ecclesiae solemnizare, et in eis postea carnali copula consummatis quoad vixerint remanere licite valeant: dummodo constet etiam summarie et extraiudicialiter, coniugem, ut praefertur, absentem moneri legitime non posse, aut monitum intra tempus in eadem monitione praefixum suam voluntatem non significasse; quae quidem matrimonia, etiamsi postea innotuerit coniuges priores infideles suam voluntatem iuste impeditus declarare non potuisse, et ad fidem etiam tempore transacti secundi matrimonii conversos fuisse, nihilominus rescindi nunquam debere, sed valida et firma, prolemque inde suscipiendam legitimam fore decernimus. Non obstantibus** ***etc.***

# INDEX

## LIBER QUARTUS

## DOCUMENTA.



**Annus IX** **31 Decembris 1917** **Yol. IX - Pars II - *Appendix***

# ACTA APOSTOLICAE SEDIS

**COMMENTARIUM OFFICIALE**

**I**

**Iri officiali *Codicis Iuris Canonici* editione nonnullae irrepsere mendae, quas Ssmus in audientia infrascripto Cardinali hodie concessa corrigendas prout sequitur praecepit:[1]**

| | | | |
|---|---|---|---|
| **Can.** | **54, § 1** | *Iegatuî* : | **vitio subreptionis aut obreptionis nullum** |
| » | **120, § 2** | » | **supremi religionum iuris pontificii Superiores, Officiales maiores Romanae Curiae** |
| » | **306** | » | **Paschatis, Ascensionis, Pentecostes** |
| » | **325** | » | **cum throno ac baldachino et iure** |
| » | **344, § 2** | » | **Religiosos autem exemptos Episcopus** |
| » | **421, § 1, n. 4** | » | **inserviunt ad normam can. 412, § 2.** |
| » | **544, § 3** | » | **religionis postulatu aut novitiatu** |
| » | **600, n. 1** | » | **visitantibus vel aliis Visitatoribus** |
| » | **628, n. 1** | » | **Ordini vel Sanctae Sedi, ad normam** |
| » | **681** | » | **serventur, congrua congruis referendo, praescripta** |
| » | **822, § 1** | » | **ad normam iuris, salvo praescripto can. 1196.** |
| » | **956** | » | **religioso professo de quo in can. 964, n. 4.** |
| » | **1227** | » | **electio sit nulla.** |
| » | **1249** | » | **celebretur, sub dio aut in quacunque** |
| » | **1252, § 4** | » | **cessat, excepto festo tempore Quadragesimae, nec pervigilia** |
| » | **1301, § 1** | » | **in forma iuris civilis valido** |
| » | **1557, § 2, n. 1** | » | **contentiosis, salvo praescripto can. 1572, § 2 ;** |
| » | **1599, § 2** | » | **causas de quibus in can. 1557, § 2 aliasve quas** |
| » | **1840, § 3** | » | **Iudex iu decreto quo, non servata iudicii forma, vel reiicit** |
| » | **1913, § 1** | » | **non datur distincta appellatio** |
| » | **2182** | » | **can. 467, § 1, 468, § 1, 1178, 1330-1332, 1344** |
| » | **2237, § 1, n. 2 *** | » | **Censuris Sedi Apostolicae reservatis;** |
| » | **2237, § 1, n. 3** | » | **Poenis inhabilitatis ad beneficia** |
| » | **2265, § 2** | » | **nisi positus fuerit ab excommunicato vitando vel ab alio excommunicato post** |

**Ex aedibus Vaticanis die 17 mensis octobris anni 1917.**

PETRUS **Card.** GASPARRÍ,
***a Secretis Status.***

[1] *Acta Apostolicae Sedis,* IX, 1917, 557, 589.

| ERRATA | | | CORRIGE |
|---|---|---|---|
| Can. 123, | *loeo:* | can. | *legatur:* can. 213, § 1, |
| » 176, § 3, | » | acceptatam | » acceptam |
| » 269, § 3, | » | throno et baculo, | » throno et baldachino, |
| » 355, § 1, | » | can. 353, §§ 2, 3. | » can. 353. |
| » 403, | » | can. 1435, § 3. | » can. 1435. |
| » 420, § 1, n. 11, | » | can. 412; | » can. 412, § 1; |
| » 438, | » | can. 1406, | » can. 1406-140S, |
| » 447, § 3, | » | sacra supellectilis | » sacra supellex |
| » 463, § i, | » | can. 1507. | » can. 1507, § 1. |
| » 512, § 3, | » | can. 533-535. | » can. 532-535. |
| » 538, § 2, | » | can. 559. | » can. 559, §§ 2, 3. |
| » 659, | » | Superiore maiori | » Superiore maiore |
| » 697, § 1, | » | can. 715, § 1. | » can. 715. |
| » 698, § 4, | » | Item | » Idem |
| » 736, | » | can. 1507. | » can. 1507, § 1. |
| » 759, § 3, | » | suppleantur; nisi | » suppleantur, nisi |
| » 850, | » | can. 514. | » can. 514, §§ 1-3. |
| » 873, § 3, | » | can. 183, § 1, et, | » can. 183, et, |
| » 896, | » | can. 518, 519. | » can. 518, § 1, 519. |
| » 938, § 2, | » | can. 397, n. .3, 514, | » can. 397, n. 3, 514, §§ 1-3, |
| » 1017, § 3, | » | si quae | » si qua |
| » 1052, | » | vel inferiori gradu. | » vel inferiore gradu. |
| » 1296, § 2, | » | can. 1522 | » can. 1522, §§ 2, 3 |
| » 1432, § 2, | » | can. 455, § 3, | » can. 455, § 2, n. 3, |
| » 1435, § 1, | » | can. 396, | » can. 396, § 1, |
| » 1460, § 1, | » | can. 101; | » can. 101, § 1; |
| » 1504, | » | can. 1507, | » can.- 1507, § 1, |
| » 1530, § 1, | » | can. 1281, | » can. 1281, § 1, |
| » 1555, § 3, | » | can. 654-667. | » can. 654-668. |
| » 1608, | » | can. 1625. | » can. 1625, § 1. |
| » 1653, § 1, | » | can. 1532 | » can. 1532, §§ 2, 3 |
| » 1747, n. 1, | » | can. 2197; | » can. 2197, nn. 2, 3; |
| » 1905, § 1, | » | can. 1688, | » can. 1687, 1688, |
| » 1966, | » | can. 1576, § 1, | » can. 1576, § 1, n. 1, |
| » 2045, § 2, | » | can. 2036. | » can. 2036, §§ 2, 3. |
| » 2097, § 1, | » | can. 2054, 2055, 2063 | » can. 2054-2056, 2063 |

| | *Errata* | *Corrige* |
|---|---|---|
| Can. 2191, § 1, | *loco:* can. 2197. | *legatur:* can. 2197, n. 4 |
| » 2237, § 2, | » ean. 2254 et 2289, | » can. 2254 et |
| » 2254, § 3, | » can. 2368, § 1, potest | » can. 2367, potest |
| » 2261, § 3, | » can. 2252, | » can. 882, 2252, |
| » | » praescripto can. 2261, § 2; | » praescripto can § 3; |
| » 2275, n. 2, | » can. 2260, 2261; | » can. 2260, § 1, |
| » 2319, § 1, n. 1, | » can. 1063; | » can. 1063, § 1; |
| » 2321, | » can. 808, 808 | » can. 806, § 1, 808 |
| » 2373, n. 2, | » can. 993, 994; | » can. 993, n. 4, 994; |
| » 2377, | » can. 131 | » can. 131, § 1 |
| i, n. 1, | » can. 551, § 1; | » can. 551 ; |

| | | |
|---|---|---|
| Pag. 469, 1. 18 | *loco:* possit | •*ur:* possint |
| » 489, I. 31 | » Sedi | » Sedis |
| » 497, 1. 4 | » exhibitio | » exhibito |
| » 497, 1. 39 | » difficili | » difficile |
| » 505, 1. 2 | » faciendam | » faciendum |

» 500, restituatur ordo lin. 16, 17.

# n

# MOTU PROPRIO

## COMMISSIO INSTITUITUR AD CODICIS CANONES AUTHENTICE INTERPRETANDOS[1].

BENEDICTUS PP. XV

um iuris canonici Codicem, fel. rec. decessoris Nostri Pii X iussu digestam, non multo ante, exspectationem totius catholici orbis explentes, promulgaverimus, Ecclesiae bonum ipsiusque natura rei profecto postulant ut, quantum fieri potest, caveamus, ne aut incertis privatorum hominum de germano canonum sensu opinionibus et coniecturis, aut crebra novarum legum varietate, tanti operis stabilitas in discrimen aliquando vocetur. Quapropter propositum Nobis est utrique incommodo occurrere ; quod ut efficiamus, Motu proprio, certa scientia atque matura deliberatione Nostra, haec quae infra scripta sunt statuimus atque decernimus:

I. Exemplum decessorum Nostrorum secuti, qui decretorum Concilii Tridentini interpretationem proprio Patrum Cardinalium coetui commiserunt, Consilium seu *Commissionem,* uti vocant, constituimus, cui uni ius erit Codicis canones authentice interpretandi, audita tamen, in rebus maioris momenti, Sacra ea Congregatione cuius propria res sit, quae Consilio disceptanda proponitur. Idem vero Consilium constare volumus ex aliquot S. R. E. Cardinalibus, quorum unus coetui praesit, Auctoritate Nostra et successorum Nostrorum deligendis; his accèdent tum vir probatus, qui sacri Consilii erit ab Actis, tum aliquot Consultores ex utroque clero iuris canonici periti, eadem Auctoritate designandi ; sed Consilio ius erit Consultores quoque Sacrarum Congregationum, pro sua quemque re, sententiam rogandi.

[1] *Acta Apostolicae Sedis,* IX, 1917, 483.

II. Sacrae Romanae Congregationes *nova Decreta Generalia* iamnunc ne ferant, nisi qua gravis Ecclesiae universae necessitas aliud suadeat. Ordinarium igitur earum munus in hoc genere erit tum curare ut Codicis praescripta religiose serventur, tum *Instructiones,* si res ferat, edere, quae iisdem Codicis praeceptis maiorem et lucem afferant et efficientiam pariant. Eiusmodi vero documenta sic conficiantur, ut non modo sint, sed appareant etiam quasi quaedam explanationes et complementa canonum, qui idcirco in documentorum contextu peropportune afferentur.

III. Si quando, decursu temporum, Ecclesiae universae bonum postulabit, ut novum generale decretum ab aliqua Sacra Congregatione condatur, ea ipsa decretum conficiat, quod si a Codicis praescriptis dissentiat, /Summum Pontificem de eiusmodi discrepantia moneat. Decretum autem, a Pontifice adprobatum, eadem Sacra Congregatio ad Consilium deferat, cuius erit, ad decreti sententiam, canonem vel canones redigere. Si decretum a praescripto Codicis discrepet, Consilium indicet cuinam Codicis legi nova lex sufficienda sit; si in decreto res vertetur de qua Codex sileat, Consilium constituat quo loco novus canon vel novi canones sint in Codicem inserendi, numero canonis, qui proxime antecedit, *Ms, ter* etc. repetito, ne canon sede sua moveatur ullus aut numerorum series quoquo pacto perturbetur. Quae omnia, statim post Sacrae Congregationis Decretum, in *Acta Apostolicae Sedis***i** referantur.

Quae Nobis videmur utiliter in hac causa decrevisse, ea omnia et singula, uti decreta sunt, ita rata et firma esse et manere volumus ac iubemus: contrariis non obstantibus quibuslibet.

Datum Romae apud Sanctum Petrum die xv mensis Septembris anno MDCCCCXVII, Pontificatus Nostri quarto.

BENEDICTUS PP. XV

# INDEX ANALYT1CO-ALPHABETICUS

